ACCADEMIA DI MEDICINA DI TORINO
CIII 27

ADVERSARIA
MEDICO-PRACTICA
PRIMA.

JOANNIS-EMMANUEL
GILIBERT,

Medicinæ Profeſſoris, Noſocomiorum Grodnenſis & Lugdunei Phyſici ordinarii, plurimarum Academiarum Socii,

ADVERSARIA
MEDICO-PRACTICA PRIMA,
SEU
ANNOTATIONES CLINICÆ,

Quibus præcipue naturæ medicatricis jura vindicantur, artiſque priſca ſimplicitas numeroſis peculiaribus obſervationibus ſtabilitur.

Quid verba quæris ? veritas odit moras.
SENECA.

LUGDUNI,
Typis J. B. DELAMOLLIERE, Bibliop. & Typogr. in vico S. Dominici.

1791.

h"

CANONES.

Non poſt rationem medicina inventa fuit, ſed poſt inventam medicinam ratio quæſita eſt. *Celſ.*

Mallem famoſo empirico, quam ſubtili mechanico ſalutem meam committere. *Goëlik.*

Barbari plus ad augmentum medicaminum contulerunt, quam omnium ætatum ſcholæ. *Brunn.*

Paucis utatur Medicus remediis, iiſque ſelectis. *Trit.*

Serio ſuadeo medicinæ canditatis euporiſta magnopere ſibi commendata habeant. *Sim. Pauli.*

Qui poteſt mederi ſimplicibus, doloſe & fruſtra quærit compoſita. *Villanova.*

Qui longas remediorum formulas præſcribit, aut dolo peccat, aut ignorantia. *Trit.*

Omne nimium, quamvis optimum, naturæ inimicum eſt. *Hipp.*

Contraria contrariis, & morbi morbis curantur. *Linn.*

Medicamentis uti, niſi in vehementibus malis, ſupervacaneum eſt. *Celſ.*

Quos ratio non curavit, ſæpe curavit temeritas. *Celſ.*

Natura optima morborum medicatrix. *Hipp. Linn.*

Natura arte adjuta in morbis interdum facit miracula. *Linn.*

Felix eſt iſte pulvis qui venit tempore criſeos. *Linn.*

Quo natura vergit eo ducenda. *Hipp.*

Natura repugnante, medicina nihil proficit. *Celſ.*

Opinionum commenta delet dies, naturæ judicia confirmat. *Cic.*

Plurimi morbi (acuti) abſtinentia, quiete ſanantur. *Celſ.*

Plurimi morbi (chronici) diæta, motu, frictionibus, aromaticis, amaris, vino ſanantur. *Hoffm.*

Omne evacuans debilitat. *Linn.*

Natura expellit toxica ſimulque impura. *Linn.*

Medicamentum ſæpe mutatum arguit ignorantiam. *Hoffm. Linn.*

Medicamentum curat ſpeciem, raro genus morbi. *Linn.*

Qualitate vis medicamenti detegitur, experientia confirmatur. *Linn.*

Qui miſcet contraria contrariis, idiota eſt. *Linn.*

Temporibus medicina valet, data tempore prodeſt. *Linn.*

Venenatiſſima minima doſi data, ſufficienti vehiculo incepta, heroica & utiliſſima medicamenta evadunt. *Linn.*

VIRO CELEBERRIMO

TISSOT,

Medicinæ Profeſſori clinico Lauſanienſi, feliciſſimo,

JOANNES-EMMANUEL GILIBERT,

Clinicus Lugduneus,

S. D.

Nunquam excidet ex memoria fauſta illa dies qua blanda tecum colloquia, Lugduni, æſtate elapſa, obtinere potui: in quibus te inveni qualem jam a vinginti annis judicaveram ex ſcriptis, virum priſcæ fidei, multifaria eruditione ſplendentem, acerrimo prœditum judicio. His dotibus antiquæ & novæ medicinæ dogmata varia ad trutinam ſeveræ logicæ ponderaviſti, certa ab incertis acumine ſummo ingenii ſegregaviſti, limites artis his fultus adminiculis promovere potuiſti.

Jam a plurimis luſtris carus omnibus, ſcripta varia eademque utiliſſima tuto calamo exarata promulgaſti. Orbis eruditus alia expectat : debes adhuc & promiſiſti ultimam manum egregio tractatui de morbis nervorum imponere ; debes integram medicinæ ſynopſim pro uſu diſcentium delineare. Concedat tibi Deus Omnipotens vires animi & corporis, ut tam egregiam telam ad finem perducere poſſis : nos autem, Vir celeberrime, opifices nati, quid utile peragere poſſumus niſi materiem ac ſilvam, forte magnifico Hygieæ templo, quod ædificare ſummi architecti conantur, inſervientem colligamus ? ego hic merus talis opifex nonnulla jam occupavi, quæ tibi offero, felix terque felix, ſi qua tamen horum, nato tempore, tanquam utilia digneris apponere. Valeas, Vir celeberrime.

GILIBERT, *Medicinæ Profeſſor.*

Datum Lugduni Gallorum, die 1 januarii 1791.

LUDOVICO

LUDOVICO VITET,

CELEBRI MEDICO LUGDUNEO,

JOANNES-EMMANUEL GILIBERT,

MEDICUS,

PRÆFATIO NUNCUPATORIA.

QUI fata novit artis medicæ, ſolus ille theorias medicorum judicare poterit. A tempore Galeni ad noſtrum ævum varia principia generalia fuerunt prolata, propugnata & eruta. Galenici principiis Peripateticis imbuti, theoriam medicam ſimpliciſſimam propoſuerunt, quæ quindecim ſeculis deſpotice regnavit; ſed a Chymicis Paracelſo & Helmontio examinata, uno aut altero ictu diruta & debellata fuit. Si quis unquam ingenio ſyſtematico fuit præditus, certe

fuit Sylvius Deleboe ; vix tamen aliquot annis illius theoria, etſi ſpecioſa, regnavit ; illam plenarie debellarunt Hoffmannus & Boerhaavius. Qui bene legit aſſerta Stahlii & illius aſſeclarum, videbit, moxque judicabit quam fragilis fuit theoria Hoffmanni & Boerhaavii ; illam poſt Stahlium contempſerunt ſummi in arte viri, Borduſius, Sauvageſius. Noviſſime Lacaſii organiſmus, Bartheſii principium vitale, Halleri irritabilitas, vix plurium Medicorum aſſentationem obtinuerunt. Plurimi in Belgio, in Germania, Gallia, mechanicorum doctrinam profitentur. Quid inde concludendum ? optandam doctrinam medicam ſolis experimentis ſæpe repetitis fundatam : hanc eclecticam methodum jam elegerat elegans Celſus ; hanc optabat Lieutaudius ; hanc ſedulo Monſpelii inculcabat Venelius ; hanc viginti annis Pariſiis docuit ſummus in

arte Antonius Petit ; hanc tu a plurimis annis attente proſecutus es.

Qui naturalis hiſtoriæ , Botanicæ , Anatomiæ , Chymiæ detecta accurate collegit , coadunavit ; qui hiſtoriam phænomenorum vitæ in ſtatu ſano & ægrotante bene coordinavit , nulla inductione mixta hypothetica , ille ſummam artis poſſidebit , præſertim ſi ſevera analyſi generalia axiomata more Hippocratis condere didicit. Hoc opere immenſo peracto , ſimilia jungendo cum ſimilibus, methodo naturæ indagatorum , diſſimilia ſeparando , ille fragmenta magna catenæ medicæ obtinebit ; ſed fruſtra requiret ut ſit continua ; defectu obſervationum , plurima vacua inveniet. Qui artis limites protendere cupit , cognoſcat vacua , colligat ſedulo annulos amiſſos aut nondum repertos ; ſic inconcuſſa manebit ars medica ; ſic æterna veritas factorum & phænome-

norum lucebit : quinimo audacter dicam , etſi in medicina ſcepticus ſim recognitus , nulla ars nota a tam remoto ſeculo , tam numeroſa collecta poſſidet phænomena quam ars medica ; diſcant mali qui artem noſtram increpant, jam tempore Hippocratis æternas & veras leges medendi inventas, ſalubria & fecundiſſima principia a ſene Coo reperta , & non modo aphoriſtice ſeu ſenthetice propoſita , ſed etiam analytice ſtabilita : aſtronomia , phyſica , hiſtoria naturalis , botanica , ſicut antiqui cognoverunt illas , rerum peritis nec tantam copiam obſervationum , nec tot axiomata inconcuſſa ex innumeris obſervationibus petita offerunt.

Has obſervationes colligere debemus , has coadunare , ut regulas aphoriſticas in promptu habeamus , ſedulo & attente debemus. Jam ſummi in arte viri hoc penſum peragendum ſibi ſump-

ſerunt : hoc ſeculo, duo ſtupendi profeſſores, eodem acumine ingenii præditi, telam ſuo more texerunt, Boerhaavius & Stahlius ; ambo poſt collecta facta & obſervata omnium ſeculorum, ea coordinare voluerunt & adunare cum principiis ſuis hypotheticis. Sed, ut quid cogitem dicam, labor utriuſque ſtupendus in omnibus partibus ſummam aciem mentis exhibet ; at aurei annuli catenæ medicæ filis araneis mihi videntur paſſim connexi. Maneant fragmenta catenæ ſolide connexa ! removeantur telæ araneæ ! veræ divitiæ largiuntur bonas fruges, non vero crepundiarum collectiones.

Quam ſapientiori methodo doctrinam medicam propoſuit Celſus ! quam tutius noſtro ſeculo exaravit Lieutaudius ! hos imitari debemus, removendo incerta, vacua adimplendo, inconcuſſa phænomena connectendo. Sed quanam

methodo uti debent medici, ut doctrina practica ſtabiliatur ? Fateri debemus veterum monumenta non eſſe omnia extra dubia ; æquali aſſertionis tono fabuloſa in medicamentis propoſuerunt. Quaſnam ſpecies naturalium cognoverunt, nunc ignoramus : unde periti rerum ſtatuerunt, omnia de novo illorum medicamenta analytica methodo verificanda. Plurimi ſpecies morborum methodo naturaliſtarum coordinarunt : jam Hoffmannus in ſyſtemate medicinæ rationalis claſſes quaſdam propoſuerat, plurimaſque ſpecies ſolide expoſuerat ; jam antea Platerus ſymptomaticam methodum delineaverat ; Sydenhamius hanc contexendam clinicis propoſuerat ; jam Mortonus pro phthiſi, Marcgravius pro arthritide, Chicoineau pro variolis ſpecies plurimas deſcripſerant. In ſepulcreto Bonneti & in aliis obſervatoribus numeroſæ extabant ſpecies ſat bene

circumſcriptæ : unde jam ſparſa doctrinæ veræ erant membra. Clariſſimus noſter profeſſor Sauvageſius audaci animo, probante Boerhaavio, hanc telam immenſam texendam ſibi ſumpſit ; ſed etiamſi a primo conamine ad ultimum triginta anni ſint elapſi, vix per aliquot annos hoc opus ſerio elaboravit ; ſi attentiori lectioni, ſi accuratiori obſervationi, ſi animo hypotheſibus libero, ſi minus inquiſitionibus phyſicis, mathematicis & botanicis per octo luſtra indulſiſſet, certe plenius opus orbi medico propoſuiſſet : attamen bona illius fuit delineatio. Sequantur propoſitum tanti viri diſcipuli ; colligant obſervationes bona fide exaratas ; ſimiles delineent, non mixto fallaci ratiocinio ; dicant quæ viderunt ; præſertim quid natura in morbis valeat & ferat, candide aperiant ; hiſtoriæ mortuorum ſint in illorum ſcriptis fre-

quentes, ſicut ſunt in ſocietate; non imitentur Hoffmannum alioſque ſimilis farinæ medicos, quorum opera ſedulo ſucceſſus exhibent, nunquam vero aut raro funeſtos caſus; ſequantur potius exemplum Haenii, qui in ratione medendi infortunia ſua candide narravit: tunc ſi non completa, ſaltem vera morborum hiſtoria obtinebitur; tunc tantum novi Boerhaavii aut Stahlii, nullis theoriis imbuti, ex innumeris iſtis obſervationibus veros & inconcuſſos aphoriſmos condere poterunt. Sed nunc, in ſtatu præſente ſcientiæ, audacter dicam, nullam fere morborum claſſem ſat elaboratam analyſi, ut ſynthetice proponi poſſit; unde, amice colendiſſime, tecum ſæpe riſum vix retinere potui, quando ſimul legimus compendia iſta medicinæ a peritis ceteroquin profeſſoribus exarata, qui nervoſe omnia & aphoriſtice proponentes,

tractant artem tanquam jam perfectam. Contra ſereno vultu legimus hos egregios autores, qui, generalia garrulis profeſſoribus derelinquentes, ſpecialia obſervata nobis tradiderunt : enimvero in ſtatu actuali rerum peritis magis placebit una morbi rari aut omiſſi obſervatio rite delineata more Haenii, quam grande volumen reconditas theorias exhibens : ſcio juvenes profeſſores pruritu theoriarum vexari ; ſed ſcio experientia, maturiori ætate has vanas ipſoſmet judicare ; teſtem adduco Swietenium : lege duo priora volumina ante quadrageſimum annum ſcripta ; ubique ſplendet & micat theoria ; omnia phænomena explicantur : ſed lege etiam ultimos tomos ; in his videbis prudentem clinicum obſervata tantum concatenata plerumque proponentem, omiſſis ſplendidis ratiocinationibus : lege legitimos Hippocratis

libros ; quaque pagina phænomena enarrantur, neglectis conſequentiis ratione evolutis. Sic in phyſiologicis ſummus tractabat Albinus ; ſic tandem Hallerus ; ſic in poſterum omnes qui, experientia ſeculorum elapſorum eruditi, non vana momenta proponere cupiunt, ſed ſolida obſervata, ſæpe verificata, quærunt.

Peracta hiſtoria adæquata morborum, majus opus practicis reſtat peragendum. Loquor de curatione tot ſpecierum morborum. Primo inſpectu, immenſum videtur opus : analyſis ſpecierum morborum jam fere tria millia aut definita aut deſcripta indicavit ; ſed ſimilia quoad principia bene cognita adunando minuitur numerus, & ad pauca genera reducitur. Credere fas eſt, etiam non adhibitis momentis numeroſis quæ hanc theſim comprobant, omnes inflammationes ſimilia remedia requirere ; idem ſen-

tiendum de pleriſque febribus ; ſpaſmi plurimi , convulſiones pauca agnoſcunt principia. Unde concludendum pauciora requiri medicamenta. In omnibus morbis , aut natura aliquid vi vitæ tentat ad emovendas cauſas , aut inſtinctu appetit viribus ſuis proſtratis ; clinicus hos inſtinctus , hæc molimina cognoſcens , mox invenit tutas indicationes adimplendas. Sed , ut in hoc graviſſimo momento mens mea apertior evadat , ſit pleuritis pro exemplo : ſuppono ægrotantem abſolute naturæ viribus derelictum , ſicut vidi unum qui præjudiciis obcæcatus abſolute venæ ſectionem recuſavit. Primis diebus , ſputa cruenta evadunt , aut ſupervenit hæmorrhagia narium ; clinicus , etiamſi prorſus ignoraret quid ſit inflammatio , quiſnam ſit ſtatus ſanguinis in hoc morbo , audacter in alio ægrotante venam ſecat & videt levamen do-

lorum, ſicut poſt hæmorrhagiam ſpontaneam aut poſt ſputa ſanguinea copioſa. Pleureticus noſter ſiti vexatur, appetit aquam temperatam cum diluentibus emollientibus medicamentis: quo magis bibit appetita, eo facilior evadit exſcreatio ſputorum, madida fit lingua. Hunc inſtinctum ſequatur clinicus; concedat potum deſideratum pro ſiti ſedenda: in nonnullis pleureticis lingua amara cum faſtidio carnis, cum conatu vomendi, paſſim cum vomitu; qui miro modo lenit dolores & minuit atrocia ſymptomata, det, in hoc caſu, alteri ſimili ægroto emeticum lene: tunc adhuc tuto imitetur naturam; ſed rarus eſt in praxi hic caſus. Nunquam igitur ex hoc raro generalem condat regulam pro omnibus pleureticis. Sit febris, cauſus, ardens, naturæ viribus relicta; pulſus adeſt durus, cutis ſicca, urens, lingua nigra, tor-

rida, ſicca, capitis dolor immanis, atrox; mox ſupervenit delirium; intus ſicut extus ſenſum ardoris ægrotans ſentit: detentus lecto ſub ſtragulis, in cubiculo calido omnia augentur ſymptomata: ſitis urget, appetitus nullus, æger enixe petit aquam frigidam, fructus acidos devorat, delectatur aëre frigido; ſibi derelictus, etiam furens, ſe in aquam projicit; ſæpe, tertia die, ſupervenit hæmorrhagia narium; hæc videns, ſic in ſimilibus ægrotis indicationes adimpleo: initio, venam tundo, balnea præſcribo, aquam acidulam copioſe bibendam concedo, ptiſanas ex fructibus acidis paro, decocta avenacea pro victu, propter horrorem carnis, offero, aërem temperatum & frigidiuſculum procuro, extraho ægrotum e lecto, tollo ſtragula, enemata ex aqua injicio: hac methodo e naturæ inſtinctu & operationibus deducta, leniuntur

ſymptomata ; paulatim coctio materiæ morbificæ ſupervenit, & die 7 au 14 lætus obtineo evacuationes criticas ex alvo & ſudoribus. Variolæ alterum nobis ſuppeditabunt exemplum energiæ naturæ pro debellando atroci veneno : neſcio quomodo antiqua methodus potuit præſcribi, & tum medicorum, tum populi mentes faſcinare. Vidi numeroſos ægrotantes, naturæ inſtinctui derelictos ; primis diebus, ægroti nihil appetunt, faſtidium omnium ciborum ſentiunt, libenter bibunt, febre furente ; quærunt aërem frigidiuſculum, tollunt ſtragula, copioſe acidas ptiſanas bibunt ; eruptione peracta, ſitis pacatur, minus bibunt, ſed vix appetunt cibos ſolidos ; offas libenter comedunt ; ſuppuratione peracta, iterum febris in confluentibus, iterum ſitis ardens, iterum faſtidium ciborum, appetitus vehemens liquidorum ; deſſica-

tionis tempore ceſſat febris ; appetitus redit : tunc nutriantur ægroti ; initio paſſim ſupervenit hæmorrhagia narium, aut menſtrua ſalutaria fluunt : poſt quæ minuitur febris & pacantur atrocia ſymptomata, convulſiones, delirium, oppreſſiones, dolores capitis, colicæ ; tunc pulſus celerrimus, durus, plenus ; rubent oculi, eminet delirium. In altero ægroto tuis curis commiſſo, audacter imita naturæ hæc conamina : venam tunde.

In nonnullis varioloſis adeſt inſita proſtratio virium ; appetunt hi vinum & cardiaca ; concede illis abſque metu ; nunquam natura fallit clinicos qui bene attendunt ad illius appetitus. Vides, amice, quomodo, neglectis theoriis & cauſis occultis, clinici qui rite morbos acutos ſub regimine naturæ curatos enuclearunt, illius tuto molimina imitari, fovere & adjuvare poſſunt. Sic

praxim clinicam adimplevit divus Hippocrates ; ſic ſuas quæſivit , & invenit indicationes alterum lumen artis Sydenhamius : ſic Stahlius germanos ſuos tractavit ; ſic Haenius Vindeboni indicata quærebat & inveniebat. Hæc praxis inconcuſſa in æternum manebit, etſi quando ſeculis proximis morborum veræ theoriæ proponentur , nihil his mutatum in praxi Hippocratica ; firma fuit & felix ante theorias , firma poſt has inventas manebit. Creator obtuſum hominis ingenium cognoſcens , nec regulas curationis morborum illius ſagacitati dereliquit, nec regulas morum. Ante ſtabilitam a Socrate moralem , homines innumeri fuerunt honeſti & virtute præditi ; Deus omnibus nobis fundamenta honeſti in corde delineavit ; conſcientiæ impulſui obtemperando evadunt homines caſti , moderati , ſobrii , religioſi , fideles , humani ; ante conditas leges

leges curationum ab Hippocrate, innumeri barbari graviſſimis morbis fuerunt ſponte ſanati, inſtinctui naturæ obedientes. Primis temporibus, homines ſobrii & robuſti paucos cognoverant morbos; natura ſola ſanabat vulnera, fracturas, febres, ſicut nunc ſanat: ſed poſt ſocietates ſtabilitas vitia undique cum novis morbis pullularunt; ratio incrementa ſumpſit cum vitiis & labe conſtitutionis; morbi fuerunt multiplicati; ſed caſu, tentaminibus fortuitis numeroſa inventa fuerunt medicamenta, quæ, bene probata pro tali ſpecie morbi conſtituunt empiriſmum rationalem, alterum doctrinæ noſtræ fundamentum: ubique viguit empiriſmus ante conditas academias; ubique pretioſa invenit medicamenta. Dicant mihi celebres Profeſſores theoretici, quot ſpecifica invenerunt, comparando cum inventis ruſticorum & barbarorum? Quis

invenit uſum internum ferri, mannam, caſiam, rhabarbarum, ipecacuanham, corticem peruvianum, lobeliam ſiphiliticam, ſpigeliam antelminthicam? ſuntne Boerhaavii, Swietenii? barbari Americani aut ruſtici Europæ, Aſiæ, hæc & alia medicamenta detexerunt, hiſque & ſimilibus plurimos graviſſimos morbos ſanant, quos fruſtra tractant Medici academici? Sed quot adhuc hodie plantæ vix a Medicis examinatæ, a ruſticis cum ſtupendo effectu præſcribuntur! has negligunt practici elegantes, ſemper ex theoriis indicationes quærentes; farraginem medicamentorum inutilium præſcribunt, plerumque omiſſis efficacioribus, nuda experientia comprobatis. Hæc omnia revolvens, optavi ſemper ut antiquorum medicamenta, etiamſi primo aſpectu abſurda, ſi theoriam conſulamus, de novo cum dubio præſcribantur. Hic nec audiendi

Chymici ; nam decies comprobavit praxis medicamenta quæ reprobat chymia, cinnabarim, æthiopem mineralem, viperas, efficacia utiliſſimaque evadere auxilia. Forte mox novum argumentum ſuppeditabit lacertus agilis, ſi noviſſimæ propoſitæ obſervationes, quæ hunc lacertum ſpecificum laudant contra cancrum, carcinoma, & luem veneream, confirmantur ; ſed triumphus empiriſmi eluceſcit quando analogiſmo ducitur rationali. Sint viginti diverſæ naturæ medicamenta, empiria detecta, pro viginti diverſis morbis : analogia ducti ad ſimiles morbos quoad genus, ſimilia aut analoga medicamenta nondum probata jure proponere, ſalva conſcientia, poſſumus. Ex his patet, ad locupletandam praxim medicam, tria principia tuto adoptari poſſe : 1°. autocratiam naturæ in pleriſque acutis & in plurimis chronicis ; 2°.

empiriſmum rationalem ; 3°. analogiſmum rigoroſum.

Qui imbutus ſolidis notionibus anatomicis , chymicis & hiſtoriæ naturalis , hæc tria principia bene tenet , & evolvere more antiquorum cognoverit , ille ſolus artem utilem promittere poterit , ille ſolus hanc artem ditabit.

Certe qui varia jam allegata ponderabit , nobis concedet tria hæc principia , autocratiam naturæ , empiriſmum , analogiam , inconcuſſas veritates medicas ſtabilire poſſe : unde qui cum Italo quodam collectiones veritatum medicinalium colligere vellet , hos tantum fontes aperire deberet ; ſed non ideo vellem eliminare omnes notiones theoreticas : eclecticus Medicus , etſi ſcepticus , non recuſo omnem theoriam : e contra ex omnibus aliquid depromi poſſe utile firmiter credo. Olim dixit philoſophus omne falſum vicinum

eſſe vero. Idem dici poteſt quoad doctrinas theoreticas. Certe nollem dicere omnes morbos provenire a ſtricto aut laxo fibrarum; ſed evidenter ſcio in pleriſque adeſſe aut fibras laxas aut nimium tenſas. Temperies Galeni in omnibus veras non agnoſco; ſed evidenter palpabiles in plurimis morbis invenio. Pituitam vitream, aut ſeroſam colluviem, nunquam tanquam omnium morborum principium agnoſcam; ſed vere exiſtentem & evacuatam in plurimis morbis vidi. Nec repudiabo atram bilem antiquorum, etſi non æque frequentem in praxi invenerim. Acrimonias non admittam omnes Boerhaavii, ſed non refellam omnes. Certa eſt acrimonia acida in nonnullis morbis infantum & in hypochondriacis, certa muriatica in aliis: nec ſpiſſitudinem humorum in omnibus accuſabo morbis, nec fluiditatem nimiam humorum, ſed

in inflammationibus & in ruſticis vidi ſanguinem ſpiſſiorem , quam in chloroticis puellis & ſtudioſis , aut ſcorbuticis. Mechanicas leges non ſolas accipiam pro explicandis omnibus phænomenis : paſſim tam evidentes ſunt vires iſtæ mere mechanicæ , ut in totum removere ex œconomia animali non poſſum. Nec dicam cum Stahlio animam , ſeu ens non materiale, volens & judicans , organa vitæ regere , ſervare ſanitatem , functiones immediate gubernare ; ſed fatebor pleraque organa pleraſque functiones vix obedire poſſe legibus mechanicis : adoptabo guſtum ſpecialem in plurimis organis , variaſque phantaſias ; uterus mihi erit tanquam animal appetens , agens , furens in alio animali ; ventriculus juxta me paſſionibus variis , inſtinctu nullo modo mechanico potitur ; cum Lacaſio ſenſationes vividas in centro phrenetico

ſentio, & centies obſervavi; ſed non ideo omnia cum Borduſio phænomena ad hanc ſimplicem ſenſationem referam. Credam cum Harveio circulationi ſanguinis, ſed nullo modo cum Hoffmanno aſſeram, ſolum hoc eſſe phænomenon principium univerſale medicinæ; dicam e contra mille modis contra leges hydraulicas modificari circulum ſanguinis. Credam cum Borduſio pulſus miros modos juxta paſſiones animi, tempora & ſpecies morborum; ſed non admittam poſſibilitatem cognoſcendi has omnes modificationes; nec inde, etiamſi cognoſcerentur, extenderem ad prognoſim ſpecialem morborum, quia pulſus iſtos & criticos, & irritationis tempore, ſæpe alteratos vidi, nec modificationes a Borduſio delineatas conſtanter exhibentes. Etiamſi non ſim Stahlianus,

plurimæ tamen tanti viri aſſertiones theoreticæ placent, quia congruas cum obſervationibus inveni: ſic magnificam doctrinam de morbis ætatum, quam poſt Hippocratem tam vere pinxit, ſic imperium venæ portæ, porta malorum, ſic fluxus & refluxus humorum e centro ad peripheriam, & a peripheria ad centrum, certa ſunt phænomena, ſæpe ſæpius a me obſervata. Hæc doctrina & aliæ plurimæ hujus ſummi ingenii placent & placerent, etiamſi non Stahlius propoſuiſſet; placent, quia propria autopſia veras inveni, & reluctantibus fanaticis, etiamſi ſemper amaverim anatomiam, chymiam, hiſtoriam naturalem, botanicam, dicam omnibus cum Stahlio, bonum, imo optimum concipi practicum, fere hoſpitem in minutiis anatomiæ, in arcanis chymiæ, etiamſi vix noſceret animalia,

mineralia, plantas, quæ cognoſcebant veteres. Vidi cum Hallero tendines, ligamenta, membranas inſenſibiles in viventibus hominibus, & in plurimis beſtiis; ſed non ideo concluderem in nonnullis morbis hæc organa evadere non poſſe ſenſibilia & valde dolentia. Sic omnes theorias, antiquas & novas, ad lapidem Lydium experientiæ, ſeu autopſiæ propriæ revocavi; ſic natus eſt meus eclectiſmus, qui certa non pauca reliquit, ſed manſit antiquus ſcepticiſmus, qui plurima dubia reliquit, tum quoad cauſas vitæ, tum quoad cauſas morborum, majoraque relative ad modum agendi medicamentorum.

Verum tibi fateor: in tota claſſe morborum animi & nervorum, trutinatis omnibus theoriis, nihil ſervavi tanquam firmum & inconcuſſum: ſolus manet empiriſmus quoad diagnoſim,

prognoſim & curationem ; in paucis apertura cadaverum obſcurum lumen effundit ; ſed tam paucas accuratas poſſidemus tales aperturas, ut vix aliquid certi ſtabilire in hoc puncto poſſumus. Æque durus ſcepticiſmus vexat me quoad naturam febrium, præſertim acutarum, exanthematum, ſicut variolarum, & peſtis, hæc dubia nullo modo me vexant : etiamſi talia regnarent in omnibus partibus medicinæ, æque firma evaderet, dummodo empirice cognoſcam ſpecies morborum & medicamenta efficacia.

His omnibus expoſitis, habes, amice, quaſi profeſſionem fidei meæ erga artem medicam. Vides auctoritatem nec patrum nec profeſſorum me moviſſe : quæ certa vidi in praxi, certa agnoſco ; quæ a probis prolata, nondum a me tentata, hiſtorice firma credo,

ſecuraque conſcientia adhibeo. Varia nova collegi, quoad ſpecies morborum; varia tentavi medicamenta. Sic per viginti quinque annos natæ ſat numeroſæ annotationes, quæ ſparſæ jacebant in ſcriniis: ab aliquot menſibus; ſarcinas meas obtinui munificentia regis Poloniæ, te ſuadente & ſevera cenſura adhibita, ſegregavi utiliora aut nova, quæ typis mandavi.

Hæc collectanea ſub titulo *Adverſaria prima* divulgata, offerunt meras annotationes clinicas. Nec ratiocinia nec puras immediatas inductiones calamo permiſi: lectori corollaria deducenda reliqui. Tu ſagax, his perlectis, tres, ni fallor, utiles veritates demonſtratas invenies, quas in hac epiſtola ſynthetice indicavi: 1°. naturam morborum eſſe medicatricem; 2°. pauca ſimplicia & indigena remedia ſufficere ab adim-

plendas omnes indicationes ; 3°. clinicum in praxi his remediis evacuationes procurare , debilem naturam roborare , fortiorem debilitare poſſe. Vale.

GILIBERT,
Medicinæ Profeſſor.

Ex muſeo Lugduni Gallorum , 1 *januarii anno* 1791.

INTRODUCTIO.

In medicina, ſicut in aliis ſcientiis, duplici methodo veritas enuntiatur, aut analyſi aut ſyntheſi: prima methodo, obſervationes ſpeciales puri facti proponuntur; ſecunda, ſimilibus coadunatis factæ ideæ concretæ ſeu abſtractivæ allegantur. Tres magni momenti aſſertiones in his Adverſariis præcipue ſtabiliendas ſumpſi: prima, naturam morborum eſſe medicatricem; ſecunda, pro adjuvamento naturæ pauca ſufficere medicamenta & ſimplicia ubique communia; tertia, doctrinam practicam Medici coordinari poſſe ex meris obſervationibus, miſſis inductionibus theoreticis. Tres iſtæ enuntiationes priſcorum auctoritate aut cujuſque experientia ſtabiliri poſſunt. Utroque modo has corroborare tentabo.

Doctrina medica, etiam mera empirica, juxta hiſtoricorum teſtimonia ſat recens, relative ad durationem globi terraquei. Ante detectam medicinam quomodo conſervabantur corpora animalium, quomodo removebantur prin-

cipia nociva, niſi vi inſita organorum, ſeu natura? Gentes barbaræ, antiquæ & novæ, quæ ne nomine quidem medicam artem noſcebant & noſcunt, nonne ſanæ vivebant & vivunt, graviſſimiſque morbis ſanabantur & ſanantur? in Græcia barbara adhuc, in Germania, in Gallia, quomodo in graviſſimis morbis quærebant remedia? in templis deos fictitios implorantes ſani evadebant. Quiſnam Medicus in talibus caſibus? Natura noſtra, ſeu principium vitale quodcumque ſit. Olim & nunc, quare quiſque homo rariſſime ægrotat pauciſſimiſque morbis toto curriculo vitæ laborat, etiamſi totius naturæ corruptio, millenæquæ cauſæ, aër vitiatus, pravæ naturæ alimenta, potus, aliique influxus quaque hora ruinam machinæ moliantur? quia tali arte ſtructa machina humana talique innata vi præditaſunt illius organa, ut perpetuo motu putredinem inſtantem impedire poſſunt, ſecretionibus & excretionibus nociva, acria, heterogenea cujuſcunque indolis removere poſſunt.

Primus ſcriptorum has fundamentales inſtantias implicite aut explicite occupavit Hippocrates, duplicique methodo, analyſi & ſyntheſi, demonſtravit naturam, ſeu concurſum actionum vivarum, organorum ſanitatis eſſe conſervatri-

cem, morborumque medicatricem; modo generaliſſima enuntiatione hanc veritatem propoſuit, modo ſicut in aphoriſmis terminationes criſium enuntiando, ſimplici abſtractione, methodos varias quibus quæque ægritudo, natura agente, terminatur, expoſuit; ſed nondum his aſſertionibus contentus, in epidemiis ſpecialiſſimos caſus delineavit, quibus videre eſt quomodo in quaque ſpecie natura, & quibus excretionibus, materias nocivas foras extrudit.

Hippocraticam doctrinam de natura medicatrice propagarunt filii & diſcipuli; intacta viguit, etiam reluctantibus philoſophis, ad tempora Galeni, qui, etiamſi imbutus præjudiciis peripateticis, naturam morborum medicatricem & ſanitatis conſervatricem centiès in variis operibus declaravit, totamque praxim ſuam clinicam hoc principio ſtabilivit. Ante Galenum Romanus Celſus eleganti ſermone hippocraticam doctrinam jam civibus ſuis propoſuerat. Reſtauratis ſcientiis in Europa, ſeculo decimo quinto & ſexto, præſtantiores Medici hanc generalem veritatem, autocratiam naturæ includentem, occupaverunt, necnon defenderunt, in Gallia Hollerius, Duretus, Ballonius, Valleriola. Seculo decimo ſeptimo, Sydenhamius, anglus, doctri-

nam medicam jam diu hypotheſibus arbitrariis fœdatam, denuo firmare ſolido fundamento cupiens, naturam morborum medicatricem proclamavit, hujuſque in morbis tentamina proſequendo, praxim ſuam imitari unice propoſuit. Simili niſu Baglivius Romæ præcepta Hippocratis ſola in clinico exercitio tuta & utilia aperto ore pronuntiavit. Initio hujus ſeculi, Medici omnes, quorum ſcripta injurias temporum impune tolerabunt, autocratiam naturæ tanquam ſolam ſolidamque artis baſim agnoverunt: huc veniunt Stahlius, Hoffmannus, Boerhaavius. Etiamſi in theoria varia dogmata proponentes, quiſque horum ſpecialibus diſſertationibus hanc theſim de natura medicatrice propugnarunt, Boerhaavius in orationibus de Medici ſervitute, de ſtudio Hippocratico; Stahlius de autocratia naturæ; Hoffmannus de optima naturæ morbis medendi methodo: ſed non his contenti in variis operibus, ſpecialiſſimis aſſertionibus jura naturæ novis obſervationibus vindicarunt, præſertim Stahlius, qui in opere immortali *theoria vera* quaque fere pagina, inductiones lucidas ex autocratia naturæ deductas propoſuit, ultimiſque vitæ annis crudius adhuc in commentario tractatus Gedeonis Harvei *De expectatione*, naturæ ſacra privilegia in curatione

tione morborum propalavit, ultimiſque annis probe ſumma jura autocratiæ cognoſcens, pauciſſima remedia in morbis chronicis præſcribebat, nullaque vera in acutis. Poſt hos recentiſſimi, præſertim in Gallia, ſimilem fere doctrinam amplexi ſunt: Lieutaudius, Borduſius Pariſiis, Sauvageſius, Lamurius, Venelius, Leroi Monſpelii, naturæ privilegia ex cathedra & ſcriptis defenderunt. Lepida præſertim & concludens hiſtoriola, quam allegavit Borduſius in tractatu textus mucoſi, cribroſi Hippocratis, ſeu cellularis anatomicorum: duo celebres clinici praxim exercebant in noſocomio Monſpelienſi, pater & filius, ambo diverſis doctrinis hypotheticis imbuti: unus cathartica repetita in morbis præſcribere volebat, alter venæ ſectiones. Quaque viſitatione, diſputationes circa indicationes adimplendas naſcebantur; non erat tertius judex: re non pronunciata, ægroti nec purgati, nec ſanguinem ſectione venæ amittebant, bibenteſque ptiſanas mucilaginoſas, quieti in lecto, criſes expectabant, & felices obtinebant.

Qui varia Borduſii ſcripta attente legerit, etiamſi ſcepticum in omnibus inveniet, tamen ubique doctrinam hippocraticam quærentem & amantem judicabit. Sauvageſius, vere Stahlianus,

naturæ jura cognovit, centieſque in ſpecialibus theſibus, in noſologia methodica demonſtravit. Leroi, alter ſcholæ Monſpelienſis profeſſor, in pronoſticis & in tentaminibus de febribus ubique ſemita ab Hippocrate calcata proſequitur. Bartheſius, ſummo ingenio imbutus, altero nomine Stahlianus, principii vitalis energiam agnovit & demonſtravit, tum in oratione de principio vitali, tum in doctrina nova, tum in opere gallico. Venelius, ad ultimum ſuſpirium, carus mihi profeſſor, in omnibus prælectionibus mentem naturæ ſubmiſſam oſtendebat, variaſque proprias obſervationes, autocratiam naturæ confirmantes, tum in materia medica, tum in encyclopædia, ſed ſpeciatim in prælectionibus therapeuticis propoſuit. In his demonſtrabat doctrinam medicam tali fundamento innixam extitiſſe firmam, in poſterumque inconcutiendam exiſtere poſſe, miſſis omnibus theoriis. Eodem tempore, in Germania Haenius, Boerhaavii diſcipulus legitimus, quaque lectione, nomen Hippocratis honorifice pronuntiabat, diſcipuliſque in noſocomio practico ad quemque ægrotum veritatem immortalis ſenis Coi effatorum oſtendebat; has probationes experimentis corroboratas propoſuit in variis partibus rationis me-

dendi, nec non in prælectionibus in inſtitutionibus Boerhaavianis.

Ab anno 1760, ad annum 1764, ſimilia dogmata audivi ex cathedris Sauvageſii, Venelii, Leroi; ſed ex aliis diverſa prorſus aures meas feriebant. Fizius, Haguenotius, plerique doctores celebriores, in urbe tam decantatam Hippocratis doctrinam, lamentabilem mortis meditationem declarantes, nec criſes expectabant, nec naturæ jura in curatione morborum agnoſcebant; corpus humanum meram machinam eſſe aſſerebant, cujus rotas bene cognoſcentes, ſoli reparare poterant: unde doctrina ſingularis exſurgebat; acrimonias varias tanquam cauſas morborum, ſpiſſitudinem humorum, illorum copiam nimiam, ſaburras in primis viis, nimiam fibrarum elaſticitatem aut laxitatem incuſantes, harum exiſtentia convicti, in acutis venæ ſectiones, cathartica alternis diebus repetita, emetica initio morbi, mucilaginoſa contra acrimonias; in chronicis cum debilitate, martialia, aromatica, amara, &c. proponebant.

Magnum erat nomen Fizii, magnum Sauvageſii in tota Europa; juvenis inter utrumque pronuntiare debui: ſectator utriuſque ægrotos ſequendo, notavi eventus, terminos mor-

borum ; ſic in urbe aut noſocomio trecentas circiter annotationes exaraveram ſub finem tertii anni curriculi. Has combinando vidi ex utraque parte mortuos & ſanatos ægrotantes ; ſed, quod fatendum, ſanationes numeroſiores ex parte expectantium, &, quod valet, convaleſcentiæ illorum breviores. Hac experientia ſuffultus, nec non auctoritate antiſtitum artis jam allegata, pro gradu baccalaureatus theſim elegi *de Natura medicatrice*, præſide profeſſore Leroi, ſingularique modo adverſaria naturæ propugnavi.

Generales morbos juxta varios auctores theoreticos propoſui. In arenam traduxi Helmontianos ſanguinem abhorrentes, etiam in inflammationibus ; oppoſui Galenicis, præſertim gallicis, ſæpe ad 14 vices venam ſecantes in uno pleuretico ; ex utraque parte ſpeciales ſanationum caſus bona fide propoſitos allegavi. Emetica præſcribentibus in acutis opponebam numeroſos clinicos, Haenium præſertim, emeticum in hoc caſu tanquam venenum pronuntiantes. Cathartica alternis diebus prædicantibus allegabam auctoritatem expectantium, qui talia remedia initio morborum tantum indicabant quando turgebat materia, & ſub finem quando

coƈta erat. Ex utraque parte obſervationes citabam curatorum. In acutis calida proſcribentibus opponebam ſcholam germanicam totius ſeculi decimi ſeptimi, quæ his ſolis remediis febres traƈtabat. In chronicis polypharmacos debellabam, numeroſis allegatis exemplis talium morborum, ſola diæta tenui, motu, friƈtionibus, mutatione aëris ſanatorum. His allegatis, quiſque adverſariorum coaƈtus fuit fateri, ægrotantes eorum qui doƈtrinam ſuam non tenuerunt ſolis naturæ viribus conſervatos: unde pacate proclamata fuit viƈtoria Naturæ medicatrici.

Duravit diſputatio per duas integras horas; inter profeſſores venerandus ætate & doƈtrina Fizius, læſus quod ſuam doƈtrinam ubique Monſpelii & in pleriſque Galliæ provinciis triumphantem ampleƈtere ſubmiſſa mente recuſabam, poſt propoſitas leves difficultates, ſic pugnam terminavit: juvenis, tua doƈtrina non promittit opes, plebs amat remedia. Verum dicebat, ſed expertus fui generalem aſſertionem veram non extare Fizii. Plebs amat medicaſtros, ſed ſani plurimi laudant doƈtrinam Hippocratis expeƈtantem, libenterque conſilia ſequuntur Medicorum expeƈtantium.

Menſe auguſti, anno 1763, inſignibus doctoratus ornatus patriam ſalutavi: inſtinctu tantum cæco propulſus in templum Æſculapii, nec unum parentem, nec vicinum, nec amicum habens Medicum, tanquam advena viſitavi antiſtices artis, tum Medicos, tum Chirurgos, tum Pharmacopæos. Longos ſermones habui cum præcipuis, doctrinam celebriorum occupare volui, ſtupenda audivi, ſtupendiora vidi: quid vetat dicere verum? Mortui ſunt omnes hi coryphæi artis. In noſocomio vidi duos Medicos qui curſitando circiter mille, vix una elabente hora & dimidia, quaque die tractabant. Vidi in acutis prima die venæ ſectionem præſcribentes; ſecunda, emeticum; ſequentibus, alternis diebus, cathartica; hos agnovi Fizii legitimos diſcipulos, in urbe fama clari erant jam ſenes Peſtalozzi, Rame, Raſtius pater, Potot, non contemnendi propter doctrinam variam, ſed certe nullus inter hos medicinam hippocraticam ſequebatur. Juniores, Lilia, Boiſſieux, Garnier jam fidem publici olfacientes, doctrinam Fizii palam & aperte profitebantur. Sed ſedulo quæritando inveni doctorem Vitet, virum probum, bonis ſtudiis imbutum, palam theoriam mechanicorum repudiantem, ambabuſque ulnis

medicinam expectantem proclamantem. Ex altera parte, cognovi Raſtium filium, eloquentia, eruditione varia conſpicuum, qui mediam viam ſequendo, utpote Sauvageſii optimus diſcipulus, profeſſoris dogmata decantabat; ſed in praxi ſpeciali activam medicinam plus minuſve ſequebatur. Quaque occaſione libenter ſeniores medicos praxeos arcana ſuæ enucleantes, ſubmiſſo animo audiebam; ſed aut præjudiciis obcæcatus, aut ſplendore doctrinæ hippocraticæ vi abreptus, nec volui nec potui talium dogmata amplecti: attamen per tres integros annos, uſque ad finem 1766, noſocomium ſedulo frequentavi; caſus raros exarabam, morborum frequentium tres aut quatuor ægrotos, pro quaque ſpecie, ab introitu ad dimiſſionem proſequebar; bona fide ſymptomata, effectuſque remediorum annotabam. Medicus noſocomii conclavium dictorum Febricitantium *des Fiévreux*, etiamſi Fizii diſcipulus, bono ſenſu, variolas morboſque inflammatorios tractabat, vixque in his vera remedia præſcribebat præter venæ ſectionem in pleuritide, peripneumonia; dyſenterias etiam lenienti methodo dirigebat; in aliis febribus ſæpe ſæpius cathartica, ſed lenia, præſcribebat,

onuſtus turba ægrotantium, nam plerumque 600 quaque die dirigebat, coactus plurimum naturæ autocratiæ concedebat; ceterum vir probus, ingenio naturali præditus, libenter mihi ſequente ægrotos, indicabat caſus rariores; ſæpe prognoſim tutam allegabat. His tribus annis in urbe paucos pauperes proprio marte direxi ægrotantes juxta doctrinam quam tacite amplexus fueram. De novo hujus doctrinæ veritatem confirmare potui. Anno 1766, menſe auguſti, villam coemi ad tria milliaria Lugduni, in loco dicto *Chazei*, juxta amnem *l'Azergue*; in hoc amœniſſimo loco annum 1767, & alterum integrum trivi 1768. Poſt tres menſes omnibus vicinis notus, totam praxim clinicam meo jure exercere potui; pharmacopœus remedia mea parabam; chirurgus operationes peragebam; medicus præſcribebam, ſicut feceram antea, ſed accuratius omnium ægrotantium, aut brevi ſtylo, aut laxiori, hiſtorias bona fide exarabam, ſanationes aut mortes æqua cura notando: ſic paulatim creverunt ſat ditia Adverſaria. Sub finem anni 1768, nominatus in collegio Lugduneo profeſſor botanices in novis ſcholis reſtauratis, invitus dereliqui rura mea, ſalutavi ultima vice, plangendo, hortum meum raris

plantis jam ſuperbientem, prata mea quæ irrigando viridiora reddideram, vites quas plantaveram, de novo petii urbem. Hic, ab anno 1769 ad finem anni 1775, adimplendo munera profeſſoris botanices, anatomiæ, chirurgiæ, ſedulo animo clinicam praxim proſequebar. Jam notus, præſertim ultimis annis, ſat numeroſos imperantes ægrotos obtinui; ſed zelo imprudenti abreptus, volui hortum botanicum meis civibus procurare: a Domino *de Fleſſelles*, præfecto regio, *Intendant*, talis inſtituti obtinui licentiam: ille a miniſtris jus ſtabiliendi mox habuit, pecuniamque conceſſit: ſed mox implicitus fuit altercationibus miniſtri *d'Aiguillon* & theſaurarii *Terrai* qui hortum botanicum proſcripſit. Hac occaſione amiſi magnam pecuniæ ſummam ad quinque milliaria, collegiumque medicum, quod, meo ſuaſu, talem ſummam conceſſerat, eam etiam perdidit; dictus *Fleſſelles* me triſtem neglexit. Tunc ſcripſi immortali Hallero, cum quo commercium litterarium a tribus annis alebam, ſcilicet anno 1775, petii vacationem apud exteros: paulo poſt generoſus iſte vir mihi obtulit directionem ſcholæ medicæ comparatæ quam miniſter regis Poloniæ Tyzenauſen, Grodnæ ſtabilire deſiderabat. Talem ac-

cepi, profectuſque fui 15 auguſti ejuſdem anni. Tum Grodnæ, tum Vilnæ manſi ab anno 1775 ad annum 1783. Hic, non omiſſis officiis profeſſoratus, non omiſſis laboribus botanicis, praxim clinicam, tum in viciniis, tum in noſocomiis exercui; ſumma alacritate, ſicut feceram antea, notavi eventus omnium ægrotorum. His & aliis laboribus vires fractæ, ſanitaſque tali modo debilitata, ut amici omnes ſuaſerunt aërem patriæ; libenter obtemperavi. Igitur alacri animo ſalutavi caram patriam 15 aprilis anno 1783. Vix elapſo menſe, viribus reſtauratis, iterum ægrotos accepi, ſimilique conſilio annotationes clinicas omnium peregi. Deſignatus Medicus ordinarius magni noſocomii Lugdunei 24 ſeptembris anni 1784. Quaque die centum aut ducentos in hac domo vidi ægrotantes, omniumque ad medium anni 1789 morbos annotavi cum eventu fauſto aut funeſto. Sic ſpatio 25 annorum, paucis exceptis lacunis menſium, propter peregrinationes botanicæ gratia ſuſceptas, cum ephemeridibus tempeſtatum, omnium ægrotantium quos vidi aut tractavi, notulas exaravi; poſſumque aſſerere nullum hoc tam longo tempore diem elapſum meæ vitæ abſque ſcriptura. Inde natæ ſunt

quinque millia & ultra obſervationum aut annotationum variorum morborum. In omnibus ægrotis quos direxi, præcipue ſedulo quæſivi quid natura ferat aut faciat. Unde, ſi quis unquam, ex propria experientia illius autocratiam aut ſtabilire, aut infringere poſſum. Ex Adverſariis jam anno 1781 pro alumnis ſcholæ Grodnenſis collegium practicum extraxeram, ſcilicet caſus qui naturæ medicatricis modos offerebant, aut effectum paucorum ſimpliciumque medicamentorum ſtatuunt. Nudæ erant enarrationes abſque ratiocinio, vix paſſim permiſſa ſimplici inductione. Inter ſimiles caſus in Adverſariis conſignatos prætuli hos quorum teſtes fuerant alumni, ut convicti dimitterentur poſt lectionem obſervationis; ore ſymptomatum originem, cauſas exponebam, rationeſque curationis auctoritate antiquorum aut recentiorum demonſtrabam. Hos caſus nunc typis mando, paucis ad lacunas implendas ex antiquis noviſſimiſque Adverſariis intercalatis. In his ſcilicet 600 caſibus nuda factorum apparet veritas, nullo fuco oblinita.

Morbos diſpoſui juxta affinitates præcipuorum ſymptomatum, nulli addictus theoriæ, eccle-

ticus Medicus naturaliſta, cauſarum vix unum verbum affero.

Nunc ſequendo eumdem ordinem ſynthetice proponam quidquid generaliter verum & inconcuſſum apparuit circa autocratiam naturæ in vitiis & ſolutionibus continui, utpote juxta noſtrum ſenſum elementa morborum internorum: in aliis Adverſariis, ſi iſta utilia judicantur, ſucceſſive alias morborum claſſes dabo eadem methodo elaboratas. Noſologia clariſſ. Sagari filum telæ conceſſit: hanc adoptavimus, 1°. quia ſplendet pura abſque mixtis ratiociniis; 2°. quia eſt compendium methodi quam a primis noſtris obſervationibus ſecuti fuimus, utpote exaratam a cariſſ. profeſſore noſtro Sauvageſio. Sagari aut Sauvageſii definitiones generum noſtras fecimus quotieſcumque, ut plurimum evenit, morborum quos obſervavimus, veram picturam repræſentarunt.

CLASSIS PRIMA.

VITIA.

Syndrome ſymptomatum cutaneorum in ſolidis, levidenſium, palpabilium ſine febre, cachexia, manifeſtis.

VITIA ſunt plerumque germina aut principia graviſſimorum morborum internorum ; igitur in his 1°. noſcendum quid valeat aut ferat natura. Præcipua genera quæ praxis mea occupavit ſunt ſequentia.

ORDO PRIMUS.

MACULÆ.

Mutationes coloris nativi.

I. *Leucoma*, macula corneæ pelluciditatem vitians, opacans ; quando inſtar nebulæ poſt variolas, aliquoties ſola naturæ energia diſſipatam vidi ; vera opaca, quæ eſt cicatrix ulcerationis, alba dura, nullam uec naturalem nec artificialem medelam admittit. Vidi imperita manu aut corroſivis applicatis ophthalmias atroces ; nec non ſuppurationem plenariam oculi, quæ extirpationem organi neceſſariam reddiderunt. Species a duri-

tie, figura, colore, nominales ſunt & inutiles.

II. *Vitiligo.* Macula corymboſa cum cutis depreſſione, locum fixum non ſervans in quo naſcatur.

Vidi maculas flavas partiales paulatim ſponte evaneſcentes.

III. *Ephelis.* Maculæ umbrinæ, glabræ, corymboſæ, raro partes tectas afficientes, acquiſitæ.

Solaris, æſtate actione ſolis acquiſita, hieme diſſipatur ſponte: quaque menſe videmus ſervas e rure advenas, macula continua fuſca faciei, manuum, defœdatas, quæ ſponte diſſipatur poſt aliquot menſium manſionem in urbe.

Maculæ igniales ab igne foci, in tibiis ſubflavæ, rutilæ, umbrinæ, quas, vix elapſo vernali tempore, ſponte quolibet anno evanidas invenimus.

Lentigo, gallice *Lentille*, ſeu macula corymboſa ex minoribus, lentis formam & colorem referentibus, flava aut brunnea in facie. Talem habuit infans brunneam: lenticulæ vix ſeparatæ in tota facie, ſponte abierunt ante annum 15 ætatis; centies vidi tales abſque remediis topicis ſanatas: unde videre eſt quid valeant decantati liquores iſti coſmetici.

Vitiligo lutea recens natorum, quam ſæpe obſervavi, poſt evacuationem meconii cito ceſſat, nullo præſcripto carthartico.

IV. *Nævus.* Macula congenita, eminens, vel non, ſupra libellam cutis.

Paucos vidi infantes abſque nævis : ſæpe lentes fuſcæ pilis onuſtæ, ſæpe maculæ latæ coloris rubri ; vidi acinos ribeſiæ imitantes cum granis paſſim dolentibus. Nunc Lugduni vivit mulier, cujus tota facies macula rubra congenita defœdata eſt, nec ſpontanea nec artificialis hujus vitii ſperanda ſanatio.

V. *Ecchymoma.* Macula nigricans vel atrorubra, cærulea, liveſcens, in gilvum ſucceſſive deſinens colorem, a ſanguine in adipoſam membranam ſub cute effuſo. Vidi tales a contuſione, compreſſione, ab errore menſtruorum ſponte ſanatas: majorum allegavi exempla in Adverſariis. Noviſſime amicus ſanguinem extravaſatum ad angulum externum oculi ſiniſtri exhibuit ; a plurimis diebus prono capite myops ſcribebat ; quiete, ceſſata ſcriptura, poſt tres dies maculam gilvam vidi diſſipatam poſt octo dies. Sanguis ſub ungue extravaſatus lentius evaneſcit, ſicut ipſemet expertus fui poſt contuſionem extremitatis indicis ; poſt duos menſes adhuc pertinaciter apparebat macula liveſcens.

ORDO SECUNDUS.

EFFLORESCENTIÆ.

Aſpredines, cum cuticulæ elevatione ultra libellam cutis, humorales, exiguæ, gregales, abſque pyrexia.

VI. *Puſtula.* Phyma aut furunculus, linearis diametri, ſuppurans, faſtigiatus, pure dehiſcens, quandoque in cruſtam abiens.

Sæpe tales paſſus juvenili ætate. Sentitur dolor levis, pulſatio arteriolæ; ſunt conſiderandæ tales puſtulæ tanquam rudimenta phlegmonum. Sponte diſſipantur poſt inflammationem aut ſuppuratione aut cruſta.

VII. *Papula.* Phyma parvulum, ſeu effloreſcentia deſquamanda nec ſuppurans.

Plurimæ mulieres, textus cutanei ſenſibilioris, ſæpe tales numeroſas papulas offerunt. Sunt quaſi elementa rubeolarum, miliarium; ſponte ceſſant. Frigus excitat albas *chair de poule*, calor rubras.

VIII. *Phlyctæna.* Veſicula parva, fluido ſeroſo plena, quæ deinde ſponte rumpitur & fundit ſerum abſque pyrexia.

Tales phlyctænas in oculi bulbo, in palpebris ſponte ſanatas vidi; ſed aliquoties mortis futuræ

futuræ nunciæ, etiam abſente febre, in ſenibus: tales ſucceſſive evolutas majores & parvas in tota ſuperficie corporis obſervavi in homine ſeptuagenario. Bis uno anno hanc depurationem expertus eſt; ſerum acre manabat, pruritus excrucians; ſed ſecunda vice ſupervenit magna debilitas, aſthenia, anorexia, delirium pacatum: mortuus eſt poſt deſſicatas phlyctænas. Lege in Adverſariis pemphigum.

IX. *Bacchia.* Maculæ rubræ vel effloreſcentiæ naſi aut faciei, guttatæ, plus minuſve prominentes, aſperæ, furfuraſcentes, diuturnæ.

Noſco plures familias, in quibus omnibus poſt 25um annum facies tota aut naſus maculis rubris defœdatur, etiam ſobrie viventibus, aquam puram bibentibus. Poſt 50mum annum debilior color; tandem ſenectute diſſipatur. Bacchia roſacea cum levi pruritu in ebrioſis non modo naſum, faciem aggreditur; ſed in nonnullis vidi totam corporis cutem ruberrimam.

Bacchia herpetica, meri herpetis initium, non vera ſpecies.

Bacchia lactentium, nec ſpecies vera, eſt initium cruſtæ lacteæ.

Bacchia varioloſa, ſeu maculæ poſt deſſicationem variolarum ſponte evaneſcunt.

Bacchia febrilis. Maculæ brunneæ, nigricantes, cum levi inflatione partis naſi, dorſi,

clunium, gangræna, incipiens ſignum mortis imminentis in febribus remittentibus amphemerinis.

Bacchia ſiphilitica non eſt ſpecies realis, ſubſequela ſiphilitidis. Puſtulæ rubræ duræ, apice ulceroſæ, ſupra frontem, naſum, genas erumpentes, facile liquore Swietenii profligandæ.

X. *Varus.* Tumor piſi magnitudine, durus, non ſuppurandus aut deſquamandus, pertinax in cute.

Sicut verruca paſſim lapſu temporis ſponte evaneſcit: plerumque nunquam reſolvitur.

XI. *Herpes.* Papularum prurientium corymbus in ſquamas furfuraceas fatiſcentium.

Herpes ſimplex vix pruriginoſus (*dartre farineuſe*) mera eſt depuratio in juvenibus, vix durans, ſponte vix elapſo menſe diſſipatus: tales juvenis ſæpe expertus fui.

Herpetem ſerpiginem, in quo pruritus major, humor acris de loco in locum ſerpens, ſola ptiſana glycyrrhizæ aut corticis orni diſſipatum vidi, paſſimque talem ſola energia naturæ: morbus depuratorius.

Herpes depaſcens, ſola varietas præcedentis, ſetaceo aut cauterio aperto, repetitis catharticis & ptiſana glycyrrhizæ, applicato extus extracto ejuſdem radicis, cedit.

Periſcelis. Herpes circa poplitem; mera varietas. Collaris, circa collum in ſacerdotibus; etiam

varietas. Idem judicium de papulari: plerumque ſponte diſſipantur. Siphiliticus, ſymptoma luis venereæ. Plures ſanavimus liquore Swietenii.

Zoſter, herpes inſtar cinguli in pectore. Vidi ſubſequelam febris remittentis lethalis.

Epinyctis, ſeu puſtulæ atro-rubræ, eſt ſymptoma febris ſpecialis depuratoriæ infantum, quæ ſponte ſanatur.

XII. *Pſydracia.* Effloreſcentia eryſipelatoſa, abſque febre notabili.

Fictitium genus morbi, ſi tale admittendum, duo genera dabunt variolæ, ſeu diſcretæ, nonnullæ vix pyretæ, & aliæ cum febre. A punctura inſectorum, ab urticatione pſydraciæ provenientes certe ſponte quaque die ſanantur.

XIII. *Hydroa.* Exanthemata granis milii magnitudine & forma ſimilia, ſubito exorta, phlyctænoidea, fugacia, abſque aſthenia, pyrexia & prægreſſa oppreſſione præcordiorum. Rubra ſunt aut alba.

Prima elementa generum graviorum febris miliaris: ſæpe talia rubra in infantibus juvenibuſque vidi, duorum dierum ſpatio ſponte ſanata; alba ſæpe vidi in puerperis uno aut altero die perſiſtentia. Cæterum hydroa alba & rubra ſæpe ſymptoma febrium poſt ſudores criticos in continuis & intermittentibus & remittentibus.

ORDO TERTIUS.

PHYMATA.

Tumores humorales, ſolitarii.

XIV. *Erythema*, phyma rubrum, calens, diffuſum ſine febre, genus fictitium, elementum eryſipelatis.

Spontaneum, fugax, uniforme, cujus digito prementi cedit rubedo, ſponte quaque die ſanatur. Eſt eryſipelati, ſicut variola benigna inſita eſt variolæ confluenti, erythema neonatorum ab acrimonia urinæ, ſtercorum; occupat clunes, ſcrotum, vulvam: applicata aqua ſæpe repetita ſponte ſanatur. Tali ſæviente, propter dolorem clamant die & nocte infantes. In pernionibus rubor cum tumore glabro, duro, pertinaci, pruriginoſo, hieme ſæviens: fratres & ſorores mei huic vitio valde obnoxii, ego nunquam tale ſentii. Ulcerantur ſæpe perniones; lenta adeſt ſuppuratio; ruſtici pueri naturæ ſubmiſſi citius curantur quam nobiles.

Nonnulli etiam adulti perniones exhibent; in plurimis ceſſant poſt pubertatem.

Paratrimma. Clunes in æquitantibus, pedes in pedetibus, & manus operarum, hac ſpecie erythematis afficiuntur: quiete ſponte ſanatur.

Muliebre, in facie, a refluxu ſanguinis menſtrui; adaucto tali fluxu, aut applicatis hirudinibus in facie interna femorum, ſanatur. Vitium

frequens poſt 40um annum in mulieribus hujus urbis Lugduni. Tali modo defœdantur hoc vitio pulcherrimæ feminæ, ut vix poſt paucos menſes agnoſcantur.

XV. *Œdema*. Phyma album, frigidum, indolens, molle, foveam ex preſſione digiti ſervans plerumque.

Symptoma eſt leucophlegmatiæ dictum, flaccidum, cryſtallinum, ſeu præputii penis: eſt plerumque ſymptoma ſiphilitidis. Perioſteale, ſeu ſeparatio perioſtei ab oſſe poſt fracturas obſervatur, aut eſt ſoboles luis venereæ. Inflatio hyſterica eſt ſymptoma hyſteriæ, inflatio varioloſorum merum ſignum. Lacteum exhibet veram ſpeciem, quam aliquoties obſervavi ſponte ſanatam una vice circa genua: ſed juvanda natura repetitis lenibus catharticis. Urinoſum ſequela iſchuriæ renalis: eſt prodromus apoplexiæ futuræ, ſi occupat faciem & collum. Œdema criticum ſæpe vidi poſt febres tertianas, præſertim anno 1783, quod ſponte ſanatur, juvantibus frictionibus cum infuſione labiatarum. Purulentum per metaſtaſim poſt febres remittentes aliquoties inveni, quorum exempla ſuppeditavi in Adverſariis. Pejus iſtud, quod ſequitur febrem amphemerinam: aut arte aut ſponte abſceſſu aperto, pus contactu aëris corrumpitur, ſanioſa exſurgunt ulcera, febris lenta, aſthenia, mors. Talis exem-

plum ante duos annos vidi in femina 50 annorum nata: metaſtaſi œdema purulentum totum fere femur anterius occupabat; ſubtus aponeuroſim faſciæ latæ; facta inciſione a fratre ægrotæ, chirurgo perito, puris copia ingens fluxit; ſed poſt tres dies fœtor horrendus ſupervenit, carnibus nigris: inde febris, delirium, mors.

XVI. *Emphyſema.* Phyma cuti concolor, elaſticum expreſſione aut percuſſione crepitans.

Symptoma in vulneribus nonnullis aut effectus nefandæ malitiæ; ſponte ſola contractione cutis aër emittitur. Cæterum, iſtud eſt elementum ſingularis morbi interni, ſola apertura cadaveris detecti: vide Adverſaria.

XVII. *Inflammatio.* Tumor ſphæroideus, rubore, calore, tenſione, dolore pulſatili inſignis, ſolitarius, plerumque ſat extenſus, in ſuppurationem ſponte vergens. Si adeſt febris, phlegmo vocatur.

Inflammationes & phlegmones ſunt elementa plurium morborum internorum graviſſimorum, ſeu pleuritidis, peripneumoniæ, nephritidis, hepatidis, & abſceſſuum internorum in textu celluloſo nidulatorum. Phlegmonum in Adverſariis ſponte ſanatorum plurima exempla propoſuimus. In pinguibus, ſicut noviſſime vidi, inflammationes in facie latæ lente ſuppurationem oſtendunt. Mulier 38 annorum nata, inflam-

matione laborat faciei : tumor ruber , durus, occupat totam genam dextram ; ſuppuratio ſupervenit tantum fine ſecundi menſis. Spontanea apertura facta eſt parva ad angulum labiorum, ſed non ſufficiebat. Levis plaga peracta, in loco declivi fluxit ſemilibra puris. Toto tempore inflammationis, vix os aperire potuit : unius ſeptimanæ ſpatio, cavitatem magnam abſceſſus natura replevit. Sic in cavitatibus, præſertim in pectore, in lumbis, circa renes, paſſim evolvuntur inflammationes obſcuræ, quæ lento gradu ad ſuppurationem progrediuntur.

XVIII. *Furunculus.* Tumor inflammatorius, cutaneus ſeu ſubcutaneus, prominens, profunde ruber, ſphæroideus, ordinario juglandis magnitudine, cujus centrum occupat vortex fibroſus, digeri neſcius, gallice (*bourbillon*) dictus.

Furunculi ſpontanei naturæ energia ſanati. Exhibui hiſtorias in Adverſariis. Ipſemet ſymptomaticos poſt dyſenteriam plures juvenis expertus in clunibus & in dorſo, qui ſponte ſanati fuere. Sæpe vidi in ſenſibilioribus ſubjectis furunculos evolutos in dorſo poſt applicationem veſicatoriorum inter ſcapulas : hi etiam ſponte ſanantur.

XIX. *Bubo.* Phyma ſcirrhoſo-phlegmonoideum in glandulis inguinalibus, aut axillaribus. Simplicem bis vidi ſponte reſolutum. Creſcen-

tium color, cutis, naturalis; dolor, calor, ſine pulſatione: circa annum 14 in maſculis obſervandus. Sæpe vidi: ſponte ſolvitur reſolutione. Axillares deſcripſi in Adverſariis; criticos tales vidi poſt febres intermittentes: etiam ſponte ſuppurant & ſanantur. Scrophuloſus & ſiphiliticus ſunt mera ſymptomata. Vidi ſiphiliticos frictionibus repetitis ex mercurio gummoſo reſolutos.

XX. *Parotis.* Tumor ſphæroideus, dolens, durus parotidis glandulæ, in ſuppurationem vergens: ergo phlegmo iſtius glandulæ. Sæpe in parotide benigna: adeſt febris, dolor magnus, inſomnium. Talem vidi in ſenicula 80 annorum; inciſione aperto abſceſſu, vix elapſa ſeptimana, cavitas magna naturæ energia repleta, cicatrixque peracta: tanta vis adeſt, etiam in provecta ætate actionis vitæ!

In febribus intermittentibus amphemerinis ſæpe ſymptomaticam & metaſtaticam parotidem obſervavimus: in iſtis paſſim peſſimum pus manat, ulceraque fiſtuloſa adſunt.

XXI. *Anthrax.* Phyma apice gangrænoſum, in radio inflammatum, urens.

Bis vidi in opificibus qui ſcrinia ex corio ſuilo tegunt: febris adeſt, anxietas, proſtratio virium. Cauterio actuali urenda gangræna.

Corticem peruvianum mana doſi præſcrip-

ſimus; ptiſanas acidas affatim bibebant ægroti; ambo ſani fuerunt.

XXII. *Paronychia.* Inflammatorius tumor extremi digiti, cum dolore ſæpius perterebrante, calore, tenſione, ſæpius & rubore.

Cutanea plerumque ſponte ſanatur; ſedes ſua in aut ſub cute. In ruſticis quorum cutis denſa, calloſa, inflatio occupat ſæpe manum, niſi apertura exitus puris procuretur. Vide Adverſaria.

In arctura, unguium latera, carnem ſecantia, agunt ſicut piſum in cauterio: ſecto ungue, ſponte curatur.

In vaginali & perioſteali, puris aut ſeri acris, cito inciſione peracta, exitus procuretur: evacuatione obtenta, vulnus ſponte ſanatur, ſimplici applicato defenſivo, ſicut decies vidimus: in omnibus paſſim tantus dolor, ut veram febrim excitet.

XXIII. *Phymoſis.* Tumor fere ſemper inflammatorius præputii glandem incarcerans aut excludens ad coronam, hancce vinciendo.

In vera, gravis inflammatio præputii & tumor. Hanc vidi ſpeciem in juvene noviter maritato: hirudinibus applicatis circa radicem penis, cataplaſmate malvaceo, cito, juvante natura, fuit ſanatus.

Hydropicam vidi in infante leucophlegmatico

poſt variolas confluentes. Vera erat inflammatio cum hydrope penis : mortuus, gangræna ſuperveniente. Sæpe ſymptoma œdematiæ. Vide Adverſaria.

Siphiliticam, circumligatam & veram, ſæpe vidi. Noviſſime veram inflammatoriam diminutam hirudinibus applicatis ad radicem penis : ulcuſcula numeroſa linitu mercurii gummoſi ſanata ; cito plenarie phymoſis evanuit. In circumligata phymoſi, ſi non minuitur inflammatio ſuccione hirudinum, ſectio neceſſaria. Vide Adverſaria. In infantibus tam anguſta apertura præputii glandem tegentis, præſertim præputio nimis longo, ut ab acrimonia urinæ ſuperveniat inflammatio : qua pacata, circumciſio neceſſaria. Bis talem præſcripſi.

XXIV. *Scirrhus.* Phyma durum, indolens, gravans, frigidum, in partibus glanduloſis, externum, cuti concolor.

Glandulæ mammarum, colli, axillares, inguinales, varias indurationes offerunt a ſimplici infartu ad plenariam glandulæ indurationem : mortuæ aut vere ſcirrhoſæ nunquam reſolvuntur ; cauſticis in ſanis deſtruendæ aut ferro excidendæ : ſed vidi recentes, duras, indolentes etiam magnitudine ovi columbini, in mammis, in collo, lapſu temporis ſponte reſolutas : præſcribatur in his extractum cicutæ.

Clinici clamitant ubique tali remedio ſanatos cancros occultos mammarum. Hæ glandulæ mammales tempore pubertatis indurationem ſcirrhi obtinent : ſtabilito fluxu menſtruali cito poſt aliquot dies molleſcunt.

Scirrhus hepaticus, lienalis, uterinus, evadunt principia morborum graviſſimorum, anorexiæ, aſcitis, carcinomatis uteri, &c. Vide Adverſaria.

XXV. *Cancer*. Phyma ſcirrhoſum, lancinans, vel phyma lancinans, venis varicoſis, profunde rubris, nigris, lividis cinctum, ſanguinantibus, repræſentantibus pedes cancri.

Verrucæ irritatæ, tumores granuloſi, rubri ſcirrhi cauſticis in cacochymicis vexati, ſunt principia canceris : ſed quod probe notandum, carcinomata labrorum, quæ exſtirpata, nunquam redeunt, nonne ſunt nidi larvarum quorumdam inſectorum ? Curationes talium unguento dentelariæ, mercurio gummoſo ſuſpicionem noſtram corroborare videntur. Cæterum varietates carcinomatum aliquas in adverſariis propoſuimus.

Cancri uterini recens exemplum vidi. Mulier 33 annorum nata, diu fluorem album fœtidum, cum doloribus periodicis ad regionem oſſis ſacri relatis, toleravit : poſt tres annos, petiit conſilium : inveni marginem oris uteri cancro jam ulceratum ; ichoris odor ſingularis, fœtidiſſimus.

Fruſtra præſcripſimus extractum cicutæ, hyoſcyami, napelli; quaque die crebriores dolores & acriores, paſſim hæmorrhagiæ uterinæ. Elapſo anno, leucophlegmatia quam amaris vinoſis debellavimus; quaque die fluor purulentus, fœtidus, ex vagina. Tandem macies paulatim major, vires amiſſæ, anorexia, febris veſpertina, vomitus, animi deliquia. Bis ano projecit maſſam parenchymatoſam, mole duarum unciarum, corruptam. Mortua eſt, ſenſibus internis integerrimis uno minuto ante ultimum ſpiritum. Hanc vidi cum egregio clinico clariſſ. Villermoz.

Cancer uteri frequens morbus Lugduni. Ingurgitationes uteri ſanguineæ, ſuppreſſiones leucorhœæ, virus ſiphiliticum ſunt præcipua hujus horrendi mali principia; collum uteri ex numeroſis noſtris autopſiis ſæpius inflatur, ſicut podex hæmorrhoidariorum. In hoc caſu, balnea, hirudines, verum curæ arcanum exhibent. In hac ſpecie, feminæ dolores uterinos atroces ſæpe ſentiunt, ſubſequentibus paſſim convulſionibus hyſtericis.

Poſt applicationem hirudinum aliquando ſupervenit menorrhagia, quæ morbum ſolvit. In aliis feminis, poſt 50um annum, uterus ſcirrhoſus evadit; talis permanet, abſque ſequela, ad ultimum ſenium: ſed, ſicut aliquoties vidimus, carcinomatoſus fit, ſi remediis internis acribus, aut talium injectionibus vexatur.

ORDO QUARTUS.

EXCRESCENTIÆ.

Tumores a ſolidis adauctis per nutritionem auctam morboſam.

XXVI. *Sarcoma.* Excreſcentia carnis conſiſtentiam fere habens, plerumque rubra, mollis. Sedes ſarcomatum videtur textus celluloſus, cujus retia vaſculoſa, varicoſa evadunt, laminæque inter ſe agglutinantur, aut novæ evolvuntur; maſſam ſic textus refert parenchymatoſam carneam. Nihil in hoc genere agit natura: ligatura, quando poſſibilis, ſupprimere affluxum ſucci nutritii aut tumorem cauſticis paulatim repetitis conſumere oportet, aut quod melius, ſi ſat intrepidus æger, acie ferri exſtirpandus.

Sæpe examinavi polypos narium: ſedulo diſſecando nihil ultra enunciata inveni. Diu cogitandum, ſi vis cauſticis curare polypum: ophthalmicum granuloſum, inſtar fructus mori in palpebris, irritatum cauſtico carcinomatoſum factum vidi. Tumefactiones gingivarum (*epulies*) diſſectionem tolerant: ſæpe tales ſecavi, vix dolente ægro. Polypos uterinos & vaginales ligatura aut exciſione plurimos ſanatos vidi; ſed quod etiam notavi: in muliere uno exſtirpato, paucis elapſis menſibus, alter ſicut fungus excreſcebat in

vicinia primi. Carunculæ urethræ hujus generis, ſæpe ſponte marcidæ fiunt poſt applicationem hirudinum. Plerumque impeditur fluxus urinæ tumefactione quaſi hæmorrhoidali capitis gallinaginis aut bulbi urethræ, aut tumefactione inflammatoria glandularum hujus canalis : in hoc caſu felici cum eventu ſuaſi ſuccionem hirudinum infra penem aut ad radicem illius.

Facies ſarcomatis ulcerarii, ſeu caro fungoſa, quæ protuberat, ſuſpicionem naturæ generalis carcinomatis confirmat.

Sarcoma bicephalium videre poterunt curioſi in muſeo meo : infantis novemmeſtris caput poſterius exhibet cuculum inflatum, qui quaſi duplicat caput.

In ſarcomate teſticuli plerumque caſtratio evadit neceſſaria ; ſed poſt ſectionem funiculi non liga totum, ſicut fecit chirurgus me præſente & diſſuadente, in robuſto juvene divite, optimæ ſpei : tertia die ab operatione tetanos lethalis ſupervenit. Sarcoma ani diverſum a mariſcis tantæ molis vidi, ut excederet caput infantis : ſuaſi exſtirpationem exciſione, quæ ſucceſſit : 14 die ab operatione, ſanus fuit æger ; vera erat maſſa, dura, quaſi carnoſa.

XXVII. *Condyloma* eſt excreſcentia eminens vel non eminens, firmior carnibus & cute, mollior contra oſſibus, non elaſtica.

Calloſitates manuum & pedum aut genuum, lapſu temporis, ceſſante attritu, evaneſcunt ſponte, ſicut ex meis manibus video. Olim laborabam quaque die in horto ſicut agricola; calloſa erat vola manus: poſt duos annos a ruſticatione mollis & glabra evaſit ſicut antea. Huc male revocatur pulcherrimum opus naturæ: callus oſſium fractorum citius, ſicut autopſia vidi, ſolideſcit (ſpatio 40 horarum,) quam vulgo credunt chirurgi. Huc etiam venit cicatrix ulcerum & vulnerum, alterum mirabile opus naturæ, quam ſola peragit modo prorſus ignoto, ſupplendo ſæpe magnam partem cutis exeſam aut amputatam: unde vana declarantur omnia antiquorum remedia cicatricem inducentia.

Ganglion, tumor tendinibus innatus, ovatus, mobilis lateraliter, indolens, tunicatus, pulpoſus; ſi premitur, dolor adeſt. Diu portavi ganglion ad radicem digiti annularis in facie interna; certe nullo applicato topico, paulatim, etiamſi durus & avellanæ fere magnitudinis, diſſipatum ſponte fuit. Porrum, condyloma carnibus immerſum, etiam ceſſante cauſa, attritu, preſſione, ſenſim ſponte deſtruitur.

XXVIII. *Verruca.* Excreſcentia cutanea, prominens, vix ſenſibilis, indolens, prærupta ſeu aſpera ſuperficie. Sunt verrucæ lata baſi aut petiolatæ, piloſæ aut nudæ, ſolitariæ aut gregales, magnitudine a

grano milii ad piſum majus. Vidi omnes creſcentes ſicut plantas : vegetatione peracta, ſponte deſſicatas & cadentes. Vide Adverſaria. Verrucæ ſiphiliticæ, ſymptoma luis venereæ, pertinaciter vigent immotæ uno aut altero menſe poſt ſalivationem ; ſed poſtea ſponte cadunt, ſicut decies vidi.

XXIX. *Pterygium.* Excreſcentia plana in oculi cantho vel membranacea, vel carnoſa, vel adipoſa : paſſim irritata, ſicut vidi, cauſticis, indolem induit cancri. Ad hoc genus reducenda Adverſariorum obſervatio quæ pſeudo-palpebram oculi exhibet : in his excreſcentiis nullum conamen naturæ noſco, quæ ſanata exciſione fuerunt. Vix utilia inveni collyria.

XXX. *Hordeolum.* Excreſcentia dura vel hydatidoſa in palpebrarum marginibus ſæpius granum hordei æquans, ſolitaria. Paſſim cironem expertus cum dolore & rubore internæ faciei palpebræ ; & in me & in centenis aliis ſponte ſanatam vidi. Grando hordeolum durius, indolens ; diutius durat, ſed etiam ſponte ſanatur.

XXXI. *Trachelophyma.* Excreſcentia varia gutturis, nec inflammatoria, nec purulenta, partem anticam colli occupans.

Struma, *le goître*, tumor frequens Lugduni. Vidi portentoſos ad mediam partem ſterni deſcendentes. Nunc video quaque die adipoſum ſicut

ſicut collare Henrici IV (*fraiſe*) ſimulans, a mento ad ſternum pendulum. Aliquot ſtrumas diſſecavi poſt mortem, modo glandulas thyroideas ſchirroſas, vix ſcapello ſecandas in volucro craſſo cartilagineo, modo carnoſas ſicut ſarcoma, plerumque in involucro incraſſato ſebacea vel mellea concreta materies reperitur. Uxor mea annorum 18 nata, poſt catameniorum fluxum, ſeu ab anno 15 collum tumidum, præſertim glandulam thyroideam ſiniſtram exhibebat; creſcit tumor ad molem viſu ingratam; ſupervenerunt atroces colicæ, quibus ſucceſſit diarrhœa ſeu evacuatio unius libræ pituitæ vitreæ: ab hac epocha, una ſeptimana vix elapſa, fugata ſtruma colli, quæ nunquam apparuit, etiam poſt quatuor partus. Hanc obſervationem, anno 1773, communicavi clariſſ. Fouquet, quam inſeruit in optima ſua theſi *de textu cribroſo Hippocratis*. In noſtris feminis ſæpe inflatur collum poſt conatus partus. Cæterum ex centum ægrotis qui pulverem ſpongiæ marinæ torrefactæ & ſalia alkalina degluttiunt, vix unus aut alter ſentit diminutionem ſtrumæ. Sæpe infantes glandulas thyroideas magnas habent, quæ lapſu temporis coarctatæ minuuntur: unde collum evadit tenue. Nonne inde nata remediorum antiſtrumoſorum fama?

XXXII. *Exoſtoſis.* Tumor oſſis partialis; vel

aliquando totum os tumet, tumore ad oſſeam duritiem accedente.

Poſt contuſiones oſſium ſupervenit paſſim exoſtoſis vera, quæ diu permanens, tandem ſponte deprimitur. Talem expertus fui, anno 1788, ad mediam partem criſtæ tibiæ, magnitudine mediæ partis avellanæ: a caſu in ſcala denudatum fuerat os longitudine ſemipollicis: ſimplici defenſivo appoſito, ſcilicet folio betæ, contuſa cutis paulatim ſuppuratione ſeparata, & os & perioſteum renovata, cicatrix peracta ſpatio trium ſeptimanarum: manſit tantum exoſtoſis per octo menſes, quæ, paulatim minor facta, nunc vix ſentitur.

Exoſtoſis rachitica. Species inutilis, ut pote merum ſymptoma rachitidis. Sæpe miratus fui quomodo in infantibus extremitates oſſium tumefactæ valde, vix aliquot elapſis menſibus, minuuntur fere ad libellam corporis oſſis; noſtrates dicunt: *l'enfant ſe dénoue:* in exoſtoſi ſcrophuloſa mira vidimus miracula, conamina naturæ. Determinato tempore ſeu pubertatis, ſæpe vidimus tales exoſtoſes in oſſibus carpi, tarſi, in radio etiam cum carie, ſola energia principii vitalis ſanatas. Vide Adverſaria.

Syphiliticæ verum remedium liquor Swietenii: noviſſime tali remedio magnam exoſtoſim veneream in parietalibus reſolutam vidimus. Va-

riolosam cum carie & pædarthrocace obſervavimus, annoelapſo, in infante ſex annorum poſt variolam inſititiam : a tribus annis miſerrime ægrotabat carie & tumefactione maxillæ inferioris lateris dextri, & totius pedis ejuſdem lateris cum carie ; odor teterrimus, tamen florida facies ; tandem febre lenta conſumptus obiit.

ORDO QUINTUS.

CYSTIDES.

Tumores capſulati fluido referti.

XXXIII. *Aneuriſma.* Cyſtis arterioſa cruore referta, ex pulſatione & ſitu noſcenda. Spurium aneuriſma arteriæ brachialis ſola compreſſione bis ſanatum vidi ; etiam verum una vice, eodem modo diſſipatum in eadem arteria.

In interno & externo majore mirandæ operationes naturæ : vidimus ſaccum incraſſatum ad quatuor lineas, durum vix ſecandum acie ſcapelli, intus alia cruſta adhærente alba, denſa. Sæpe invenimus ſaccum craſſitudine unius pollicis : hoc ſingulari modo vitam miſeris ad decem & viginti annos protractam vidimus, qui aneuriſmatibus internis laborant, præſertim in ventriculo dextro cordis, in arteria pulmonali, in aorta, dormientes quoque menſe, ali-

quot vicibus ſubito expergefacti, palpitationem magnam ſentiunt, paulo poſt fluente ſanguine cum pulſu in omnibus arteriis: hi ſæpe anxii perpendiculariter ſtare diu non poſſunt; movent perpetuo corpus; ſæpe inſpirationes profundas quærunt; initio mali palpitationes aut ſyſtolæ motus perpetui; ſed ſacco aneuriſmatico craſſiore facto methodo enarrata, vix ſentiunt, niſi periodice, pulſationes. Bis vidi aneuriſmata arteriæ ſubclaviæ. Vide alia in Adverſariis.

XXXIV. *Varix*. Dilatatio venæ rubræ nigreſcens, ad preſſionem recedens, ſubito rediens, preſſione ceſſante, plerumque pruriens, mordicans.

Varices ſolitariæ, gregales, nodoſæ ſunt meræ varietates: in bajulorum & gravidarum tibiis nodoſæ obſervantur; vidi gregalem ab imo abdomine ad mammam dextram in infante decem annorum. Hæ mechanicæ ſunt paſſivæ; ſed aliam ſpeciem noſco & novit Stahlius, in qua vera adeſt energia naturæ, in hyſtericis obſervanda. In hoc caſu, varices numeroſæ inveniuntur in cruribus, brachiis, prorſus evanidæ poſt aliquot dies. In aliis etiam natura, ſicut in aneuriſmatibus, ſaccum illinit ſtratis lymphaticis denſis quæ rupturam impediunt.

Juvenis varicocelem dolentem diu toleravi, matrimonio diſſipata: ante illud ſupervenien-

tibus pollutionibus nocturnis aut ſanguinis miſſione aut hæmorrhagia narium diminuta: venæ funiculi ſpermatici ſiniſtri nodoſæ, craſſæ, tumefactæ valde erant. Varices membranæ oculi conjunctivæ numeroſas, evanidas vidi in quadragenario fluentibus hæmorrhoidibus, quæ, ceſſante hoc fluxu, turgeſcebant.

Varices ſinuum venoſorum minorum duræ meningis, ſunt rudimenta apoplexiæ: ſæpe tales in fulguratis ſideratis apoplexia inveni: varices pulmonum ſunt principium hæmoptyſis & phtiſeos: hos etiam ſcapello occupavi: frequentes tales in ſyſtemate venoſo inteſtini recti, uteri; in vena porta ſunt elementa affectionis hyſtericæ hypochondriacæ; in veſica, renibus mictus ſanguinei, nephritidis.

XXXV. *Mariſca.* Tumor in margine ani, ex ſanguine in textum celluſoſum vaſorum minimorum varicoſorum effuſo efformatus, ruber, dolens, variæ formæ & magnitudinis.

Mariſcæ vexant juvenes caſtos ab anno 15 ad 20; tamque dolentes evadunt, ut anxietates & deſiquia animi excitent; tales expertus fui: aut hæmorrhagia narium diſſipantur, aut ſpontanea crepatura, aut ſuccione hirudinum.

XXXVI. *Hydatis.* Cyſtis lymphæ ductuum dilatatorum, lympham vel ſerum continens. Tumor erat magnitudine capitis infantis in in-

guine juvenis: neſcio quonam emplaſtro corrodente cutis conſumitur. Folliculus tumoris congeriem ſtupendam veſicularum, acinorum vitis magnitudine, continebat: his ablatis, nove naſcebantur per quatuor ſeptimanas; tandem, bona ſuppuratione apparente, cito natura adimplevit cavum & cicatricem efformavit. Ex noſocomio Lugdunenſi, anno 1787.

Congeriem hydatidum internarum in aſciticis ſæpe invenimus, præſertim in ovariis; tales in pectore & abdomine obſcurorum morborum evadunt principia.

XXXVII. *Staphyloma.* Eſt opacitas, & extraordinaria, ſeu præternaturalis craſſities corneæ ob humorem intra ejus membranas effuſum.

Vide Adverſaria: alio ſenſu ſumitur ſtaphyloma ſeu ectopia corneæ.

XXXVIII. *Lupia.* Eſt cyſtis materiam pultis vel mellis conſiſtentiam referentem continens, haud purulentam, indolens, mobilis, plerumque cuti concolor.

Novi familias in quibus omnes a 30mo anno ad 50mum lupias parvas in cute capitis offerebant; traditione, premendo inter digitos, ſanabant; in nonnullis ſponte diſſipabantur. In lupiis folliculus adeſt; niſi cauterio aux exciſione deſtruatur, iterum exſurgit lupia. Vidi lupias ſtupendæ molis, unam in facie interna femoris, quæ decem libras exſtirpata ponde-

rabat ; alteram in dorſo ruſtici viginti quinque libras. Anno elapſo, civis Lugdunenſis lupiam in collo exhibuit mole pugni ; Pariſiis operatione peracta, hæmorrhagia extinctus ; carotidi adhærebat. Alter lupiam portabat ſedentem ſupra claviculam ſiniſtram, longitudine palmæ, elevationis duorum pollicum ; argita, cauſtico potentiali deſtruxit illam : bona nunc cicatrix. Mulier Trevoltii, ope ſimilis cauſtici, centum ſaltem lupias, me ſciente, deſtruxit ; ſeu cryſtallis ſublimati corroſivi ſuper papyrum evaporatione formatis. In lupiis ſicut in varicibus folliculus plurimum craſſeſcit : vidi craſſitudine quatuor linearum.

XXXIX. *Hydarthrus.* Hydrops, vel in capſa articulari, vel in cellulis vicinis, non in tunica propria : tumor eſt fluctuans ſine coloris mutatione, pulſatione.

Tales tumores vidi ſponte ſanatos, præſertim in puerperis ; in aliis diſſipatos vidi applicatione perpetua involucri lintei duplicati, quod in duplicatura continebat pulverem lavandulæ foliorum, aut genua involvendo gypſo.

XL. *Apoſtema.* Cyſtis purulenta vel ichoroſo-purulenta : noſcitur ex fluctuatione, prægreſſa inflammatione, albedine, remiſſione doloris & pulſationis.

Abſceſſus, cyſtis purulenta in interſtitiis muſ-

e iv

culorum, capſula carens, ex tumore inflammatoria nata.

In Adverſariis hiſtorias abſceſſuum majorum propoſui, in quibus natura ſola tumorem duriſſimum ſolutione omnium vaſculorum obturatorum, nec non textus celluloſi peregit, quorum detrimenta offert forma puris. Hoc peracto, ſola vacuum novo textu celluloſo replet, cicatriceque ſua aperturas claudit, in omnibus parvas aperturas procurat. Quare igitur chirurgi noſtri celebres ſemper magnas inciſiones peragunt? Abſceſſus internos natura ſola perficit, ſolaque evacuationes puris procurat. Exhibui exempla in Adverſariis; addo breviſſime duo noviter obſervata. Puella, 15 annorum nata, nervorum irritationibus obnoxia, poſt ſuppreſſum menſtruorum fluxum, tumorem dolentem ſentit in inguine dextro, in regione ovarii dextri; creſcit tumor ad molem capitis infantis, calens, renitens, tam dolens, ut nec ſtragula, niſi circulis ligneis ſuſpenſa, tolerare poſſet; febris adeſt, pulſus durus; ventris totius ultimis diebus tumefactio, appetitus nullus. Poſt tres ſeptimanas fluxus ſupervenit ano puris fœtidi, tam copioſi, ut vas nocturnum impletum fuit: ſic 4 vicibus quaque die manavit ano pus ad ſex uncias, per duas integras ſeptimanas, quod paulatim ceſſavit: inde vix uno elapſo menſe,

ſana & florida facta eſt. Auxilia fuerunt balnea tepida, enemata ex oleo puro, embrochationes oleoſæ, ptiſana althææ, cum infuſo florum papaveris erratici. Lugduni 1787.

Puella, 18 annorum nata, Lugduni 1785, poſt atroces colicas exhibuit tactu tumorem in hypochondrio dextro, qui ſenſim creſcendo totam iſtam regionem occupabat a coſtis ſpuriis ad oſſa ilii: dolor erat ingens, calorem ſentiebat, febris vehemens, pulſus ſubdurus, delirium nocte; ſic duabus integris ſeptimanis: circa 19 morbi, evacuatio copioſa puris ano ſupervenit tam fœtida, ut ſerva & ægrotans animi deliquio affectæ fuere. Poſt evacuationem, quæ minori quantitate perrexit adhuc ſeptem dies, ceſſavit febris, appetitus reſtauratus; ante menſem elapſum ſana evaſit puella, omnibus animi & cordis qualitatibus prædita: auxilia fuere enemata oleoſa, fomentationes ex malva, ptiſanæ hordei nitratæ.

Apoſtaſis cyſtis pure plena, aliunde per metaſtaſin huc depoſito, & quaſi per ſecretionem congeſto, non in hac ſede, ſed alibi genito.

Poſt morbos acutos inflammatorios aut remittentes ſæpe tales depoſitiones puris obſervavimus circa aures, circa anum, in extremitatibus. Exempla horum allegavimus in Adverſariis. Huc veniunt etiam citata magnæ copiæ

materiæ puriformis in urinis obſervatæ. Hæc omnia phænomena ab antiquis jam annotata autocratiæ naturæ jura vindicant. Huc veniunt tanquam varietates a ſede, ſuppuratio globi oculi poſt validas contuſiones obſervata, ſponte cornea aperta, membranæ corrugantur poſt effluxum puris, tumoremque mollem planum eformant in fundo orbitæ quæ oculum artificialem ſuſtinere poſſet. Talem vidi in ruſtico.

Frequens abſceſſus corneæ poſt variolas: qui ſponte apertus, ſanatus, maculam relinquit, opacans corneam lucidam.

Decubitus puris in cameris oculorum eſt plerumque effectus metaſtaſis. Talis exemplum propoſui in *Adverſariis.*

Poſt extractionem dentium aut fluxiones frequentes eveniunt abſceſſus gingivarum, quos ſponte ſanatos centies vidi. Si nutriatur ſuppuratio, radice corrupta, ſicut cauterium a piſo, extrahe radicem, abſceſſus ſanatur ante ſeptimanam elapſam, ſicut ſex vicibus obſervavi.

Vomicæ, ſeu pulmonum abſceſſus in Adverſariis exempla propoſui, plurimaque alia noviter obſervata proponere poſſem, quæ plenariam ſanationem, natura ſola agente, exhibuerunt. Mirus labor in viſcere celluloſo, molli, perpetuo motui obnoxio.

XLI. *Exomphalus.* Cyſtis umbilicalis fluido quopiam repleta, abſque ectopia.

Flatulentus, ſymptoma emphyſematis.

Aqueus, ſubſequela aſcitis, aliquando ſolitaria obſervanda in neonatis: cito plerumque ſponte evaneſcentem vidi.

Cruentus, a contuſione, etiam ſponte ſanatur; bis hanc ſpeciem ſuggillationis vidi.

Purulentus, non rarus in neonatis, eſt abſceſſus ſuperficialis circa umbiculum, paucis diebus ſponte ſanandus. Vide *Adverſaria*.

Adipoſus rariſſimam conſtituit ſpeciem; quam una vice vidi: tumor erat diametri ſex pollicum, durus, fere indolens, cuti concolor: attamen ſuppuravit; ſed lenta ſuppuratio duravit uno integro menſe; ſicque tumor evanuit, operante ſola natura. Apertura fuit parva a natura peracta in umbiculo. Per quatuor menſes ante aperturam durus ſteterat tumor: qui tactu ſcirrhus gravis a perito cæteroquin Medico fuerat judicatus.

XLII. *Oſcheophyma*. Cyſtis ſcroti variis fluidis turgens.

Flatulentum nunquam obſervavi.

Aquoſum plerumque: ſubſequela aſcitis, raro idiopathicum, ſeu aqua effuſa in ſolo ſcroto; ſed in vaginis ſpermatici funiculi frequens vitium, quod nulla inciſione acie ferri peracta, ſola prudenti directione cauſtici ſæpe ſanatum vidi. Conſtanti ſucceſſu hac methodo utebatur, in noſocomio

Lugdunenſi, peritiſſimus chirurgus primarius Duſſauſoy.

Spermatocele, ſeu accumulatio ſeminis in epididymide & vaſe deferente frequens malum apud caſtos obſervandum, præſertim juniores, nocte evaneſcens, de die dolore obtuſo fatigans. In pleriſque natura tollit illud, pollutiones nocturnas excitando; ſi non ſuperveniunt in religioſis, fit cauſa morborum heteroclitorum & ſpeciei ſingularis melancholiæ. Hi fœtent odore proprio, faciemque propriam oſtendunt.

Siphiliticum, ſymptoma gonorrhœæ aſtringentibus injectionibus ſuppreſſæ; raro ſolitarium adeſt: plerumque tumefactio teſticulorum cum inflammatione, quæ paſſim non reſolvitur, ſed ſcirrhoſa evadit. Balnea, hirudines ad radicem penis, enemata olei puri, ptiſana radicis althææ, tutiſſima ſunt auxilia tempore inflammationis; ſi vergit ad ſcirrhum, ſponte ſanatum bis ſola energia naturæ; ſed tutius tentare verum auxilium ſeu inſerſionem gonorrhœæ.

Cruentum deſcripſi in *Adverſariis*.

Leviora alia vidi a contuſione, ſeu ſuggillationes ſcroti ſponte reſolutas.

Purulentum vidi ante 15 annos in homine quadragenario, robuſto, iræ dedito. Poſt magnam inflammationem totius ſcroti, quod erat

rubrum, tenſum, calens, dolens valde, ſuppuratio ſpontanea ſupervenit, quæ quatuor parvis aperturis pus nigreſcens, fœtidiſſimum dedit: vix duabus elapſis ſeptimanis, ſanus evaſit. Durante inflammatione, die & nocte fomentationes ex malvæ foliis fuerunt peractæ, decem hirudines in commiſſura femorum applicatæ.

ORDO SEXTUS.

ECTOPIÆ.

Partium ſolidarum ex ſua ſede dimotio, ſenſibus obvia, dum has continentes relaxantur, cedunt.

XLIII. *Exophthalmia.* Ectopia oculi.

Olim hydropicam vidi in infante ſexenni complicatam cum perpetua ſomnolentia: oculus dexter perlucidus duplo major ſiniſtro, pupilla valde dilatata, viſus hujus debiliſſimus, palpebræ anterius propulſæ, inde aſpectus ſingularis. Fruſtra cauteria, cathartica, fotus aromaticos, millepedes, &c. præſcripſimus. Poſt tres menſes parentes infantes tranſtulerunt in urbem vicinam: unde ultimum fatum ignoramus.

Purulentam bis vidimus poſt inflammationem magnam a vehementi contuſione. Magna moles

oculi ægrotantis ſpontanea apertura parva ; poſt effuſionem puris , membranæ oculi corrugatæ tanquam pulvinar brevi tempore præbere potuiſſent oculo artificiali.

Traumatica , frequens malum apud opifices , a contuſione orta , principium præcedentis. Avertitur ſuppuratio audacter applicando plurimas ad viginti hirudines circa oculum. Sic pacatur inflammatio ; reliqua peragit natura. Vidi oculos ab hac cauſa maximos tumefactos , totos rubros , paucis diebus ſanatos. Non inutilia ſunt pediluvia , clyſteria emollientia , fomentationes ex mucilaginoſis.

Criticam vidi ante duos annos in muliere 50 annorum nata , quæ , poſt febrem ſynocham atrocibus cephalæis ſtipatam , turbatos omnes oculi dextri humores habuit , ſed abſque ſuppuratione : oculus primis menſibus duplo major , altero vix elapſo anno , minor evaſit ; hujus conjunctiva frequenti ophthalmiæ occupatur. Alteram in hyſterica : poſt convulſiones vehementes oculus ſiniſter mole augetur , non amiſſa perluciditate , nec diminuta acie.

Phymaticam ſingularem , anno elapſo , obſervavimus in puella 18 annorum nata. Dexter oculus non major ; ſaliebat extus propulſus a tumore ſteatomatoſo evoluto in ſinu frontali , qui tabulam ſuperiorem orbitæ depreſſerat & ape-

ruerat, fiſſura peracta. Peritiſſimus chirurgus Carré, amicus ſingularis, perita manu hunc tumorem extirpavit. Poſt menſem ab operatione ſanam læti vidimus puellam.

In noſocomio Lugduneo habuimus puerum, decem annorum natum, cujus oculus dexter extus projectus impulſu lento polypi evoluti in ſinu maxillari. Chirurgus primarius noluit tentare operationem : celebris profeſſor Gottengenſis Richter, numeroſis obſervationibus chirurgicis omnibus notus, qui tunc Lugduni erat, poſſibilem pronunciavit, dixitque : tentarem cum ſpe ſucceſſus, ſi talem ægrotum haberem in meo noſocomio.

XLIV. *Blepharoptoſis.* Palpebræ utriuſque vel alterutrius morboſa elongatio, retractio intro-vel extraverſio, cum ſymptomatibus cuique ectopiæ.

Infans hydrope ventriculorum cerebri laborans, apertura cadaveris detecto, dormiebat toto curriculo morbi ; uno integro menſe ſcilicet ſomnolentus fuit : hoc ſomno exiſtente, oculi ſemi aperti manſerunt.

Mulier, 39 annorum nata, per aliquot ſeptimanas, quaque die una aut altera hora, vix elevare poteſt palpebram ſuperiorem oculi ſiniſtri : hemoptyſi magna ſuccedente, hæc paralyſis palpebræ ceſſavit.

Poſt chronicas ophthalmias, poſt lippitudinem, ſæpe vidi extroverſionem palpebræ inferioris tunc ruberrimæ. Hunc turpem prolapſum ſanatum, fluentibus hæmorrhoidibus, vidi in ruſtico quadragenario.

Poſt œdematiam, lippitudines, paſſim obſervavi introverſionem ciliorum ophthalmiæ gravis principium. Vide Adverſaria.

XLV. *Exiris*. Ectopia iridis & varia difformitas. Attuli exemplum ſtaphylomatis, ſeu uveæ a prolapſu iridis; alia obſervavi majora & minora a grani milii magnitudine. Huc venit nimia dilatatio iridis a gutta ſerena, glaucomate, hydroceplalo interno; huc anguſtia nimia in ophthalmiis gravioribus. Una vice in infante ſcrophuloſo inveni aperturam iridis ovalem.

XLVI. *Hypoſtaphyle* eſt procidentia ſeu elongatio uvulæ relaxatæ, inflammatæ. Sæpe inflammatur gurgulio in angina; tunc tumidus, dolens, calens, reſpirationem, deglutitionem vocemque vitiat.

Sæpe talem inflammationem ſponte ſanatam vidi, etiam omiſſa venæ ſectione; in uno juvene, 16 annorum nato, hæmorrhagia narium ſolvit morbum.

Catarrhoſam frequentiorem centies vidi ſponte ſanatam. In hac plerumque & tonſillæ tumefactæ, mutata vox, perpetuo ſpuunt ægroti pituitam ſpumoſam.

ſpumoſam Ceterum in variis ſubjectis plurimum variat figura & longitudo gurgulionis; in aliis apice craſſus, in aliis attenuatus.

XLVII. *Paragloſſa.* Linguæ magnitudo minuta aut aucta, vel plane ſoluto elongato frenulo, in fauces ejuſdem revolutio.

Unica tantum vice frenulum in neonato protenſum vidi ad apicem linguæ; in aliis nunquam ſecavi. In variolis confluentibus, anginis miro modo tumefactam vidi linguam, quæ ſponte attenuatur, profligato morbo primario. Talem vidi a carcinomate linguæ & ſæpe ſæpius a ſalivatione exertam; vigente paroxyſmo convulſionum epilepticarum & hiſtericarum, cum metu inciſionis a morſu, paſſim obſervavi.

XLVIII. *Proptoma.* Procidentia appendicum externarum, inſolita & morboſa, diverſa a prædictis generibus.

Scrotum elongatur poſt quadrageſimalem annum a debilitate; elongatur etiam a paralyſi muſculi, a ſeroſa colluvie. In his caſibus, nec ars, nec natura aliquid utile præſtare poſſunt. Labra elongantur aut invertuntur a ſalivatione nimia, a paralyſi cum perpetuo ſalivæ fluxu. Bis vidi hanc paralyſim ſpecialem in adultis, vertiginibus non prægreſſis; in utroque ſponte fuit diſſipata.

Clitoris, nymphæ ac labia vulvæ, aut naturaliter nimium elongata (vidi clitorides a tribus

ad ſex pollices longas); aut morboſa decubitu humorum, præſertim infiltratione ſeri in aſcite; ſæpe etiam a ſimplici incuneatione capitis infantis quod impedit refluxum, aut vulva tota extus protuditur capite fœtus, illa quaſi involuto, ſicut aliquoties obſervavi.

XLIX. *Exania.* Sphincteris ani vel & inteſtini recti inverſi procidentia, extuberans, rubra, reducibilis, ſemper extra ſtrangulationem.

Frequens malum in infantibus ex planctu, clamore, fecum conaminoſa expreſſione, dyſenteria, diarrhœa.

In adultis, ab hæmorrhoidibus, a teneſmo, dyſenteria, a calculi irritatione, aut a ſectione ſphincteris levatorum ani.

In feminis, a partus conaminibus: vel dilatatum valde orificium ani, vel extuberans, marginale, vel botuliforme.

In his exaniæ ſpeciebus aut varietatibus, non excepta paralytica, quam noviſſime obſervavi in ſenicula paralytica quæ inſcia perpetuo emittebat excrementa, aliquando rectum inteſtinum inverſum pendet longitudine unius pedis. In nonnullis timenda ſtrangulatio inteſtini; in infantibus, ſponte ceſſat exania, ſicut in adultis, curata dyſenteria, diarrhœa, &c. juvanda natura repoſitione, debita ligatura, aſtringentibus.

L. *Exocyſtis.* Veſicæ inverſa membrana interior, ſoluta a reliquis, per urethram foras pendet.

Protuberantia ſubdiaphana, urina repleta; exterius clauſa, iſchuriam cauſans, inverſionem veſicæ indicat : quam nondum obſervavi.

Urethralis exocyſtis, quando urethra vel collum veſicæ laxata & inverſa, aut nimium dilatata, foras propendent. Hanc vidi in puella quæ peſſima & turpi conſuetudine in urethra candelulas cereas ad ſpecialem voluptatem excitandam introducebat, & ſub finem digitum auricularem.

Poſt partum laborioſum vidi laceratum urethræ collum cum urinæ incontinentia : quod ſpatio duorum menſium ſponte ſanatum. Nunc hæc mulier pulchra retinet lotium.

LI. *Hyſteroptoſis.* Eſt uteri procidentia tumorem ſiſtens in vagina, vel quandoque extra genitalia pendentem, undique liberum, menſes ſtillantem, ſaltem initio reponibilem cum doloribus hypogaſtrii, inguinum, urinæ difficultate, animi deliquiis.

Deſcenſus uteri uſque ad vulvam frequens malum in doloribus uterinis; ſpaſmo vigente, vix, apice digiti ad vulvam admoto, ſentitur uteri os, durum, calens, dolens; ceſſato ſpaſmo, ſedem ſuperiorem repetit.

In prolapſu tumor piriformis in vel extra vaginam pendens, per orificium tranſverſale menſes ſtillans, reponibilis, liber; hinc intra hunc & vaginam digitus in circulum agi poteſt: adſunt dolores inguinum, ſenſus ponderis in vagina, hæmorrhoïdes.

Frequens vitium in feminis poſt partus laborioſos, & etiam in ſterilibus, diu doloribus uterinis vexatis. Indicantur repoſitio, fotus cum decoctis amararum, aromaticarum, auſterarum, peſſaria.

Completas inverſiones uteri poſt partum vidi. In tali chirurgus Lugduneus polypum credens, excisione amputavit uterum, quodque miranda naturæ perfugia probat, hæc mulier diu poſt hanc operationem miſerrima vixit.

LII. *Colpoptoſis*. Tumor in ſinu muliebri vel extra pendens, annularis, mollis, perforatus, per quod foramen digitus immiſſus altius orificium uteri uterumque in ſua quaſi ſede abſque colpocele deprehendit. Hic prolapſus eſt reponibilis, torquet inſuper ægram dyſuria, teneſmus, &c.

Quæ diu leucorrhœa laborant, ſæpe ſupra nymphas rugas annulares exhibent; aliæ majorem vaginæ prolapſum. Prolapſus vaginæ frequentior uterino, ſimilem medelam requirit. Utrumque diſſipatum vidi ſimplici decubitu dorſali, clunibus elevatis.

LIII. *Gaſtrocele.* Hernia epigaſtrii, ſeu ſcrobiculi cordis. Tumor in ſcrobiculo cordis vel ſupra umbilicum, ventriculum aut alia viſcera illapſa continens, cutis concolor, reponibilis, in decubitu dorſali ſponte recedens, indolens, ex relaxatione integumentorum vel peritonæi, undecumque natus, ſæpe vomitum cauſans.

Simplex ab unico ventriculo elapſo repleta eſt.

Compoſita : intrant ſaccum herniosum cum ventriculo alia quoque viſcera : has ſpecies nondum obſervavi.

LIV. *Omphalocele.* Hernia umbilicalis inteſtinalis eſt & omentalis : ſæpe infantes has nobis exhibuerunt ; leni compreſſione bracherio ſponte diſſipantur. In adultis etiam non in frequens poſt laborioſos partus, inteſtinalis, reponibilis, ſed omentalis non diu, cito adhæret cum ſacco hernioſo. Vide Adverſaria.

LV. *Laparocele.* Tumor hernioſus, ventralis, ſeu abdominalis, in quocumque loco abdominis aliis herniis non dicato natus.

Inteſtinalis & omentalis exempla propoſui in Adverſariis, & in noſocomio Lugduneo, plurima alia junioribus chirurgis & medicis oſtendi, unam præſertim, quæ mole caput infantis æquabat : in latere ſiniſtro continebat & epiploon & inteſtinum, a debilitate muſculorum

f iij

poſt ictum pedis feminæ inflictum facile reponebatur, nec dolebat.

LVI. *Merocele.* Tumor hernioſus in ſuprema & anteriore parte femoris ad exitum vaſorum cruralium, in feminis præcipue obſervabilis, plerumque inteſtinalis eſt : bis vidi, nunquam omentalem.

LVII. *Bubonocele.* Tumor hernioſus, emergens per annulum vaſorum ſpermaticorum, ſenſim enatus, cutis concolor.

Frequentis vitii exempla propoſui in Adverſariis, tum inteſtinalis, tum omentalis & incarceratæ.

In incarcerata tardius plerumque operatio tentatur, jam inteſtino gangræna tacto : vidi tamen in noſocomio Lugdunenſi felices eventus plurimos, poſt operationes dexterrime peractas a celeb. chirurgis, Guerin, Carré, Boucher, Duſſauſoy. Paſſim lenta requirebatur diſſectio propter adhærentias inteſtini cum ſacco hernioſo, qui aliquando textu cellulari adventitio craſſitudinem magnam acquirit.

LVIII. *Iſchiocele.* Hernia emergens per inciſuram oſſis ſacri, ſeu hiatum inter os ſacrum & tuber oſſis iſchii, decubitu prono reponibilis.

Hanc ectopiam nondum vidi.

LIX. *Colpocele* eſt tumor hernioſus in vagina

emergens, reponibilis in decubitu ſupino, natibus elevatis, ſponte recedens plerumque.

Inteſtinalem obſervavi in femina quadragenaria, duodecim infantum matre: lateralis erat tumor in ſiniſtro, replens vaginam magnitudine pomi; premendo digito, murmur audiebatur, momentoque hernia evaneſcebat: raro dolorem excitabat.

LX. *Perinæocele.* Hernia in perinæo, ſeu tumor mollis, reponibilis, cuti concolor, veſicalis, inteſtinalis & omentalis: harum nec unam vidi.

LXI. *Peritonæorexis* eſt hernia quæcumque ob rupturam peritonæi emergens.

Talem inveni in cadavere hernioſi: in ſcroto inteſtina fluctuabant paſſim cum illo accreta, nec veſtigium peritonæi inveni; tumor erat molis capitis & ultra; inter ſe denſis breviſſimiſque pilis rubris cohærebant flexuræ inteſtini.

LXII. *Pleurocele* eſt tumor inter coſtas prominens, emergens, plerumque reponibilis, in inſpiratione creſcens.

Talem ſequor, ab aliquot annis, in puella, inter ſextam & ſeptimam coſtam: tumor adeſt longitudine pollicis, modo major, modo minor, reponibilis. Certe præter pleuram ſerum adeſt.

LXIII. *Encephalocele.* Hernia, ſeu ectopia cerebri, per fiſſuras vel ſuturas dilatatas oſſium cranii emergentis.

In uno inſante ſeptenni fontanellam apertam & hiantem inveni. Pulſatio ſentiebatur, nec non ſenſibilis elevatio cerebri ſupra libellam oſſium, tempore inſpirationis.

In noſocomio puer, decem annorum natus, ad latus ſiniſtrum, ſupra auriculam verſus frontem, exhibuit depreſſionem rotundam, diametri nummi parvi argentei: cicatrix talis menſuræ apparebat; ante tres annos caries fuerat in hac regione; clauſum ulcus, non regenerato oſſe; tempore inſpirationis, protuberantia trium linearum obſervabatur: hanc obſervationem communicavi in cœtu academico Lugduneo, anno 1787.

LXIV. *Hyſteroloxia.* Uteri obliquitas, ſeu uteri in gravidis & in non gravidis, in abdomine ſitus, ſeu directio aberrans a directione naturali axeos ſuæ: noſcenda ex orificii uterini directione mutata, palpo externo abdominis, tum aliis ſymptomatibus inconſuetis, ut iſchuria, dyſuria, enureſi, obſtipatione. Sæpe anteriorem obſervavi: in iſta uterus propendet infra os pubis ex debilitate muſculorum abdominalium, qui poſt antecedentes partus tonum non plenarie recuperarunt. Noſtræ appellant: *ventre en tablier.* Aliquot ſanatas dimiſi, linteo ſuſpenſorio de die abdomen ſuſtentando, quiete & decubitu reſupinato præſcriptis, lotionibus ex

plantis amaris , aromaticis , aſtringentibus.

Lateralis frequentior ſed modica , vix impedit partum : ſæpe in praxi inveni : conatus uteri ſufficiunt ad hoc obſtaculum vincendum.

LXV. *Parorchidium* eſt teſticuli unius vel utriuſque a ſitu naturali aberratio : hujus dedi exemplum in Adverſariis. Intruſionem teſticulorum plurimi infantes in inguine ſupra annulum ad libitum ſibi procurant.

Miro modo retrahuntur teſticuli in doloribus nephriticis , aut a calculo veſicam irritante.

LXVI. *Exarthrema* eſt ſeparatio contigui in oſſium articulis , per diarthroſim combinatorum : noſcenda ex impotentia ad motum conſuetum , mutatione nativæ conformationis , dolore , protuberantia inſolita , cavitate , muſculorum tenſione , converſione artus , accurtatione membrorum & prolongatione.

Maxillare , luxatio maxillæ inferioris : hujus propoſui exemplum in Adverſariis.

Cervicale , a caſu vidi luxationem vertebrarum collis , ſubſequente morte.

Vertebrale etiam a caſu vidi , ſubſequente paralyſi extremitatum & fluxu involuntario urinæ.

Coſtale bis inveni ; ſed decies , non exiſtente tali , pronuntiatum ab argitis , ridendo etiam apud magnates vidi.

Claviculare obſervavi, ſeu luxationem capituli ſternalis, ſponte reductam, ſed in ſitu conſervatum capitulum.

Humerale. Omnes varietates praxi novi, feliciterque ſuperavi, reductione peracta.

Ulnare. Luxationem ulnæ ſemper inveni incompletam, facilitate ſumma reductibilem.

Radiale. In praxi radii luxationem non inveni.

Carpale. Oſſa carpi vere luxata nunquam vidi.

Metacarpale. Solam luxationem a caſu oſſis metacarpi pollicis inveni, facile reducendam.

Digitale. Oſſa digitorum luxata ſæpe vidi facilique methodo ubique indicata reduxi.

Femorale. Luxationem femoris poſt rheumatiſmum diu toleratum in pulchra muliere obſervavi, an a ſinovia adaucta propter defectum motus? ut completa ſit a caſu femoris luxatio, requiritur ruptura ligamenti rotundi; plerumque potius frangitur collum femoris: unde plurimi chirurgi qui luxationem reduxiſſe crediderunt, ſæpe fracturam tractarunt, aut potius natura: in luxatione completa, etiamſi reductio bene peracta, iterum copia ſinovia repleta cavitate cotyloidea excidit caput femoris: in hoc caſu, natura ſibi novum ſua arte perficit, tali modo, ut æger baculo ſuſtentatus, progredi poſſit, ſicut aliquoties vidimus.

Patellare. Subluxationem patellæ valde dolorificam vidi ; ſed nullius momenti reducitur ſumma facilitate.

Tibiale. Etiamſi tibiæ luxatio ſit plerumque incompleta, eſt plena periculi , quando adeſt laceratio capſulæ : inde abſceſſus, fiſtulæ in articulatione genu, plerumque incurabiles , ſicut decies vidi.

Talare. Luxatio pedis omnibus frequentior ; etiam perita manu , reductione peracta , diu claudicant ægri , diuque tumefactum pedem offerunt , quaque mutatione tempeſtatis dolentem. In hoc caſu , utiliſſimæ ſunt embrochationes aquæ thermarum.

Tarſale. Luxationem aut ſubluxationem oſſium tarſi in praxi non inveni.

Metatarſale , nec oſſium metatarſi luxationem vidi.

Subluxatio dignoſcenda dolore vivido , impotentia ad motum , exigua protuberantia præternaturali , longitudine membri ferme naturali. Hæc obſervavi præcipue in articulatione cubiti , manus , pedis. Facilis reductio , repoſitio , ſed tumefactio articuli diu perſeverat.

Diſtorſio. Exarthrema in quacunque articulatione , cum dolore acuto , intumeſcentia articuli calida , ad motum difficultate , varia figura membri immutata. Hanc ipſemet toleravi in pede , manu , humero a caſu ; lapſu temporis , omnia ſymptomata ſponte diſſipantur ;

ſed quies, diæta tenuis, emollientia primis diebus. Poſt unam ſeptimanam, pacata inflammatione, ſpirituoſa indicantur; hirudines in vicinia tumoris applicatæ accelerant curam.

Complicatum. Luxatio cum vulnere, fractura, ruptura, apoſtemate, inflammatione, gangræna: talem pedis cum fractura tibiæ & fibulæ ſupra articulum vidi in noſocomio. Supervenit talis inflammatio ut mox gangræna: crus fruſtra amputatum. Mortuus eſt ægrotans.

Convulſivum. Luxationem completam a convulſione nunquam obſervavi. Vidi paralyticum femoris. Vidi a ſero luxuriante tofaceum in podragricis oſſa carpi & metacarpi; interpoſita magna quantitate materiæ tofaceæ, paſſim vidi dimota & ſemiluxata.

LXVII. *Diaſtaſis*. Oſſium receſſus junctorum per raphen, harmoniam, ſyſchondroſin aut ſyndymoſin cognoſcibilis cavitate inſolita uno in loco; in altero vero tumore, mutatione poſituræ, & reliquis ſymptomatibus oculo & tactui patentibus.

Cranica. Oſſa capitis futuris juncta ſecedentes vidi in infantibus hydrocephalo laborantibus.

Naſalem a polypo non vidi. Maxillarem a polypo in ſinubus obſcuram inveni. Maxillæ inferioris in mento mihi ignota, nec hyoidalis.

Xiphoidalis rarior quam vulgo creditur, depreſ-

ſionem cartilaginis enſiformis vidi, unde vomitus.

Pelvialis. Certe unio oſſium pubis, aliquando deſtruitur conatibus partus. Bis hanc inveni diaſtaſin: unde eruitur utilitas operationis ante aliquot annos celebratæ; nec inveni coccygeam, ſeu receſſum coccygis, nec fibularem, ſeu receſſum fibulæ, nec epiphyſicam ſeceſſum epiphyſeos in ſcorbuticis, venereis.

ORDO SEPTIMUS.

DEFORMITATES.

Vitia quæ potius formam quam ſanitatem plerumque lædunt.

LXVIII. *Atretiſmus.* Concretio meatuum in ſanitate patulorum.

Concretio palpebrarum. Talis accidentalis exemplum protuli in Adverſariis. In lippitudine, ſebo agglutinatæ cohærent palpebræ & in variolis. Poſt variolas in infante vidi palpebras agglutinatas cicatrice ad angulum externum oculi dextri, longitudine trium linearum: unde turpis hujus oculi hiatus.

Urethralis. Hujus dedi exemplum in Adverſariis.

Vaginalis. Duas obſervationes talis propoſui in Adverſariis ſecundis, mox edendis.

LXIX. *Encylomeriſma.* Partium diſtinctarum inſolita concretio.

Linguæ a frenulo ad apicem prolongato.

Digitorum annularis & auricularis a nativitate & ab ambuſtione coalitos vidi.

Viſceralium concretionum pulmonis cum pleura, inteſtinorum inter ſe & cum ſacco hernioſa exempla propoſui in Adverſariis.

LXX. *Dialyſis.* Solutio partium quæ in ſanitate perfecta integræ eſſe debent.

Labii leporini exemplum vide ſingulare in Adverſariis. Reduce margines ad ſtatum plagæ recentis, admove labra: natura coadunat ſoluta.

Vulvam laceratam in primo partu vidi: vulnus, vix elapſa ſeptimana, a natura conſolidatum.

Artualis. Vidi militem, cujus radius & cubitus fracti fuerant in corpore: neglecta fractura, articulationem artificialem natura peregit: propter motum callo conſolidato abſque unione extremitatum.

LXXI. *Polymeriſma*, exceſſus partium præter numerum alias ſolitum.

Digitalis exemplum dedi in Adverſariis.

Artuale. In muſeo poſſideo infantes, cum quatuor extremitatibus, capitale cum duobus capitibus.

Teſticulare. Amicus tres habet teſticulos, quorum tertius minimus.

Hirſaties. Puellam vidi, quæ juxta totam longitudinem dorſi latitudine duorum pollicum, pilos denſos, rigidos, nigros offerebat.

LXXII. *Defectus*. Defectus partium quæ alias adeſſe ſolent.

Capitalis. Illius ſingulare propoſui exemplum in Adverſariis. Fœtus ſine capite toto ſeu acephalo corde pendulo extra thoracem.

Uvularis. Sæpe uvulam lue venerea eroſam vidimus: ſanatum ulcus liquore Swietenii; ſed poſt curam, vox ingrata ſuſurrans.

Ocularis. In muſeo aſſervo fœtum humanum monoculum cyclopem, unus tantum oculus in centro frontis, ſupra radicem naſi. Similis caballinus obſervatur in muſeo ſingularis amici *le Camus*. Cæterum multi amittunt in vita unum aut ambo oculos ſuppuratione.

Dentalis. Paſſim in nonnullis hominibus quatuor dentes ſapientiæ deſunt tota vita, aut evolvuntur poſt quinquageſimum annum, ſicut vidimus in ancilla.

Digitalis. Femina gravida ichore tineæ puſtulas malignas acquiſivit in digito indice. Mox inflammatio magna & gangræna ſicca, propter graviditatem dilata fuit operatio: hoc tempore conceſſo, natura non neglexit opus; ſeparavit

carnes mortuas, manſit tantum primæ phalangæ os, necroſi ad mediam partem tactum; quod paucis diebus ſecernere ſcivit natura.

Teſticularis. Plerique qui monorchides putantur, duos habent, uno manente, ſupra annulum. Vide Adverſaria.

Penicus. Anno 1787, in noſocomio Lugdunenſi habuimus juvenem 25 annorum, abſque pene; attente examinando, parva eminentia ſicut clitoris manebat forata ad baſim; pili pauci, nulla barba in mento, nec ſcrotum, nec teſticuli; quando erat biennis, ſus ſcropha omnes partes deficientes morſu amputaverat. Alpicola Delphinatus erat; certe nec chirurgi periti nec Medici tam magnum vulnus tractarunt. Bona natura curante, ſanus evaſit.

Naſalis. Naſum vidimus lue venerea eroſum in milite: ſanavimus liquore Swietenii; in altero, amputatus fere totus; tribus diebus ſponte agglutinatus fuit.

Auricularis. Fere plenarie inciſam auriculam natura de novo agglutinatam, anno 1784, in cive Lugduneo vidimus. Huc venit tota chirurgia curtorum.

Apella. Noſco hominem natum abſque præputio; etiam fortiter trahendo, vix tegit coronam glandis.

LXXIII. *Aſymetria* eſt carentia proportionis partium alias ſuetæ.

Huc

Huc veniunt vitia, quæ quaque fere die aut menſe, tum in urbe, tum in noſocomio, obſervamus.

Longitudinalis. Nimia longitudo capitis poſt partum laborioſum. Conicam vidimus in fœtibus; talem in uno adulto, fere imbecilli. Longitudo nimia naſi, auricularum, menti, labrorum, altitudo & elevatio frontis: quæ vitia facies ſingulares conſtituunt.

Nimia longitudo colli, brachiorum, digitorum, cartilaginis xiphoidei, crurum & femorum in gibboſis, penis, clitoridis.

Brevitas. Caput complanatum, depreſſum, ſæpe principium imbecillitatis, ſtultitiæ.

Naſus breviſſimus ozænæ principium, penis collum brevius, brevia brachia, digiti.

Craſſities. Capita craſſa, naſus, collum, pectus, brachia, crura: unde facies, habitus totus toroſus, athleticus. Mentulas vidi miræ craſſitudinis & longitudinis, mammas craſſas, maximas, molles.

Gracilitas colli, brachiorum, femorum, ventris, penis, mammarum. In caſtratis, penis brevis, tenuis.

Latitudo. Pectus latum, manus, pedes latiores.

Combinatione variorum iſtorum vitiorum, ſicut ex tali litterarum alphabeti, innumeræ

difformitates habitus inveniuntur, quas pictura ſola reddere poſſet, quia miſcella populorum tranſmigrationibus, a coitu unius boni egregii habitus cum difformi proles magis vitiata naſcitur; generaliter loquendo, barbaræ gentes ſymmetricum habitum oſtendunt, a plurimis ſæculis politæ aſymmetricum. In urbibus etiam talis ſæpius invenitur, ſeu difformis, quam in campis, montibus. Urbanæ generationes antiquæ parvam ſtaturam exhibent, altiorem ruricolæ, præſertim Alpicolæ: ſex pedibus homines non rari in montibus Helveticis, Delphinalibus, in Burgundia dicta Franco-Comitatus (*Franche-Comté.*)

Aridura. Nonnulla membra, propter arteriarum minimum diametrum, incrementum non obtinent: ſic brachia talia ſæpe vidimus. Huc venit aridura extremitatum in ſcrophuloſis.

Claudicatio a nativitate propter brevitatem unius cruris, a vitio nativo articulationis femoris, deficiente cavitate cotyloidea. Adventitia poſt fracturas in collo femoris, poſt luxationes, ſubluxationes, diſtorſiones.

LXXIV. *Lordoſis.* Inſolitæ curvaturæ partium corporis.

Valgica. Tibiæ extrorſum incurvæ, malleolis & genubus approximatis.

Varorum. In his tibiæ ſunt introrſum convexæ, malleolis remotis: tales in neonatis diſ-

ponunt nutrices, primam ligaturis fortioribus; ſecundam, reduplicando lintea inter tibias, mirum eſt quantum valeant aptæ vincturæ & compreſſiones, præſertim tempore ſomni, ad emendationem horum vitiorum. Similium curationum vidi non ſpernenda exempla.

Capitalis. Paſſim naſcuntur infantes capite torto : natura ſola emendat vitium poſt aliquot ſeptimanas. Attamen non rara ſunt exempla craniorum gibboſorum, in adultis præſertim ab inæquali gibboſitate, convexitate, coronalis oſſium parietalium.

Naſalis. Sedulo examinando, in paucis invenies naſum perpendicularem, plerumque inclinat parum ad unum latus : in nonnullis hoc vitium notabile.

Collaris. Collum tortum aut inclinatum in una ſcapula ab inæquali vi muſculorum aut inclinatione laterali plani corporis vertebrarum : vitium inſanabile.

Compernis. Compernes dicuntur, quibus genua introrſum prominent. Hoc vitium a nimia extrorſum incurvatura oſſis femoris pendet : aptæ ligaturæ proſunt.

Impreſſio cranii fit in partu difficili a ſitu malo fœtus vel ab imperitis manibus : tales depreſſiones lapſu temporis delet natura. In partu laborioſo ſæpe ſentimus digito oſſa ſuturis ap-

proximatis imbricatim ſuprapoſita : inde minuitur caput, ſed quomodo compreſſum cerebrum non læditur.

Rachitica. Miras vidi omnium oſſium curvaturas a viru rachitico. Ante incendium ſcholæ anatomicæ Lugdunenſis, videre erat Sceleton, cujus omnia oſſa diſtorta variis ſenſibus, cum carie profunda in corpore tertiæ vertebræ lumborum : juvenis quindecim annorum, altitudine trium pedum.

Contractura membrorum ex materie arthritica, venerea, rheumatica, a concretione, a nimia quiete poſt fracturas; adde contracturas brachiorum a viru ſcrophuloſo, a cancro mammarum : in his omnibus varia laudata fruſtra tentavimus. Electricitas, thermæ, in nonnullis utiles mutationes procurarunt.

LXXV. *Gibboſitas*. Oſſium pectus vel pelvim componentium indecora prominentia, a tumore, luxatione, diaſtaſi, torſione, preſſione aut alio principio nata.

Spinalis. Spinæ dorſi diſtorſio antrorſum, poſtrorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum, aut aliorſum, quacumque directione : quo vitio, præſertim puellas, thoraces ſtrictiores : in utroque ſexu, rachitis, ſemen parentum morboſum, violentia externa, geſtatio infantum aſſiduo ſuper unum brachiorum deformant. In urbibus frequentiores gibboſitates apud divites quam apud

pauperes : accuſanda præſertim copia ſucci nutritii, deficiente libero motu & aſſiduo corporis. Raro gibboſi apud barbaras gentes. Alterum principium inæqualis vis muſculorum unius lateris. In plurimis moram huic difformati appoſui, motu præſcripto, manſione in campis aſſidua, diæta tenui, martialibus, frictionibus : gibboſam ſæpe video adultam, quæ elegantis ſtaturæ fuit ad 10 annum, ex alto ſtratum palea ſtramine repletum ſtans accepit cadens ſuper caput : ab hoc tempore, ſpatio trium menſium tota gibboſa evaſit, inflexa ſpina dorſi vario ſenſu, mole adauctis vertebris, coſtis contortis.

Scapularis. In pleriſque infantibus una ſcapula dextra, ſcilicet extrorſum ſaliens, elevata, prominens. Hoc vitium lapſu temporis emendat natura.

Sternalis. In hac, raro ſola, ſternum extrorſum flectitur, gibboſitatem pectoralem creans : vidi acutum angulum ſalientem formantem in infante ſexenni.

Coſtalis. Sæpe vidi depreſſas coſtas a ligaturis. Vide Adverſaria.

Pelvialis. Pelvis, præſertim mulierum vario, modo deformata deprehenditur, præcipue iis quæ in infantia rachitide laborarunt : unde varia impedimenta partus in gravidis : huc veniunt protuberantiæ internæ oſſis ſacri, ileorum, tube-

roſitates iſchii incraſſatæ, nimium vicinæ, brachia pubis acutiorem angulum formantia, inclinatio vitioſa oſſium, inguinum, ileorum.

Gibboſitates, graviſſimorum internorum cauſæ prædiſponentes, aſthmatis, orthopnœæ, phthiſeos, hydrothoracis. Lethales vidimus in gibboſis peripneumonias catarrhales & inflammatorias : in his frequentiora aneuriſmata.

LXXVI. *Error loci.* Quando quædam partes loca inſolita occupant.

Dentalis. Paſſim dentes evolutos in palatio vidimus ; aut extra ordinem, ſi non extrahuntur, minus denſi cito carie conſumuntur.

Viſceralis, internorum viſcerum tranſpoſitiones, quorum quædam rara exempla proſtant, jecur in hypochondrio ſiniſtro, &c.

Ocularis. Oculi nimium remoti, aut nimium approximati, monoculi.

Vulvaris. Vulva poſterior ſicut in brutis, aut apertura vulvæ ſupra pubem.

Arterialis. Aberrationis radialis exemplum dedi in Adverſariis : nunc alterum habeo ſub oculis : micat arteria in juvene modo viſibili, tranſeundo ab articulatione manus ſupra primam phalangem pollicis verſus latus internum. Numeroſas alias aberrationes internarum arteriarum & venarum, præſertim renalium, ſpermaticarum vidimus, harumque plurimas collegit immortalis Hallerus.

CLASSIS SECUNDA.

PLAGÆ.

SOLUTIONES CONTINUI.

ORDO PRIMUS.

VULNERA.

Solutiones continui caſuales, recentes, quaſi ſemper cruentæ.

I. VULNUS. Continui ſolutio molli in parte hians, labiata, cruenta, ab inſtrumento mechanico ſcindente facta.

Simplex. Vulnus externum, ſublime, ſymptomatibus levibus ſtipatum, in integumentis, textu celluloſo, aut in carnibus.

In ſimpliciſſimo, ſola cutis cum textu celluloſo ſcinditur; in longitudinali dolor tempore ſectionis, parcus fluxus ſanguinis; labiis approximatis, cito agglutinatio cum cruſta, natura agente, ſupervenit, cicatrixque, cruſta cadente, obſervatur anguſta primo, rubra, deinde alba, vix pus oculis patet, hæc omnia juxta magnitudinem vulneris a ſpatio duodecim horarum ad tres dies.

In ſimplici etiam, ſectis muſculis, præter

dolorem, fluxus ſanguinis major, labrorum receſſus, tumefactio, dolor, calor, pulſatio: inde ſuppuratio. In fundo vulneris, & ex parietibus, papulæ rubræ, evolutæ, replentes cavitatem, cruſta ſuperficialis, ſubtus cicatrix. Hæc omnia ſola natura peragit. Lege exempla in Adverſariis.

In majoribus vulneribus, miniſter naturæ peregrina corpora irritantia eximat cum grumis ſanguinis, molli deligatione peracta, foliis glabris mucilaginoſis, v. g. betæ, impoſitis. Rara ſit deligatio ad impediendum aëris contactum, quem natura arcet cruſta aut pure.

Complicatum. Vulnus aſſociatum cum variis vitiis, ſpaſmis, hæmorrhagiis profuſis, inflammationibus notabilibus. Sectio venæ quando inflammatio nimia, ligatura arteriæ aut compreſſio, appoſito agarico Broſſardi; in utroque caſu, ſanguis coagulatus obturat arteriam, pars ligata, obturata, actione naturæ, tanquam mortua a viva ſeparatur, quæ ſponte corrugata novam impedit hæmorrhagiam. Sola ſæpe natura, poſt animi deliquia, thrombum obturantem perficit.

Virulentum. Ex ſpaſmis, palpitationibus cordis, animi deliquiis, frigidis ſudoribus cognoſcendum; fere ſemper lethale: paſſim tamen natura tale ſuperavit.

Lethale abſolute. Majora vulnera cordis, ce-

rebri, cerebelli, hepatis, lienis, diaphragmatis, cyſtidis felleæ, lumbaris, chyliferi ſacci, ventriculi, meſenterii, pulmonum, internorum vaſorum ſanguiferorum magnorum, abſciſſio profunda tracheæ, œſophagi, nervorum cardiacorum, medullæ ſpinalis, ureterum, pleraque hæc vulnera ſanaret natura, ſi non inveniret obſtacula a motu perpetuo organi, ab hæmorrhagia nimia, ſanguine exitum non inveniente, aut propter ſectos nervos, influxu vitali impedito.

Lethale per ſe, exempli gratia, vulnus arteriæ cruralis, brachialis, eſt per ſe lethale, ſi omittitur aut ligatura aut compreſſio.

Lethale per accidens. Illud quod ex natura non eſt lethale, ſed ſolummodo fit lethale, vel propter errores in diæta, aut ob varios morbos chronicos, aut ſpecialem idioſyncraſiam vulnerati: ſic phthiſis lethalis in debili corpore poſt vulnus pulmonum. Vide Adverſaria.

Viſcerale. Penetrans in pectore, abdomine. Cognoſcitur ex læſione functionum. In his ſæpe miracula naturæ energiæ debentur.

Nevroticum. Poſt ſectionem totalem nervi, pars cui proſpicit inſenſibilis, ſicca & rigida fit; in ſemiperſectione nervi dolor ingruit acutiſſimus, convulſiones, triſmus, tetanos, &c.

Dum laryngeus recurrens reſcinditur ; mutitas. Dum cardiacus reſecatur , mors inevitabilis. In primo caſu , fruſtra partem ultra nervum reſciſſum tabeſcentem balſamis ſpirituoſis aromaticis fovi : pars marcida ſphaceloſa evaſit ; neceſſaria fuit amputatio. In ſemiſecto nervo inſtituta balſama calida , ſuperimpoſitis cataplaſmatibus emollientibus , utilia vidi. In aliis caſibus , ſectione plenaria nervi peracta , diſſipata ſymptomata.

Tendinale. Falce diſſectum vidi plenarie tendinem achillis : ſitu & apta vinctura a natura conſolidatus fuit.

Angioticum. Secta arteria aut vena , magna hæmorrhagia , animi deliquium. In hoc caſu , natura ſola ſæpe thrombo obturavit arteriam & venam ; decies vulneratos in viis , ſeu quaſi mortuos repertos vidi , in quibus naturali methodo magnæ hæmorrhagiæ fuerant pacatæ.

Oſteoplaga. Tales plagas in oſſibus variis capitis , etiam parte ablata ictu acinacis ſanatas vidi , ſolo applicato defenſivo.

Vulnus cartilaginis. In articulationum plagis , cartilagines præſciſſas ſæpius vidi , etiam cartilagines naſi , auriculæ : in his omnibus caſibus , natura ſola agglutinat partes disjunctas , illius miniſter cogat tantum partes in ſitum naturalem.

Vulnus perioſtei. Hujus exemplum dedi in

Adverſariis. Vidi pluries poſt caſum denudata oſſa capitis a chirurgis ad verificandas fiſſuras : miratus fui ſemper quanta celeritate novum perioſteum pullulat ex marginibus.

Vulnus meningicum. Quando artificiali aut accidentali vulnere perſcinditur dura mater, ſufficit arcere contactum aëris ; cætera peragit natura, ſicut ſæpe verificavi.

Cerebrale. In noſocomio Lugduneo fungos ſubſtantiæ corticalis decies ſectos vidi a peritiſſ. chirurgo in homine quem quaque die video ſaniſſimum & robuſtum. Nonnullos vidi ſanatos poſt vulnera levia corticalis cerebri. In his ſimpliciſſima adhibita methodus, rara deligatio & mera defenſiva, ſeu lintea carpta, imbuta melle roſato.

Vulnus oculorum. Sectæ cornea & ſclerotica nullum fundunt ſanguinem, illarumque vulnus cito coaleſcunt, nec viſibili cicatrice relicta, ſicut videre eſt poſt operationem cataractæ. Fatentibus omnibus, ſola natura hæc vulnera ſanat, & ſimilia penetrantia & turbantia liquores, humores oculi. Hæc etiam ſanantur ſponte, ſed cæcitas ſequitur.

Thoracicum vulnus non attingens pulmonem. Suctu ſanguis illapſus educatur, plaga externa aperta pauliſper ſervetur ; reliqua peragit natura, ſicut tribus vicibus vidimus.

Pulmonale. In hoc ſanguis ſpumans ex ore rubens & aër ex plaga : vidi tales natura ſanatos, miſſione ſanguinis peracta, diæta tenuiſſima præſcripta. In nonnullis ſuppuratio diu durat, ſputaque purulenta diu exſcreant. Talem video qui, etſi aſpectu ſanus, a 5 annis talia emittit ſputa, præſertim matutinis horis. In vulneribus pulmonum numeroſa naturæ miracula facile eſſet colligere ex auctoribus.

Vulnus cordis. Tale minus natura ſanatum probat Swietenius, cicatrice in cadavere reperta.

Hepaticum. Tale vulnus non centrale, ſeu ad margines ſanatum natura vidimus.

Lienale. In animalibus, in canibus præſertim, extraxi poſt inciſionem lienem, quæ, natura curante, cito ſanata.

Abdominale. Operatione bubonoceles peracta, non modo vulnus natura ſanat, ſed, amputata parte inteſtini, reliquias ſola agglutinat.

Varſaviæ juvenis, quando exercebantur alumni nobiles ſcholæ regiæ, dereliquit virgulam ferream in ſclopeto, quæ vi pulveris pyrii propulſa penetravit tota in abdomine ſocii a latere ſiniſtri abdominis, ſupra oſſa ilei ad latus ſiniſtrum : educta fuit virgula a perito chirurgo Iſſaurat, ſingulari amico meo; poſt tres ſeptimanas ambulabat vulneratus, nulla graviſſima ſupervenerunt ſymptomata : ſola natura ſanavit

illum. Neglectum prima die, quia lethale judicatum fuit vulnus.

Omentale. In operatione bubonoceles amputatur impune omentum, illiuſque vulnus ſola energia naturæ ſanatur.

Inteſtinale. Levia inteſtinorum vulnera ſæpe ſæpius ſponte ſanata vidi: in' his excrementa, aut chylus ex vulnere manat.

Uterinum. Exempla vulneris uteri ſponte ſanati invenimus inconcuſſa apud varios auctores, poſt peractam Cæſaream operationem. Vide Adverſaria.

Veſicale. In operatione lithotomiæ non modo veſica diſcinditur, ſed preſſione violenta contunditur: attamen centies talia ſanata ſponte vulnera vidi. Recentiores noſtri chirurgi præter venæ ſectionem, fomentationes, diætam tenuiſſimam: omittunt omnia topica.

II. *Punctura.* Continui ſolutio intus intenſa tantum, eaque inſtrumento pungente facta caſualiter.

Spina infigatur digito: præter dolorem tumefactio circa ſpinam, inflammatio, calor, paulo poſt ſuppuratio a fundo ad apicem vulneris, qua ſtabilita, ſponte elabitur ſpina, & elapſa, cito vulnus ſanatur. Puncturæ profundæ intima penetrantes lædere poſſunt viſcera lethaleſque inflammationes aut hæmorrhagias ex-

citare : in his tamen mirabiles curationes exhibuit obſervatoribus natura. Caveat tantum illius miniſter, ut apertura externa ſit ſat ampla ad ſanguinis ſuccionem, aut puris evacuationem ; reliqua peragit ſola natura. Vidimus pugione transfoſſum totum pectus cum ſignis læſi pulmonis lateris dextri : attamen ſervatus æger.

III. *Sclopetoplaga* eſt vulnus a glandibus e bombardis aut ſclopetis exploſis illatum, vaginatum, decurſum glandis deſignans, oblongum, vexatum.

In his vulneribus contuſiones adſunt carnium, corrugationes fibrarum ; quæ contuſa ſunt tam vehementer, debent ſupurari ; ſola enim ſuppuratio detritas fibras emovere, extuſque propellere poteſt. Tunc evadit vulnus ſimplex, citoque natura ſanatur.

Etſi vulnera ſclopetaria penetrantia in pectore, capite, imo ventre, ſæpe lethalia ſint, attamen tales vulneratos vidimus, in quibus glandes non modo pectus & ventrem penetrarunt, ſed ultra oppoſita parte ſibi viam pararunt, qui tamen ſani beneficio naturæ fuerunt.

Sæpe in externis tales plagæ complicatæ cum fracturis oſſium, beneficio naturæ ſanantur, etiam magnis fruſtulis oſſium tibiæ ablatis. Vide egregiam Bilgueri diſſertationem de rara am-

putatione. In præfecto militum vidi maxillam inferiorem fractam ictu ſclopeti, cujus maxima pars ſuppuratione ſeparata : iſte tamen ſanus vivit, etſi difformis.

IV. *Morſus.* Eſt plaga recens, quam animalia mordendo dentibus inferunt.

In morſu ſimplici adeſt laceratio partis cum contuſione : feles præſertim unguibus lacerant; inde propter irritationem inflammatio major. Plurimi propter ſpecialem idioſyncraſiam a levi morſu diu laborant, etiam a laceratione acicula peracta.

Vidi cruentos morſus a canibus peractos ſponte ſanatos. Poſt inflammationem ſuppuratio eo major, quo contuſio fuit gravior. Poſt ſuppurationem, fibris contuſis elutis, apparet plaga ſimplex, quæ repletione cicatricem a natura obtinet.

Venenatus. In noſtra Europa, quidquid dicant ſuperſtitioſi, ſolus viperæ morſus vere venenatus, nec colubres, nec ſcorpiones venenum plaga inſerere poſſunt; ipſamet vipera non ſemper veneno ſuo inficit. Tutum auxilium ſcarificatio partis ſauciatæ, citaque applicatio audax cauterii actualis, aut ſuccio quam impune quiſque ore ſano poteſt tentare, aut ſpiritus ſalis ammoniaci, ſeu alkali volatile. Oleum olivarum fallax auxilium, ſicut paſſim vidi.

Rabioſus. Animal ſpumans, aures & caudam dimittens, ſine requie diſcurrens, fluida abhorrens, omnia obvia timens, voce raucum, quæque vicinia, non laceſſitus, demordens, dum plagam dentibus ſuis infligit, merito rabioſum hunc morſum ſuſpicamur.

Immediate poſt morſum, partem cauterio actuali combure; in circumferentia frica cum mercurio gummoſo; quaque hora, des aliquot guttulas alkali volatilis (*eau de luce*): ſed nihil ſperandum, manifeſtata hydrophobia, ſeu horrore aquæ. Vide Adverſaria. Plurimos homines vidi ab eodem rabioſo cane morſos, inter decem vix unus hydrophobus evaſit: unde concludendum forte energia naturæ vim tam horrendi veneni cito propelli poſſe.

V. *Excoriatio* eſt epidermidis a cute vel cutis a carnibus ſeparatio, detractio.

Quaque die excoriationes magnæ a caſu ſuper lapillos moventes, a frictione contra dura in plano inclinato, abochreis equitando, a diuturno decubitu prono ſponte ſanantur: ſæpe cruſta ſupervenit abſque ſuppuratione, quæ ſquamatim lapſu temporis ſeparatur.

Phlyctænoidea obſervanda in ambuſtis, eryſipelatoſis: ſponte rumpuntur, deſſicantur & ſanantur phlyctænæ. Veſicantia ſimilem effectum producunt,

producunt, citoque ſponte ſanantur poſt ſuppurationem aliquot dierum.

VI. *Contuſio.* Eſt partis cujuſcumque mollis vel ſolidæ in minimis vaſculis & fibris inſtrumento aut corpore obtuſo, attritio, fractio, vexatio, cum ecchymomate.

Certe contuſiones cutaneæ, muſculares, etiam graves, ſponte ſanantur, ſicut exemplis in Adverſariis demonſtravimus.

Nervorum contuſio levis ſtuporem inducit vix permanentem: gravis cauſa paralyſeos, gangrænæ.

Sequelæ contuſionis gravioris ligamentorum in articulationibus ſunt fungus articulorum, inflammatio, contractura, anchiloſis.

Leviores, ſponte, lapſu temporis, ſanantur, ſicut decies ipſemet expertus fui. Poſt glandularum contuſiones, graves inflammationes eveniunt, quæ difficilius reſolvuntur, & plerumque ſuppuratione terminantur, aut evadunt principia peſſimarum fiſtularum.

In mammis, poſt contuſiones ſcirrhus & cancer ſæpe obſervantur.

In contuſionibus oculorum, applicatio hirudinum neceſſaria & utilis, præcipuumque remedium ſicut ſæpe obſervavi.

Contuſionum capitis dedi plurima exempla in Adverſariis, quibus patet quantum valeat vis

energiæ naturæ in graviſſimis caſibus ; contuſio pectoris pleurodinem excitare valet quæ ſponte ſanatur : ſi gravior, peripneumoniam, hæmoptiſim, quas etiam paſſim vidi ſponte ſanatas in ruſticis, nulla relicta peſſima ſequela.

Poſt contuſionem gravem ſpinæ dorſi ſequuntur aliquando paralyſis extremorum, enureſis, hematuria, ſicut noviſſime obſervavi in ruſtica poſt caſum ex arbore excelſa.

Poſt contuſionem teſticulorum animi deliquia ; orchitis ſeu inflammatio teſticuli, ſuppuratio quæ extirpationem requirit. In commolitione artuum, amputatio membri neceſſaria quæ raro ſuccedit propter commotionem internis communicatam. Omnes poſt hanc mortuos vidi.

Contuſio cerebri. Sæpe lethalis ſimplex hujus viſceris vehemens ſuccuſſio a caſu, nec reperta effuſio ſanguinis apertura cadaveris, ſicut verificavi Grodnæ, in ruſtico.

Contuſio abdominis. Poſt hanc, etſi nulla ſuggillatio in cute, tanta labes in hepate aut liene reperta, ut ſuperveniret mors. Contuſionem renum ſequuntur iſchuria, febris, inflammatio, mictus ſanguinis.

In magnis contuſionibus utiles profuſiſſimæ phlebotomiæ, diæta tenuis, ptiſanæ mucilaginoſæ.

VII. *Ruptura*. Membranarum, tendinum aut

ligamentorum vel muſculorum dialyſis per tenſionem facta, vires illorum excedentem.

Achillea, tendo achillis in ſaltu rumpitur; apta ligatura & ſitu, natura ſola agente, reſarcitum vidi.

Uterina, non rara ruptura uteri, poſt validos conatus in partu: lethalis ſemper.

Colli fœtus. Fortiori tractione manet in utero caput: in hoc caſu, ſponte propulſum, novis ſurgentibus doloribus, bis vidi.

ORDO SECUNDUS.

OPERATIONES.

Solutiones recentes, cruentæ & artificiales.

VIII. *Operatio.* Eſt ſtudioſa ſolutio continui, ad aliquid eximendum, vel meatum parandum cuipiam rei.

Scarificatio. Vulnuſcula cutis, plus minuſve numeroſa, poſt illius inflationem, ab applicatione cucurbitarum.

Gingivarum ſcarificationes vix doloroſæ, die ſequenti ſponte ſanantur. Cutis leves, ſicut plaga ſimpliciſſima, vix pure manante, ante duos dies conſolidantur. Vulnuſcula hirudinum triquetra ſæpe ad margines inflammantur in ſubjectis ſenſibilioribus, paſſimque propagatur tu-

mefactio eryſipelatoſa ad totam faciem membri læſi. Cicatrix hirudinum vulnerum tuberoſa, diu rubra.

Phlebotomia. Vulgaris operatio quam ignari barbitonſores impune quaque die exercent : unde propter imperitiam ſæpe echimoſis, aneviſmata ſpuria, puncturæ tendinum. In Lithuania, Judæi chirurgi utuntur inſtrumento tornatili, vulgo *talitro* dicto, ſeu lamina e latere propulſa, cujus uſus mihi tutior videtur quam lanceolæ. Juvenis in loco dicto *Chazei*, praxim exercens, lanceola ſecabam venam; in Lithuania cum talitro. Vulnus venæ, horis vix elapſis 12, ſponte agglutinatur. Poſt 24 horas cruſta tegit venuſculum cutis. In paucis ſuppuratio levis, cicatrix plurimis diebus rubra.

Arteriotomia. Vulnus longitudinale arteriæ temporalis phlebotomo, quam ſæpe exercui pro debellanda cephalæa; ſimplici compreſſione peracta, ante 24 horas ſponte ſanatur.

Trepanatio. In hac operatione, corona oſſis ſeu orbiculum exemptum, natura ſola, uno aut altero menſe, plenarie reintegratur callo ſolido : ſed, quod fatendum, raro utilis operatio: Vidi tamen nonnullos ſalvatos poſt fracturas capitis, ſanguine effuſo inter cranium & duram matrem.

Exemptio cataractæ. In hac operatione vulnuſculum corneæ cito ſponte ſanatur; ſed

propter ſubſequentem atrocem inflammationem ſepe gravis evadit operatio. Hanc olim in noſocomio Lugduneo, perita manu, me præſente, exercebat celebris chirurgus Guerin, amicus ſingularis. Nunc etiam dexterrime & felici ſucceſſu peragit chirurgus primarius ejuſdem noſocomii, Dominus Rey.

Celotomia. Operatio in bubonocele. Jam diximus : poſt hanc plagam vulnera graviſſima cutis, muſculorum & inteſtini ſola curat natura.

Cæſareus partus. Vide in Adverſariis extirpationem uteri. In partu cæſareo vulnus in utero infligitur longitudine ſex pollicum, quod poſt extractionem fœtus cito contractione uteri minuitur. Certe in ſanatione talis plagæ nihil ars vindicare poteſt ; quæ ſanatæ beneficio ſolius naturæ ſalutem obtinuerunt.

Lithotomia. Sola lateralis hodie practicatur : centies vidi peractam a celebribus noſtris chirurgis Lugduneis. Certe pauci moriuntur in noſocomio ; plerumque præter plagam adeſt contuſio, laceratio veſicæ. Vulnus in infantibus cito ſanatur ſæpe ante 15 dies. Vulnus non deligatum ſibi & naturæ relinquitur. Poſt hanc operationem aliquando moriuntur ægroti a cauſa non præviſa : en exemplum : homo ſexagenarius ſecatur a peritiſſimo chirurgo ; ante operationem furtim manducat copioſe. Vix aliquot

horis a ſectione apoplexia fulguratur; qua obiit.

IX. *Amputatio*. Vulnus detruncatione partis alicujus totalis factum.

Artualis. Poſt amputationem membrorum fatentur omnes ſola natura carnes a ferro tritas, oſſis extremitates a ferro eroſas, labore ſtupendo naturæ ſuppuratione copioſa ſeparari a vivis, calli propullulationem, extremitatum fibrarum renovationem, cicatricem ſolam naturam peragere, omniaque applicata emollientia agere tantum tanquam defenſiva. Plurimi poſt amputationem membrorum moriuntur, ceſſata ſuppuratione quaque de cauſa.

Paucos ſalvatos vidi poſt amputationem femoris. In noſocomio Lugduneo raro felices amputationes, non defectu induſtriæ chirurgorum, ſed 1°. quia in cubiculis aër nimium putridus; 2°. quia ex decem amputationibus octo peraguntur propter cariem aut tumefactiones oſſium in ſcrophuloſis. Necroſin aliquando & gangrænam artuum figit natura, victrixque mortuam partem ſola amputat: ſic Varſaviæ vidi crus ſeparatum poſt gangrænam ſiccam.

Mammalis. Cancrum, ſtupendæ molis, diametri decem pollicum, amputavit, me præſente, chirurgus. Miratus fui quam cito natura, ablata parte mortua, novas fibras præparat, tam am-

plam cicatricem arte propria efformare poſſit. Vix elapſo menſe, totam plagam cicatrix ſolida tegebat. Hanc plenarie ſanam video a 5 annis; ſed in plurimis aliis cancrum recrudeſcere vidi in alia mamma.

Penica. Lege ſingulare hujus exemplum in Adverſariis. Mihi probe noti nonnulli hac operatione mentulam amiſerunt; certe natura ſola cicatricem perficit.

X. *Sutura*. Eſt ſtudioſis puncturis, mediante acu, factis filiſque per puncturas trajectis ſolutorum mollium contractio, adductio.

Olim chirurgi energiam naturæ vix cognoſcentes ſuturas numeroſas in quocumque vulnere peragebant, ut labra admoverentur. Nunc ſciunt periti quod pacata inflammatione, ſpontaneo inſtinctu, labra ſeſe quærunt. Plerumque hodie ſutura ſicca cum emplaſtro tenaci tentatur. His ſuturis, multiplicatis punctis, inflammationes atroces excitabant.

XI. *Paracenteſis*. Eſt artificialis punctura in aliquod cavum corporis plerumque acu triquetra canulata facta.

Depoſitio cataractæ, quæ fit acu depreſſoria, punctura corneæ in hoc caſu cito ſponte ſanatur.

Thorachica in empiemate aliquando peracta, abdominalis acu triquetra pro educendis aquis in aſcite.

Perinealis in iſcharia veſicali. Perpungitur perinæum ; & quod tutius, acu curvo triquetro *Flurant*, optimi chirurgi Lugdunei, in recto introducto, veſica ſupra collum perforatur. Hac methodo iſchuria laborantem ſervatum vidi Typographum.

Scrotalis. Scrotum aquis turgens ſubin perpungi debet. Poſt eductam canulam puncturas iſtas omnes ſpatio unius aut alterius diei ſponte clauſas vidi.

ORDO TERTIUS.

ULCERA.

Solutiones continui incruentæ nec ad priores referendæ, pus ſaniem fundentes, cariem, &c. ſiſtentes.

XII. *Ulcus*. Eſt vulnus ſuppuratum partis mollis, vel ſolutio continui, mollis, antiqua, pus, ichorem aut ſaniem quamcumque alens, fundens.

Apoſtematoſum eſt apertus abſceſſus, qui, ut ſupra probavimus & in Adverſariis, ſponte implentur & cicatrice induuntur.

Spongioſum. Quando textus celluloſus ſupra libellam cutis luxuriat cum ſanie humida, comprime fungos linteis carptis, aut exſcinde cum ſcapello, aut combure lapide infernali. Sed tales vidi fungos repreſſos, expectando, ulcus lavando cum decocto abſinthii.

Calloſum. Ulcus nec vaginatum, nec ore anguſto, labiis duris, ſiccis, calloſis: infuſa amara, ſuccus ſedi acris, chelidonii majoris, irritando, ſuppurationem promovent, quæ calloſitates ſegregat.

Siphiliticum. Ulcera venerea exhibent faciem & odorem proprium: mercurio gommoſo applicato, intus liquore Swietenii centies talia ſanavi. Vide Adverſaria.

Scrophuloſum. In ulceribus ſcrophuloſis decoctum radicis ſcrophulariæ, foliorum fraxini, lexivium cinerum, paſſim utilia inveni.

Antiquum. Ulcera vetuſta ſæpe conſideranda tanquam cauteria neceſſaria. Poſt talia ſanata, vidi apoplexias, paralyſes, &c. preſſo pede ſubſecutas.

Scabioſum. Symptoma ſcabiei. Vide Adverſaria.

Cacoethes. Ulcus ſuperficiale, ſerpens, manans, perenne. Horum exempla attuli in Adverſariis.

Verminoſum. Talia ulcera ſæpe vidi. Cito ungento mercuriali vermes profligantur. Huc veniunt ulcera in Lithuania obſervata a vermiculis albis, capillaribus, longis. Hi ulcerationes mediuturnas fovent; empirici tuto has ſanant methodo ſequenti: affundendo aquam tepidam, rotant ſuper ulcus ſpicam ſecalis: calore aquæ

vermiculi agitati circa ariſtas ſpicæ involvuntur: ſic, repititis vicibus, ulcere purgato, ſeu omnibus vermiculis extractis, cito, vix paucis elapſis diebus, ulceratio ſanatur. Hi vermes, pilis tenuiores, rapide & undulatim moventur, in aquam projecti. Neglecta ſanatione, augentur pruritus, dolor; ſuperveniunt, lapſu temporis, macies, agrypnia, lypothymiæ, mors.

Nimium ſuperans. In iſto decocta amara utilia, v. g. abſinthii, ſcutellariæ.

Siccum. Sicca evadunt ulcera inflammatione; in hoc caſu, mucilaginoſa, malva, beta indicantur.

Varia ulcuſcula corneæ prudentem medelam requirunt. Memoratis omnibus quæ vidi ex acribus applicatis, majora mala arti debentur quam emolumenta. Hic pacata methodus, ſeu applicatio pulpæ pomi, mucilagines plus valuerunt.

Carioſum. Quando in fundo ulceris caries oſſis, tunc ichor nigreſcens.

Ozæna. Ulcus intra antrum Higmori ſordidum, carioſum, fœtens, in ſinubus frontalibus aut ſphenoidalibus. Facile ſeſe prodit ozæna, dyſodia, extillante materia ichoroſa, ſordida e naribus. Procuretur facilis exitus fluxus ichoris quod ſæpe obtinetur, dente extracto. Hic valent injectiones decocti corticis peruviani.

Linguale. Hujus propoſui exemplum in Adverſariis. Ulcera linguæ plerumque ſiphilitica ſanantur liquore Swietenii. Levia a tuberculis inflammatis ſponte ſanata centies vidi.

Uterinum. Ulcera uteri ab acrimonia fluoris albi injectionibus decocti radicis althææ ſæpe ſanata vidi, juvante natura.

Fonticulus. Utiliſſimum auxilium in omnibus morbis a ſeroſa colluvie, in quibus fere ſemper natura tentat evacuationes exterius. Tolle piſum: poſt tres dies, etiam vetus ulcus ſponte ſanatur.

Cetaceum in collo aut in aliis partibus, præſertim quando nutritur ulcus, cum radice meſerii, admirandum auxilium in cephaleis a ſeroſa, acri colluvie quæ frequentes. Valet etiam in ophtalmiis, rheumatiſmo cronico. Non omittenda ulcera a ſplene indurato, frequentia in vicina provincia Breſſia; cacoetica ſunt, fœtida, nec ſanantur niſi reſolutione tumoris lienis quæ raro obtinetur. Ægroti faciem pallido-luteam offerunt. Jam hanc ſpeciem ſuo tempore novit Celſus. « At lienis, ubi affectus eſt, intumeſcit, ſimulque cum eo pars ſiniſtra quæ & dura eſt, & prementi renititur, venterque intentus eſt: aliquis etiam cruribus tumor eſt; ulcera aut omnino non ſaneſcunt, aut certe cicatricem vix recipiunt; in intenta ambulatione vel curſu dolor & quædam difficultas eſt. »

XIII. *Exulceratio.* Eſt excoriatio ſuppurans ſeu ulcus ſuperficiale.

Talia ulcera diu vexant nonnullos poſt applicata veſicatoria.

XIV. *Fiſtula.* Eſt ulcus cortice calloſo vaginatum, oblongum, ore anguſtatum.

Maxillaris. Plerumque ſequela carioſi dentis; extracto dente, ſanatur ſponte fiſtula, ſicut pluries obſervavimus.

Pectoralis. Tali fiſtula laborat a plurimis annis civis Lugduneus poſt inflictum penetrans vulnus ſclopetarium. Si pus parce fluit, anxietas, anhelatio, tuſſis, orthopnæa ſuperveniunt. Alter fiſtula in pectore diu laborarat a contuſione vehementi. Operatione peracta, ſeu inciſione ad fundum ulceris, ſanus evaſit: ſed, paucis elapſis menſibus, diſpnæa ſupervenit, œdematia manus; hydrothorace periit: unde videre eſt quam caute claudenda antiqua ulcera quæ utilia emunctoria erant.

Fiſtula ani. Hujus ſpontaneam curationem propoſui in Adverſariis: quibus debiles pulmones, quibus jam ſigna tuberculorum adſunt, ſi fiſtula ani operatione ſanatur, phthiſis cito lethalis ſupervenit. Hujus plurima vidi exempla.

Lacrymalis. Hujus ſpontaneæ curationis dedi exemplum in Adverſariis. Sæpe ſupervenit talis fiſtula poſt variolas in infantibus qui abſque

carie ſuſtinent malum a ſecundo anno ad decimum, ſicut aliquoties vidi.

XV. *Sinus.* Eſt cavitas ulceroſa, pus continens, ampla, ſæpe multiplex, ore anguſto non calloſo, vel plane nullo donata.

In Adverſariis probavimus exemplis, ſolis adhibitis aptis compreſſionibus, naturam tales cavitates adimplere, illarumque parietes agglutinare poſſe, omiſſis injectionibus, quas, in hoc caſu, tanquam corpora externa, irritantia, contundentia conſideramus.

XVI. *Eſchara.* Cruſta mortua, ſicca, partis mollis, ſæpius cauſticis facta: eſchara ſenſus & vitæ expers eſt.

Eſcharæ lapſum ſola natura per ſuppurationem partium ſuppoſitarum procurat. Sæpe tempore convaleſcentiæ, eſcharæ magnæ in pedibus, dorſo ſeparantur, poſt febres amphemerinas. Vide exempla in Adverſariis.

XVII. *Caries.* Oſſis eroſio, cava, aſpera, perioſtio denudato, plerumque nigra, vel eſt tantum oſſis color flavus, ut in dentibus vel fuſcus aut niger ſine aſperitate; oſſa carioſa ſunt fragilia, friabilia.

Incompleta. In hac ſpecie tantum color oſſis eſt mutatus ſine eroſione & aſperitate illius: ſpontaneæ ſanationis vide exemplum in Adverſariis.

Completa. Cum os non tantum decoloratum eſt, ſed etiam arroſum & aſperum invenitur. In ſanis, robuſtis, ſolo impedito aëris contactu, os reintegratum ſæpe ſponte vidimus.

Externa oculis patet. Occultam prodit caro ſpongioſa, pus ſanioſum, fœtidum, ſtillans. Caro ſpongioſa, cauſticis aut cultro auferatur, reliqua naturæ committenda. Cauterium actuale, aqua fortis, perforatio oſſis trepano perforatorio tentanda, quando vires debiles protractiorem naturalem exfoliationem non permittunt ſperandam.

Cranialis. Allegavi hujus exemplum notabile in Adverſariis.

Caries ſicca, humida in dentibus huc veniunt; varioloſæ allegavi exemplum horrendum; ſcrophuloſarum plurimarum in Adverſariis, etiam ſiphiliticarum.

Addo ultimum. Homo 50 annorum natus, lue venerea laborans, cariem oſſium palati exhibet, cum ichore fœtidiſſimo. Sumpſit tribus integris menſibus liquorem Swietenii cum ptiſana althææ: ſanum dimiſimus quarto menſe ex noſocomio Lugduneo.

XVIII. *Arthrocace.* Ulcus medullæ ab interioribus ſponte natum, cum oſſis carie, vel eſt tumor integumentorum & oſſis, natus a carie oſſis ex ulcere medullæ. Vulgo vocatur

ſpina ventoſa. Incipiens cognoſcitur profundo dolore oſteocopo, cum puſtula rubra externa, vel ſine hac. Talem ſanavi in puella methodo Boerhaaviana, largo potu decocti guajaci.

Completa. Præter dolorem oſteocopum adeſt tumor ſpongioſus, dolens. Talem ſanavimus in altera puella eodem methodo, applicato, die & nocte, involucro plantis aromaticis farto.

Aperta. Dum jam penitus apertus eſt tumor & os vitiatum, viſui ſubjectum eſt. In hoc triſti caſu non quieſcit natura; aperit tumorem ut exitum procuret humori acri rodenti, detrimenta oſſis emollita, trita foras emittit, projicit, febrem veſpertinam excitat, ſubſequente dolore, ad eliminandum miaſma putridum quod maſſam ſanguinis inquinat: tandem laſſata, anxietates, animi deliquia ſuperveniunt futuræ mortis prodromi. Tales excitant orthrocaces miaſma ſiphiliticum, varioloſum, ſcrophuloſum, rachiticum, ſcabioſum. Etiam tales paſſim obſervavimus poſt febres amphemerinas, poſt graves contuſiones.

XIX. *Rhagas*. Eſt ſolutio continui ſicca, in partium mollium marginibus, ut labiis oris, vulvæ, in digitis, in lingua. Veneream obſervavimus in podice, vulva, glande. Curatur liquore Swietenii.

Lexivialis. Famulæ diu lavantes in lexivio ; huic vitio obnoxiæ ſunt ; hæ valde dolentes , cera fuſa cum oleo utile topicum in his fiſſuris.

Glacialis. In labris oris communis in ſeptentrione , frigore excitata : ſimile linimentum petit ad arcendum aëris contactum , ſub quo natura ſanat hoc leve vulnus.

XX. *Ambuſtio*. Eſt plaga a flamma ignis , corporibuſque ex igne candentibus liquidis , ferventibus , aut radiis ſolis in focum coactis , noſtro corpori illata , ſuccedentibus phænigmo , phlyctænis , vel plane eſchara.

Actione ignis lacerantur vaſcula , textus celluloſus corrugatur , humores effunduntur : ſic plurimæ partes mortuæ evadunt : igitur ſuppuratione a vivis ſubjacentibus ſeparandæ : unde febris localis , aut generalis , ſi major ambuſtio , inflammatio , dolor , pulſatio , quæ tot inſtrumenta naturæ operantis.

Levis ambuſtio rubefacit cutem cum dolore , major phlyctænas excitat , calens ferrum diu applicatum eſcharam producit. Moxa chinenſis magnum auxilium : tali methodo comburi poteſt , ut tres has ſpecies evolvat. Vana ſunt unguenta contra ambuſtiones ; ſufficit linimentum oleoſo-mucilaginoſum ad arcendum contactum aëris ; reliqua peragit natura. Si nimia febris , inflammatio : venæſectio , diæta tenuis , ptiſanæ

ſanæ mucilaginoſæ, nitratæ, indicantur; partium combuſtarum ſuppurationem, regenerationem, cicatricem ſola natura, ſicut in aliis vulneribus peragit.

XXI. *Fractura.* Eſt ſolutio cujuſcumque oſſis in fragmenta ſeparabilia, ſeu vulnus recens in oſſibus.

Plurimis exemplis probavimus energiam naturæ in fracturis: certe ſola calum producit, agglutinat oſſa calo iſto indurato. Induratio iſta fit brevi tempore, ſpatio unius aut alterius diei: non modò contigua oſſa reſarcire ſcit, ſed majores partes oſſium amiſſas, extractas, ſola poteſt elongando reliqua, ut non ſit poſt ſanationem os brevius: ſic fragmenta longitudine ſex pollicum in tibia & cubito reparata vidimus poſt fracturas aut necroſin oſſium. In hac corrupta pars oſſis vi vitali ſeparatur, cadit, novaque ſimilis renaſcitur. In his ars nullum jus ſibi arrogare poteſt, ſola natura omnia perficit. Plurimis exemplis patet membra contuſione quaſi comminuta, fragmentis plurimis vacillantibus, & ſtatuta amputatione, ſed ab ægro denegata, membrum ſervatum. Vidi in crure exemplum; lege ſimilia apud Bilguerum. In omnibus fracturis, artifices miniſtri naturæ extenſione, contra extenſione & directione partium oſſis ſeparatarum in naturalem ſitum,

& apta deligatione officium adimplent, reliqua committant beneficæ naturæ. Quando in fracturis complicatis cum vulnere, luxatione major febris aut inflammatio, venæſectiones in robuſtis, diæta tenuis, emollientia præſcribantur. Igitur ſuperſtitioſa, vana & abſurda medicamenta, callum producentia oſteocolla, &c.

Species fracturarum ſunt ſequentes:

Cranialis, quando oſſa cranii fracta. Vidi talem in qua fragmentum ſola actione naturæ ſeparatum & reintegratum fuit.

Naſalis, quando oſſa naſi fracta, cum depreſſione.

Maxillaris. Vidi pluries fracturam maxillæ inferioris natura ſola ſanatam.

Vertebralis, quando oſſa vertebrarum fracta: plerumque ſequitur paralyſis, mors.

Coſtalis, poſt fracturam coſtarum effuſiones ſanguinis in pectore, peripneumonia, fiſtulæ.

Clavicularis, fracturam ſimplicem claviculæ in medio corpore reduxi: ſanavit natura.

Humeralis; bis reduxi iſtam, reliqua peregit natura.

Cubitalem reduxi ſæpius; ſubſequente ſanitate, fracturas femoris frequentiores vidi & tractavi.

Patellaris, coalitio fragmentorum patelæ fractæ raro evenit; natura artificialem cap-

ſulam, tum callo, tum textu celluloſo peragit mirando artificio.

Tibialis etiam frequens tibiæ cum fibula fractura. Vide exemplum in Adverſariis, & fibulæ ſolæ: alias fracturas nundum tractavi, ſed fere omnes ab aliis directas vidi.

XXII. *Fiſſura.* Eſt diviſio, ſeu ſolutio cujuſdam oſſis, rimam referens, hanc ve non penitus ſolvens in fragmenta ſeparabilia.


Fiſſura cranii eſt in lamina externa, aut in interna, quando in lamina interna effunditur ſanguis inter cranium & duram matrem.

Contrafiſſura, *contre-coup*, quando quodpiam os cranii ſcinditur oppoſitum illi quod ſuſcepit ictum violentiæ externæ; difficile cognoſcitur. Certis exemplis novimus externas fiſſuras natura ſola curatas fuiſſe; internæ ſimile beneficium a vi vitæ obtinent, ſi ſanguis effuſus fuit parva quantitate, reſorbetur ſponte, calloque fiſſuræ reſarciuntur. Quando vomitus, amneſia effuſionem ſanguinis magnam indicant, neceſſaria evadit trepani applicatio ad viciniam fiſſuræ.

LUCUBRATIO ANATOMICA

DE FŒTU MONSTROSO ACEPHALO.

In noſocomio Grodnenſi, anno, 1779, ruſtica nomine Anna, viginti quatuor annorum nata, gravida a quinque menſibus, poſt caſum dolores pro partu ſenſit qui cito creberrimi poſt tres horas duos fœtus expulerunt. Obſtetrix mihi attulit tanquam curioſiſſimos. Examinavimus attente utrumque; erant feminei ſexus, una ſat bene conformata, præter brachia quæ inverſo ſenſu erant articulata, tali modo ut, in ſuſpenſo fœtu, flexio brachiorum dirigeretur ad dorſum. Sternum erat depreſſum in pectore, angulumque ſat acutum formabat. Nymphæ & clitoris erant portentoſæ molis, relative ad volumen corporis. Palpebræ epidermidi ſat firmæ erant agglutinatæ : elevando palpebram ſuperiorem, non levi conatu dilaceravimus membranam tarſos agglutinantem. Cum oculi eſſent pleni & diſtenti, noluimus perdere occaſionem, membranam Vaſchendofii & Halleri pupillarem confirmandi; igitur, adverſa luce, lente cryſtallina oculo examinato, vidimus pupillam



monstrum acephalum.

clauſam tela plurimis arteriolis roſeis in circumferentia variegata: centrum telæ apparuit glaucum.

Hoc peracto examine, ſecavimus corneam perlucidam cutello tenuiſſimo. Leniter premendo oculum, poſt inciſionem nec guttula aquæ effuſa protuberavit in vulnere veſicula, parvi piſi magnitudine; fortius premendo, membranula circularis fuit ſeparata, quam excepimus in capſula vitrea aquæ plena: poſt caſum tres guttulæ aquæ limpidiſſimæ effluxerunt. Iterum premendo globum oculi, lens cryſtallina protuberavit, propellendo ad marginem vulneris iridem integerrimam. Unde concluſimus poſt rigoroſum examen oculi, præter ſeparationem membranæ pupillaris, nullam allatam fuiſſe organo læſionem. Cum natantem membranam lente cryſtallina examinavimus, apparuit nobis perfecte circularis, diametri trium linearum; roſea erat zona in circumferentia, quæ attentius perſpecta exhibuit innumerabilia vaſcula retiformi modo inter ſe anaſtomoſi coalita. Centrum membranæ diametri unius lineæ & dimidiæ, glaucum colorem offerebat. Tria aut quatuor vaſcula vix diſtinguenda repebant in hoc centro. In altero oculo ſimilia pericula tentavimus, ſimili cum eventu. In eodem fœtu caput ſuperabat molem totius corporis; evidens erat copioſa quantitas ſeri inter cutem & cranium; poſt evacuationem,

cutis plicata ſegmentum circuli exhibebat ſupra oſſa, cujus corda altitudinem duorum pollicum & dimidii ſuppeditabat. Aperto thorace & abdomine, nihil extraordinarium invenimus; ſedulo enucleavimus omnia viſcera, nullum deficiebat, nihilque inſolitum in conformatione invenimus, niſi ſulcum profundum in ſterno, prorſus deficiente cartilagine xiphoideo. Hepar maximæ molis extendebatur æqualiter in utroque hypochondrio.

Secundus fœtus tam ſingularem conformationem nobis exhibuit, ut ante diſſectionem delineare ſtatuimus.

Fœtus iſte, etiam feminei ſexus, nec caput, nec brachia oſtendebat; truncus erat ſimplex, regulariter conformatus. Premendo partem ſuperiorem convexam, ſenſimus duritiem, ſicut proveniret a tactu clunium aut femorum; in dorſo erat depreſſio longitudinalis, ſicut in ſtatu naturali. Facies laterales hujus trunci erant parallelæ & convexæ, ſed nulla protuberantia obſervabatur in regione brachiorum, Facies anterior trunci plana erat, lateraliter ſubconvexa. Longitudo totalis trunci erat pollicum 3 & 1/[illegible], craſſitudo duorum pollicum. Funiculus umbilicalis in ſuo tractu æqualis; verſus placentam exhibebat membranam triangularem, baſis trianguli trium pollicum; in pectore nec veſtigia mammarum invenimus; in media parte pectoris ſumendo men-

ſuram ab umbilico ad verticem trunci parum lateraliter ; in ſiniſtra parte erat depreſſio margine irregulari ; in hac depreſſione tumor petiolatus petiolo breviſſimo ſuſpendebatur. Tumor iſte mollis ſat bene exhibebat figuram cordis alterius fœtus, & erat vere cor nudum, extus ſuper pectus pendulum, ſicut videbimus infra. Regio penis ſingulariter protuberabat. Nymphæ & clitoris maximæ erant, ſicut in ſorore, femora craſſa & ſolida pinguioraque quam in altero fœtu ; in fœmore ſiniſtro protuberantia erat obliqua a commiſſura cruris ad mediam partem ; crura bene conformata, pedes juxta latera compreſſi : in pede dextro tres tantum digiti, pollex, ſecundus & medius : in pede ſiniſtro duos invenimus, pollicem ſcilicet & medium. Femorum & crurum cutis erat alba ; clunes carnoſæ, albæ ; anus apertus ; dorſum, pectus & venter apparebant quaſi caro hepatis, ſcilicet ſaturate rubra. Longitudo totalis fœtus ſeptem pollicum, longitudo trunci trium & dimidii.

His omnibus attente perluſtratis, & delineatione accurata peracta, proceſſimus ad diſſectionem : incæpimus à facie poſteriori trunci ; inciſione peracta ab ano ad verticem trunci, lente ſeparavimus muſculos dorſi ; penetravimus uſque ad columnam vertebralem, quam inve-

nimus integram quoad os ſacrum, vertebras lumbares & dorſales : forcipe aperuimus juxta totam longitudinem thecam medullæ ſpinalis ; invenimus medullam bene conformatam cum involucris ſuis : diſtincte vidimus omnia paria nervorum qui naſcuntur ex medulla ſpinali ; inciſis membranis, medulla apparuit nec craſſior, nec tenuior quam in ſtatu naturali pro hac ætate ; ſuperius in tribus vertebris dorſalibus emaciata erat medulla, nec paria nervorum producebat. Primæ vertebræ dorſi orificium obturabatur textu celluloſo ſat denſo & copioſo ; in vertice producta inciſione & prolongata anterius uſque ad umbilicum, lente penetravit ſcalpellus profunditate unius pollicis in maſſa denſa, fibroſa, cuti valde adhærente parecchymati, in adulto hepatis conſiſtentiæ, quæ totam ſuperiorem partem trunci conſtituebat, intuſque fornicem formabat ſupra pulmones, & primam vertebram dorſi. Diu & attente quæſivimus veſtigium cranii & cerebri, ſed fruſtra ; invenimus tantum ſuper apophyſem tranſverſam ſiniſtram primæ vertebræ dorſi, nucem oſſeam, magni piſi molem æquantem, vertice apertam, oſſiculis variis & irregularibus fragiliſſimis conſtructam : in hac capſula nihil abſolute, etiam oculo armato, diſcernere potuimus, nec textum celluloſum, nec fruſtulum mininum ſubſ-

tantiæ cerebri aut cerebelli ; in anteriori parte , lente diductis labiis inciſionis , nihil ſimile ſterno obſervavimus. Erat tantum textus celluloſus ſat laxus , qui pulmones protuberantes connectebat cum cute. Fruſtra claviculas quæſivimus , nec non primam & ſecundam coſtam , ſed reliquas coſtas diſtincte vidimus. Cor in pectore diu & inutiliter quæſivimus ; tandem laſſatis venit in mentem tumor exterius ſuper pectus appenſus , qui attentius examinatus diſtincte exhibuit figuram cordis & auriculas.

Aperuimus ventriculos cordis : invenimus lacertos & valvulas , duo foramina diſtincta ducebant in pectore canalem unum qui deſcendebat in abdomen : judicavimus aortam deſcendentem , ſed in vicinia curvaturæ nullum ramum invenire potuimus. Ceterum , pulmones erant bene conformati , ſimiles pulmonibus alterius fœtus , ſed nihil ſimile cum trachea arteriali exhibebant. Ulterius penetralia examinando fruſtra quæſivimus aliquid analogum diaphragmati ; inteſtina convoluta replebant imum ventrem ; adhærebantque textui celluloſo laxo cum pulmonibus ; nec veſtigium aderat , nec portiuncula hepatis. Pancreatem invenimus , ſed fruſtra quæſivimus lienem ; meconii ſat copioſa quantitas replebat ſuperiora inteſtina , quæ æqualia quoad diametrum erant juxta totam longitudinem , uſque

ad inteſtina craſſa, quæ vere viſa ſunt ampliora, ſed nec eſophagum, nec ventriculum extricare potuimus; in vanum etiam quæſivimus renes & uterum, introducendo fiſtulam tenuem in orificium vulvæ &, flando, tantum veſiculas textus celluloſi in regione uteri obſervavimus.

His poſitis, debemus: 1mo, ſtatuere an iſta obſervatio ſit nova in toto, aut relative ad eſſentiales circumſtantias; 2, corollaria quædam deducere, quæ immediate fluunt ex phænomenis recenſitis, quæ dogmata phyſiologorum illuſtrare aut infirmare poſſunt.

Faſta medicinæ evolvendo nonnulla invenimus monſtra quæ plurima attributa ſimilia noſtro offerunt. 1°, in diario Breslavienſi, anno 1722, pro menſe junii, gemelli inveniuntur, quorum unus carebat brachiis, pectore, & capite, inferioribus partibus ſat perfectis. Aditus erat duplex ad inteſtina, & per anum & per umbilicalem funiculum. Aderat veſica & duo corpora renum ſimilium, nullum inteſtinum neque hepar neque ventriculus aut lien, vertebrarum initium ab imis lumbaribus. Igitur, etiamſi monſtrum iſtud ſit aliquo ſenſu, noſtro mirabilius, differt tamen plurimum, ſicut videre eſt conferendo utriuſque deſcriptionem. 2°, in diario Trivultiano pro 1706 anno, menſis julii, invenitur deſcriptio fœtus qui ſicut noſter nec

caput, nec brachia exhibuit; cor nullum, nec pulmones, nec hepar, ren unus tantum & inteſtinum cæco principio. Vena cava duobus ramis ad initium brachiorum, fiſſa, huic inſerta vena umbilicalis, arteriæ nullæ. Differt a noſtro in plurimis, nam invenimus arterias plurimas; erant venæ ſanguine plenæ, erat cor, erant pulmones. 3°, In ephemeridibus acad. Monſpell. pag. 104, deſcribitur puella in qua caput erat confuſum, cor in pectore nullum, neque pulmo, neque ventriculus aut lien, aut hepar, ſed unus ren, in lobulos diviſus; inteſtina exigua, vena umbilicalis ſicut in noſtro fœtu in venam cavam inſerta, nullæ in toto corpore arteriæ, medullæ ſpinalis tantum veſtigium. In pede utroque tantum duo articuli. Quis non videt quantum iſtud monſtrum differt a noſtro? 4°, Obſervationes noſtris analogas curioſi invenire poterunt in variis auctoribus, ſed nulla ex omnibus quas cognoſco tali modo congruit cum præſente, ut illam ſupprimere deberemus. Huc veniunt obſervationes clariſſ. Daubantoni, in deſcriptione muſei regii, ſeu in hiſtoria naturali immortalis Buffonii, tom. III, pag. 202, Bertini obſervatio conſignata in actis academiæ Pariſienſis, anno 1746, pag. 40, videatur etiam Mappi deſcriptio fœtus acephali.

Fœtus noſter acephalus, duobuſque brachiis

mancus, corde nudo, extra pectus appenſo, cui natura negavit totum encephalum, cerebrum, cerebellum & medullam oblongatum, diaphragma, hepar, lenem, renes, uterum, ventriculum, varia nobis jam propoſita inutiliter dogmata, ſancire & corroborare poteſt: 1°, actionem cordis nullo modo dependere pro vita conſervanda ab influxu cerebri, cerebelli & medullæ oblongatæ; 2°, cor natans in liquore amnii, omnia irritabilitatis jura poſſidere, libereque ſeſe contrahere & dilatare poſſe, ſpoliatum a pericardio; 3°, contra ſectatores Lacazii & Bordufii videre eſt pro integritate vitæ non abſolute neceſſarium eſſe diaphragma; 4°, circulationem ſanguinis & vitæ animalis propagines peragi poſſe, deſtructis & obliteratis plurimis arteriarum & venarum truncis; 5°, nutritionem (nam fœtus noſter plenus erat, & bene nutritus) rite ſuccedere, ſaltem in fœtu, ſuppreſſa actione hepatis & lienis, & ſuppreſſo influxu omnium nervorum cerebri; 6°, in fœtu noſtro copia erat meconii in inteſtinis; ergo meconium, ſicut non pauci phyſiologi docent, non provenit a reliquiis digeſtionis lymphæ amnios, poſt deglutitionem peractæ; 7°, omnibus circumſtantiis bene penſitatis, nonne ex hac obſervatione, etiamſi minus rigoroſe, concludere poſſumus

principium vitale nutritionem regens, prorſus eſſe independens ab anima rationali: vivebat iſte fœtus: ubinam ſedes illius animæ? Forte diu meditanti philoſopho ſimiles obſervationes, nonne concluſiones metaphyſicæ graviſſimi momenti ſeſe offerent, quas libenter ſupprimimus, ne falcem in alienam meſſem agitaſſe nos „ dicant malevoli.

Ad calcem hujus lucubrationis breves annotationes apponere juvat, circa nonnullas alias aberrationes naturæ quas obſervare nobis contigit. Filius quadriennis nobilis Poloni in manu ſiniſtra pollicem duplicem exhibet: prima phalanga eſt ſimplex, ſed ad baſim ultimæ ex latere interno naſcitur altera brevior & tenuior, quæ immobiliter affixa vero pollici, cute obducitur, & unguem ſicut in ſtatu naturali præſentat; creſcit unguis iſte ſicut in vero pollice. Anno 1778, tempore hiemali ſeu januario ruſtica Grodnenſis peperit. Duo erant fœtus novemmeſtres, perfectæ configurationis, rariſſimæque pulchritudinis, feminei ſexus, inter ſe agglutinati, tota fere regione abdominis, ſed liberi ſuperius, plenarie pectore, inferiuſque pubibus diſtinctis; utrique communis erat funiculus umbilicalis. Diſtractus aliis gravioribus negotiis, monſtrum iſtud ſcalpello ſubjicere non potui, ſed ſervatur integrum in muſeo regio academiæ.

OBSERVATIO
DE CALCULO IN CEREBRO
BOVIS REPERTO.

IN aula Nobilis, pro uſu menſæ fuit occiſus bos, ſanus reputatus & ſat pinguis. Aperto cranio, cocus lanio ſeparando cerebrum vidit in illius ſubſtantia corpus luteum, ſolidum: miratus attulit caput domino, hic non inutile reputans phænomenon iſtud, ſedulo ſeparavit, collegit corpus iſtud & pro deſſicatione poſuit ſuper armarium; poſt aliquot horas fruſtulatim cecidit calculus nucleo tantum integro perſiſtente. Hunc nucleum & fruſtula dono mihi dedit, ut determinarem. Coadunando omnia fragmenta cum nucleo, habui corpus perfectæ rotunditatis, unius pollicis diametri & quatuor linearum, ſuperficie glaberrima; color corticis fuſco-luteus, interne ocrei coloris. Relative ad magnitudinem, corpus iſtud eſt leviſſimum; formatum fuit certe ſucceſſu temporis; nam eſt congeries ſphærarum concentricarum, lamellatim ſicut in bulbis cæparum, convolutarum. Lamellæ iſtæ perfecte imitantur ſtrata lignea truncorum arborum: Zonæ centrales magis

approximatæ ſunt minus craſſæ ; exteriores inter ſe remotiores eo magis , quo magis diſtant a centro. Nonnullæ Zonæ crocei ſunt coloris , aliæ nigreſcentes , ſed pleræque perfecte referunt colorem rubiginis ferri. Fruſtula facillime franguntur , fricta , ſuper digitos , pulverem luteum derelinquunt : guſtata unctuoſa primo videntur ſicut boli , in ore detenta , ſed non maſticata , flagrantem odorem moſchi , & gratum ſaporem excitant , cito ſalivam tingunt colore luteo , maſticata amaritudinem excitant prorſus ſimilem ſapori rhabarbari , hujuſque ſenſationis duratio ſaltem ſemi-hora , quo tempore , fluxus ſalivæ evidenter adauctus.

Acidum nitri ſuper fruſtula effuſum nullam efferveſcentiam excitavit , ſed penetravit aliquot laminas , quas tingit colore nigerrimo , & friabiles reddidit. In lagenulam *Spiritus vini rectificati* , fruſtulum projeci , primo momento natavit , ſed poſt quadrantem petiit fundum lagenulæ , quæ vix ſemiunciam ſpiritus continebat , ſed nullam tincturam ſpiritui conceſſit.

Fruſtula leniſſima vi ſubtilius pulveriſata , tum aquam , tum ſpiritum vini , pulchro colore luteo tinxerunt , plenarie ſoluta in iis. Fruſtulum , candelæ igni expoſitum , ſicut calculus biliarius , nutriendo ex ſuo ſinu flammam , fuit combuſtum , temporeque combuſtionis , bullulæ

perpetuo exurgebat ſuper fruſtulum ſicut videre eſt, quando comburitur fructus nucis deſiccatæ. Diſſipata flamma in hoc fruſtulo, carbo manſit molem fruſtuli adhuc referens, ſed leviſſimus, & leniſſima vi pulveriſatus. Fruſtulum, tempore combuſtionis, odorem exhalabat penetrantem, ſed ſingularem; inter digitos fricatus carbo, inodorus apparuit.

EX FACTIS RECENSITIS, ET EXPERIMENTIS conſtat: 1°, Minimam partem hujus calculi eſſe terram non calcaream, nam cum acido nitroſo nullam efferveſcentiam peregit, & corpus leviſſimum eſſe relative ad molem; 2°, Gluten coadunans molleculas paucas terreas, eſſe copioſiſſimum relative ad illas; 3°, Gluten iſtud eſſe extracto-gummoſum, nam ſolvitur in aqua, & ſpiritu vini; 4°, Omnibus penſitatis, baſim hujus calculi bovini, nil aliud eſſe crederem, quam humorem inſpiſſatum, indolis bilis hujus animalis.

Quidquid ſit, rariſſimam iſtam obſervationem omni jure conſervare debuimus, quæ plurima conſectaria phyſiologis ſuppeditare poterit.

COLLECTIO

COLLECTIO PRIMA.

MORBI EXTERNI.

Contusio capitis. Observatio prima.

Lapis pondere 15 librarum, cadendo, fortiter percutit verticem capitis virginis 24 annorum natæ; caput dolet, ecchymoſis adeſt, plaga cum effuſione ſanguinis: diebus ſequentibus, etiamſi bis præſcripta fuerit venæ ſectio, cum enematibus, diæta tenuiſſima: adeſt capitis dolor, oris amarities, dolor in hypochondrio dextro; inflantur glandulæ colli cum dolore, propagatur ſuggillatio per majorem capitis partem, adeſt febris, delirium; topica varia applicata fuere, ſpiritus vini, cum decocto ſalviæ, balſama. Specillo tangente fundum plagæ, dolor crudelis excruciabat ægram; ſuppuratio ichoroſa per decem dies duravit, plures abſceſſus ſupervenerunt in variis partibus capitis, inter cutem & pericranium, lati, parum proeminentes: nulla fuit adhibita ſectio cutis pro evacuatione puris, tranſudavit per poros cutis pus modo viſibili; perfecte fuit curata poſt menſem a caſu. Balſamum ſulphuris Rulandi utiliter fuit præſcriptum.

Contuſio dorſi. Obſerv. 2.

20 ſeptembris 1779, Grodnæ, homo 40 annorum natus cecidit ex ſummitate muri magnæ fabricæ, in loco dicto, Loſoſnæ; expertus eſt contuſionem vehementem ſuper vertebras in regione lumbari. Levi tactu adaugebatur dolor, magna ecchymoſis cum tumefactione occupabat ſiniſtram partem lumborum. Præſcripſimus diætam tenuiſſimam, venæ ſectionem copioſam, embrocationes cum ſpiritu vini camphorato, enemata veſperi, ptiſanam nitratam cum decocto ſummitatum pini & melle; 23. nulla febris, dolor ut plurimum diminutus, tumor diſſipatus; ſupererat tantum macula lutea in loco ecchymoſis; 28. ſanus dimiſſus abiit.

Contuſio dorſi. Obſerv. 3.

13 Auguſti 1778, Grodnæ, Juvenis circiter 14 annorum natus, cecidit ex ædificio Loſoſnæ ab altitudine ſexaginta pedum ſupra dorſum. Magna erat contuſio in regione lumbari cum vulnere ſuperficiali. Præſcripſimus remedia enemata, ut in præcedenti caſu. 14. nulla ſupervenit febris, dolor plurimum minutus. 20. nullus dolor. 26. purgavimus ægrotantem propter diminutionem appetitus. 30. ſanus abiit.

Anevriſma Arteriæ maxillaris. Obſerv. 4.

Mulierem examino conquerentem de tumore ovi magnitudinem æquante, ſub maxilla inferiori. Quando deglutiebat, tumor augebatur; aderat pulſatio magna; rite omnibus examinatis, certus fui anevriſmate vexari; ſententia mea confirmata fuit a peritiſſ. Chirurgo, qui omnibus perpenſis anevriſma cognovit.

Anevriſma Carotidum. Obſerv. 5.

Virgo annorum 20, temperamenti ſanguinei, ſat obeſa, palpitationibus cordis valde obnoxia eſt à pluribus annis, quaque data occaſione recurrentibus. Carotides valde fortiter vibrant; pulſationis campus ſaltem latitudinem pollicis æquat. Si premitur extremitas hujus campi, ſentitur pulſatio altera extremitate, inter utrumque pollicem prementem; vacuum reſtat, duodecim lineas æquans. Suſpicor anevriſmaticam dilatationem utriuſque carotidis.

Amputatio Brachii. Obſerv. 6.

Miles ludendo vult ponere lapidem inter palum & malleum ingentem, qui pellit illum in terram pro fundamentis domorum in locis mobilibus; cadit malleus, miſero non expectante, tam duriter percutit brachium, ut manus, radius, cubitus

fuerunt contuſa, muſculi lacerati. Obſervata plaga in capite, dentes attritu fracti per mediam partem, vomuit ſanguinem. Nuntiavi mortem, dicendo fuiſſe percuſſionem in capite & pectore per conſenſum tranſlatam. Attamen rogatus brachium amputavi infra cubitum; nullum ſignum dedit doloris miſer, quando lente ſecabam tendines, ſed magna voce clamavit, durante ſectione cutis, & quod probat propter ictum non fuiſſe ſopitum, maximum ſentit dolorem quando nervos brachiales ſecavi. Vixit adhuc poſt octo dies, ſed debilis valde, a menſe uno vivit, peracta lente ſuppuratione, & ſeparatione carnium mortuarum. Sed quod mirum, erant oſſa cubiti & radii longitudine unius pollicis, nigra; ſeparavit natura partem oſſium mortuam, generavitque novam. Sanatus fere, indigeſtione imprudenter procurata, febre milliari correptus, periit ſextâ die a febris ortu, quadrageſima ab ictu.

Agglutinatio Palpebræ cum globo oculi. Obſerv. 7.

Juvenis, poſt vulnus inflictum in oculo, clavo, glutinatam habuit palpebram ſuperiorem cum conjunctiva. Celebris Chirurgus Lugduneus, in praxi audax, dextre operationem peregit; ſed ad impediendam novam agglutinationem, papyrum introduxit inter conjunctivam & palpebram: tanta ſupervenit inflammatio, ut fruſtra adhi-

bitis venæ ſectionibus, temperantibus, &c. Suppuratio globi oculi ſupervenit, quæ exſtirpationem oculi requiſivit.

Congelatio digitorum pedis. Obſerv. 8.

Die 8 januarii, homo 50 annorum natus, ruſticus, qui ſub dio vigilavit, transfertur in noſocomium. Digiti pedis erant congelati, carnes cæruleo-nigreſcentes, digiti indolentes, ſed dolorem experiebatur urentem ad radices digitorum; præſcripſimus creberrimas fomentationes ex ſpiritu vini camphorato, ſuperimpoſito baſilico. Die 9. cutis ſeparata; die 10. ſuppuratio bona ſtabilita; die 11 fugit ex noſocomio. Vidi poſt unum menſem ſanatum natura ducente; appoſuit tantum ſuper ulcera folia betæ uſque ad tempus cicatricis.

Ficus, Carcinoma ſupra Laryngem. Obſerv. 9.

Juvenis 16 annorum natus, à nativitate macula rubra, ſuper collum, humerum, & partem faciei defœdatus, exhibuit mihi tumorem ſedentem ſuper cartilaginem laryngis, quaſi ficum; anguſta baſi rubicundo-violaceus tumor, diu indolens, tandem a paucis diebus ulceratus, ſpargit odorem carnis putridæ cadaveroſum. Suſpicor indolem carcinomatoſam.

Ophthalmia. Obſerv. 10.

Virgo, optime menſtruata, gravi ophthalmia oculi dextri vexatur cum intolerantia lucis; adeſt viſus impedimentum, lacrymarum copia, dolor, calor. Extenditur dolor uſque ad tempora. Sponte ſanata.

Ophthalmia. Obſerv. 11.

Mulier, octoginta annorum nata, ophthalmia laborat cum pruritu vivido; adeſt etiam teneſmus. Purgantia præſcripſi, quibus optime evacuata, exindeque rubor oculi valde minutus; præſcripſeram fotum ex aqua decoctionis plantaginis.

Ophthalmia ex variolis. Obſerv. 12.

Poſt variolas macula in cornea lucida, cum ophthalmia atroci, doloribus rodentibus, lancinantibus, non tantum oculi ſed temporum, intolérantia luminis; fruſtra purgantia repetita & veſicatoria; ſanatam natura poſt duos menſes inveni. Erat Religioſa Grodnenſis monaſterii Sanctæ Brigittæ.

Ophthalmia ſcrophuloſa. Obſerv. 13.

Vidi unum infantem, ſex annorum natum, qui vexatur ophthalmia ſcrophuloſa; adeſt inflammatio conjunctivæ, intolerantia lucis; la-

crymæ fluunt acres, facies tumida, labia craſſa, ſicut in veris ſcrophulis.

Ophthalmia ſcrophuloſa. Obſerv. 14.

Infans, annorum trium natus, ophthalmia utriuſque oculi laborat, cum lacrymatione, intolerantia lucis; labia ſunt craſſa, tumida; glandulæ adſunt in collo infartæ; videtur ophthalmia ſcrophuloſa. Sæpius hanc ſpeciem obſervavi: præſcribo purgantia, veſicatoria. Evaneſcit ſi tumores augentur.

Labium Leporinum. Obſerv. 15.

Infans annorum decem, labium portat leporinum ſuperius cum fiſſura oſſis maxillæ ſuperioris, uſque ad medium palati, angulus acutus efficitur per disjunctionem maxillæ ſuperioris. Plurima vidi labia leporina, noviſſime unum carcinomatoſum in juvene 25 annorum nato.

Lupia Cancroſa. Obſerv. 16.

Œconomus regii prædii circa Grodnam, vir 60 annorum natus, carnoſus, parvæ ſtaturæ, melancholicus, agilis; in parte occipitali, tumorem monſtravit mihi indolentem, cæruleſcentem, ovi magnitudinem æquantem, inæqualem, leviter ichore ulceratum; applicatione unguenti videtur degenerare; lupia fit carcino-

matoſa ; dolet in radice quando mutatur tempeſtas. Suaſi ut tranquille ſervaret tumorem intactum , noluit credere. Chirurgus , me ignorante , exſtirpavit tumorem ; inde carcinoma verum apparuit. Margine lividæ , inverſæ ; mox pericranium ichore deſtructum , dolores atroces ; tandem , poſt ſex menſes marcens obiit.

Lupia in angulo oculi. Obſerv. 17.

Judæus lupia rubra mole nucis laborabat. Sedebat tumor in angulo externo oculi dextri ; mollis erat venis minimis varicoſis aſperſus , indolens. Occaſione tumoris cæruleſcentis œconomi reminiſcor vidiſſe talem caſum. Homo quinquagenarius , Lugduneus , exhibuit mihi talem tumorem ſuper radium , paulo ſupra carpum , tumor mollis, cæruleſcens , venæ varicoſæ vix apparentes in baſi , ab aliquo tempore dolor lancinans , remittens. Suſpicatus fui aliquod virus carcinomatoſum. Chirurgus tamen vere doctus tentavit operationem. Nunquam potuit poſt peractam perita manu inciſionem , ichore acri emanante , obtinere bonam ſuppurationem. Brevi tempore ulcus ſanioſum evolutum , tanta atrocia muſculos brachii depaſcens , ut amputatio brachii fuit decreta , ſed fruſtra tentata. Mortuus miſer homo poſt operationem.

Meliceris colli. Obſerv. 18.

Infans, quindecim menſium natus, poſt deſiccatam eruptionem lacteam, tumorem partis ſuperioris colli exhibet, magnitudine æquans ovum columbinum. Tumor indolens apparet, coloris cærulei ſanguinei; mollis premendo apparet; pultacea videtur materies; glandulæ adſunt parvæ in collo infartæ.

Meliceris dorſi. Obſerv. 19.

Infans, annorum ſeptem natus, tumorem in medio dorſi exhibuit frigidum, mollem, cuti concolorem, pugni magnitudinem æquantem. Fluctuatio perſentitur in apice; variolas paſſus eſt vix quatuor elapſis menſibus; pultacea ſentitur in tumore materia; facies eſt tumida, pallida; ſentiuntur glandulæ ſub collo; credo tumorem viro ſcrophuloſo formatum.

Staphiloma. Obſerv. 20.

Juvenis annorum viginti, tumorem hernioſum exhibet corneæ, magnitudinem acini vitis maximi& ultra referentem. Tumor eſt albus, cæruleſcens; conjunctiva varicoſa apparet. In oculo dextro macula jam partem pupillæ tegit. Valde obnoxius erat hic juvenis doloribus rhumatiſmi. A duobus

tantum menſibus macula corneæ incepit dextræ. Staphyloma, uva dicta, pedetentim crevit in cornea oculi ſiniſtri; totam fere corneam diaphanam occupat. Juvenis malam poſſidens idioſyncraſiam, pallidus, faciem offert hominis ſcrophuloſi. Denuo interrogatus, dixit ophthalmiam cum lacrymatione apparuiſſe poſt balneum frigidum calente corpore ſuſceptum; ſtaphyloma evolutum poſt inſolationem febre cephalalgia ſtipatam. Vena non fuit aperta, etiamſi febris ingens, inflammatio oculi valida.

Tumor ſcirrhoſus. Obſerv. 21.

Virgo bene menſtruata, temperamenti ſanguinei, viginti quinque annorum nata, colorem ſaturatæ in vultu rubicundum exhibens, tumorem portat indolentem, extremitatem brachii prope condylum internum humeri inferiorem occupantem. Durus eſt tumor; muſculi textum celluloſum occupare videtur. Tumor ſola repetita ſat dura frictione diſſipatus ſpatio unius menſis.

Tumor phlegmonodes. Obſerv. 22.

Virgo, viginti-ſeptem annorum nata, glandulas duas tumefactas habet ſupra humeri caput, verſus originem muſculi deltoidis. Æquant avellanæ magnitudinem; preſſæ dolent. Communiter opifices noſtræ, vitæ ſedentariæ deditæ, cubicula

habitantes, aëre craſſo, vaporibus onuſto infeſtata, morbos offerunt a lymphæ ſpiſſitudine eruendos. In noſtra facies pallida, laſſitudines hanc ſuſpicionem confirmabant: quin imo laborabat anorexia. Juxta conſilium villam petit. Inde, ſola actione aëris novi, exercitatione, frictionibus tumorum per tres menſes, ſana & florida rediit.

Tumor adipoſus ſuper pedem. Obſerv. 23.

Infans, duorum annorum natus, tumorem portat oblongum, qui incipit a prima phalange radicis pollicis pedis & extenditur ſupra malleolum internum. Tumor hic inæqualis eſt, magnitudinem pedis refert, indolens, etiamſi fortiter preſſus, nulla ſentitur fluctuatio; tactu mollis apparet, ſicut adeps; pes paululum extrorſus flectitur; non videtur folliculum habere. Incrementum accepit a quindecim menſibus. Infans faciem non offert ſcrophuloſam. Videtur tumor adipoſus. Repetitis frictionibus cum manu imbuta extracto molli ſaponariæ, paulatim diminutus tumor ad dimidiam partem, ſpatio duorum menſium; an plenarie diſſipatus ignoro; non attulerunt ultra puerum.

Tumor Parotidum. Obſerv. 24.

Antonius, annorum 14 natus, die 9 januarii 1780, exhibet tumorem in regione parotidum.

Pulſus frequens, alvus ſtrictus, lingua alba; ſicca; 10. januarii ſomnus bonus, lingua rubra; 11. laxitas alvi, pulſus jam bonus, durities glandularum minuitur; ſanus 12 januarii exiit. Diæta fuit tenuis, ptiſana nitrata, pediluvia, clyſmata emollientia. Tumefactio textus celluloſi extendebatur ſuper collum. Noſtri Lugdunenſes hunc tumorem vocant *ourles*, *oreillons*. Centies vidi infantes hoc morbo afflictos ex utroque latere; primis diebus, febris adeſt cum exacerbatione veſperi; dolor, rigiditas colli, anxietas, durities magna tumorum. Una aut altera ſeptimana ſponte evaneſcunt hæ indurationes.

Tumor inflammatorius genæ. Obſerv. 25.

Puella mea, ſex annorum nata, tumore indolente ſub mento ac latere dextro laborabat ab aliquot diebus, fine februarii. Duravit tumor 12 dies; ambulabat puella, læta erat. Initio martii, regnante epidemia morbellorum laboravit febre; tumor inflammabatur; erat calor, tenſio, dolor; extendebatur ſenſim tumor ad parotidem; totus textus celluloſus faciei hujus lateris corripiebatur. Tumefactio ſupervenit palpebrarum; febris valida, anxietates, debilitas artuum, inſomnia, clamores, difficultas maſticationis, eruptio tertia die a febre macularum tanquam urticarum in dorſo, clunibus

& facie ; vix quadraginta horas duravit eruptio : erat fætor halitus ex ore & totius corporis emanans , ſat ſimilis odori variolarum ; nullus appetitus , colicæ intercurrentes , conſtipatio ; ſponte 4 die a febre aperitur venter. Copioſa fuit evacuatio cum levamine ; 10 die ab inflammationis initio , tumor exhibuit ſigna ſuppurationis ; ſponte aperitur , minimo hiatu fluit materia luteo-alba , laudabilis puris forma. Poſt quinque dies clauditur foramen ; iterum ſupervenit rubor & tumor ; 4 die aperitur iterum ſponte : ab hoc tempore fluebat materia ſat copioſa , uſquequo fuit plenaria ſacci evacuatio.

Toto curriculo morbi , nullum ſumpſit intus aut extus medicamentum ; ſuppuratione facta , applicavi panem coctum cum lacte ſuper foramen. Tumor ſub mento æquabat molem pugni. Parotis erat dura ſicut lignum : nunc ſana vix cicatricis ſigno apparente. Tempore irritationis bibit aquam cum pane coctam ; ſumpſit offas parvas & tenues.

Tumor. Abſceſſus calculum includens. Obſerv. 26.

Homo ſexagenarius tumore in regione iliaca diu laboravit ; poſt quatuor annos tabe confectus , extus tumor eminuit ; deliberatione peracta , apertura tumoris fuit decreta ; mortuus eſt ægrotans poſt peractam operationem. In tumore

calculus pugni magnitudinis repertus; in centro tanquam nucleus adhærebat acus longitudine digiti. Calculus in magna quantitate puris natabat; moles tumoris caput adulti æquabat.

Tumefactio inflammatoria palpebræ inferioris & genæ. Obſerv. 27.

Die 29 ſeptembris, juvenis viginti annorum natus, exhibet tumefactionem palpebræ inferioris lateris dextri cum faciei intumeſcentia; tumor magnitudine nucis, ſubmollis, vix dolens, cœruleſcens; 6 octobris ſponte ſupervenit ſuppuratio; ab 8 ad 11 fundus tumoris elevatur ad ſuperficiem cutis; cicatrix perfecta 13. Sanus abiit 14; nihil præſcripſimus niſi defenſivum a contactu aëris, ex tela diapalmi.

Grando. Obſerv. 28.

In commiſſura femoris mei, tumor magnitudine piſi majoris, ſplendens, glaber, duriſſimus, indolens, etiamſi diu fortiter preſſus, duobus annis ab avenæ magnitudine crevit, ad molem maximi piſi; tandem, ſponte ſe aperuit; variis vicibus ſebum albiſſimum, ſpiſſum effudit; prima vice extraxi molem nucis; poſtea exprimendo minorem quantitatem obtinui. Sic quolibet menſe preſſione fluxit certa quantitas materiæ: tandem, ceſſavit fluxus, nullo veſtigio cicatricis relicto.

Verruca. Obſerv. 29.

A 10 ad 15 annum plurimas verrucas in manibus meis protuberantes vidi. Una major ad extremitatem annularis digiti premendo unguem, curvavit illum juxta longitudinem; lapſu temporis, ceciderunt omnes hæ verrucæ, nullo applicato remedio. Innumeras in aliis vidi; probe memor bonæ meæ fortunæ, ſemper topica diſſuaſi; illi etiam omnes ſpontaneam curationem obtinuerunt. Noviſſime unus ex meis infantibus viginti ſaltem tales excreſcentias verrucoſas in manibus offerebat, quæ omnes paulatim ſponte evanidæ.

Abſceſſus magnus brachii. Obſerv. 30.

Præfectus militum Grodnæ, nomine Froelich, obeſus valde, quadraginta annorum natus, rubedinem in cubito ſiniſtro cum levi dolore obſervat. Die ſequenti, extenditur rubor cum dolore majori; præſcribitur venæ ſectio cum cataplaſmatibus emollientibus. Inde major rubor, dolor & inflatio; tumor brachii ſplendet cum colore magis luteo rubro; dolor tolerabilis. Appellatus phlegmonem cum eryſipelate cutis eſſe judicavit; alteram venæ ſectionem præſcripſi cum fomentationibus ex infuſo florum ſambuci; increſcit iterum tumefactio, dolor augetur; poſt octo dies, ſenſit æger

titillationes, punctūras in antibrachio, præſertim in cubito : attente examinando, ſentio tumorem flaccidum, mollem, ſub digitis fluctuationem. Die ſequenti aperitur ſponte, fluit pus copioſe; diebus ſequentibus, quatuor vicibus quaque die, tria aut quatuor puris cochlearia ex apertura abſceſſus: evidenter erat ſuppuratio peracta in omni textu fere muſculorum antibrachii. Hæc magna puris quantitas apparuit propter temperamentum ægrotantis valde pingue. Poſt aliquot dies a ſuppuratione experta, quaque deligatione fluunt tria cochlearia ſeroſitatis albicantis : hoc phœnomenon obſervatur per ſex dies. Quid ſignificat hæc ſeroſitas aquoſa? Tandem abſque inciſionibus, compreſſionibus rite peractis, regimine ſanatus fuit æger ille mihi amicus cariſſimus. Poſt curationem fuerunt cruſtæ variæ & quaque temporis mutatione titillationes fatigarunt illum ſpatio duorum annorum.

Suppuratio femoris ſingularis. Obſerv. 31.

Homo poſt validos dolores in femore rubore tumefactione ſtipato, omnia ſigna ſuppurationis exhibuit. Fluctuatio manifeſta in vaginis muſculorum erat. Decreta fuit die ſequenti abſceſſus apertura : ſed quando præſens fuit Chirurgus, nullum fuit ſignum fluctuationis, abhincque ſanus evaſit æger

Abſceſſus

Abſceſſus auris. Obſerv. 32.

Die 11 novembris, juvenis quatuordecim annorum natus, nomine Laurentius, exhibuit ſuppurationem in aure ſiniſtra : pus laudabile fluebat minima quantitate ; præceſſerat maximus dolor capitis cum otalgia per aliquot dies : ſumpſit purgationem ex jalapæ granis 30 qua bene fuit purgatus abſque dolore ; ſanus exiit 15. In noſocomio grodnenſi.

Aphtæ. Obſerv. 33.

Mulier annorum 56 procero corpore, iræ dedita, anno integro languit, appetitu proſtrato. Difficilis erat reſpiratio ; menſe martii vidi eam : diarrhœa erat continua ; puſtulæ inflammatæ oris parietes ocupabant ; omnia reſpuebat ; febris vexabat quaque nocte ; nullum remedium accipere voluit. Sic vixit uſque ad finem aprilis, qua mortua eſt. Hic morbus nullumtypum habuit; quiſnam fuit ignoro ? An aphtæ ?

Aphtæ. Obſerv. 34.

Duos vidi infantes primi anni, qui poſt curationem variolarum, aphtis fuerunt afflicti. Puſtulæ albæ in lingua, gingivis, palato cum deglutiendi difficultate, quæ per paucos dies ſponte diſſipatæ. Aphtas morbum frequentem apud infantes Lithua-

niæ jam pluries obſervavi. Propter dolores vehementes die & nocte clamant. Febris adeſt, agrypnia, calor cutis urens; vix deglutire poſſunt propter dolorem : præſcripſi omnibus enemata emollientia, aquam mulſam ; hic morbus infantes lactentes aggreditur ; omnes ſanatos vidi ; viginti ſecutus fui. Rarior morbus Lugduni Gallorum ; vidi tamen in noſocomio lugdunæo : noſtræ appellant (*le blanchet*) : eadem methodo ſanos dimiſi omnes, ſeu potius ſponte ſanantur.

Cancer ſingularis. Obſerv. 35.

Mulier 60 annorum, mater uxoris meæ, temperamenti ſanguinei, colerici, nulla cognita externa cauſa, ſenſit tumorem ſcirrhoideum in mamma ſiniſtra. Elapſis ſex menſibus, cutis adhæret tumori, retrahitur, minuitur mamma, dolores lancinantes urgent ; cruſta, elapſo anno, apparet deciditque ſine ichore. Duobus elapſis annis, dolores in brachio ejuſdem lateris ſentiuntur, ichor manat ex mamma. Tertio anno, omnia in pejus ruunt, dolores augentur, minima apparet mamma, cavitas efformatur magna a retracta cute verſus axillam ; ichor manat copioſus. 4 anno ulcus augetur, carnes protuberant, exurgunt ; muſculi tendines brachii retrahuntur. Præſcribitur opium ad placandos dolores. Initio 5 anni ichor niger erupit. Dolores cruciatus exaſpe-

rantur, paulo poſt animi deliquia, macies, mors. Fruſtra magnam quantitatem extracti cicutæ ſumpſit toto morbi decurſu.

Cancer. Obſerv. 36.

Mulier 40 annorum nata, a tribus menſibus doloribus in brachio ſiniſtro per aliquot dies vexatur, exinde ſub axillis in mamma ſiniſtra apparent indurationes. Chirurgus varia ſpirituoſa applicat. Scirrhus in mamma augetur quaqua die: dolores lancinantes excruciant ægrotam: nunc tumor totam occupat mammam, quæ rubra, inæqualis, figuram braſicæ floridæ exhibet, aut melius renis fœtus. Sanguis ſtillat ex fiſſuris, fœtor ſupervenit horrendus cum gangrena; adhibeo cicutam intus & extus & cortice peruviano mammam mortuam lavo, bona ſuppuratione fuit ſeparata a vivis carnibus. Mulier hæc mortua est 6 februarii. Poſt caſum mammæ corruptæ bona ſuppuratio apparuit menſe januario; ſed fine hujus & initio februarii inflammatio erat. Brachium ſiniſtrum œdematoſum cum dolore in regione omoplatæ. Novum carcinoma apparuit; tribus diebus ante mortem reſpiratio erat difficilis.

Carcinoma. Obſerv. 37.

Faber temperiei ſiccæ, annorum 50 natus, ulcus cancroſum geſtat in parte poſteriore brachii.

Serpit ulcus a cubito ad humerum. Examinavi marginem : phlyctænæ aderant ſero acri plenæ; intermedia pars ſicca erat & quaſi cicatrice obducta. Fruſtra diu ſumpſit extractum cicutæ, napelli, &c.

Carcinoma. Obſerv. 38.

Ruſticum vidi qui cancrum fœtidum præſentat in pede.; tumor occupat a media parte cruris ſiniſtri uſque ad extremitatem digitorum; fungi elevati & inæqualis magnitudinis conſtituunt tumorem ; odor teterrimus emanat ; hi fungi cito creverunt, vix a duodecim diebus. Fomentationibus abſinthii odor profligatus. Utilis fuit uſus internus arnicæ montanæ; hanc obſervationem ulterius proſequi non potuimus propter fugam ægrotantis. Ex noſocomio Grodnenſi.

Carcinoma gingivarum. Obſerv. 39.

Mulier nobilis Poloni 30 annorum, poſt varios tumores in extremitate digitorum, panaritium æmulantes, tuſſi corripitur ; febris adeſt ; ſputa ſpiſſa excernuntur ; ſudores copioſi ; plurie purgata fuit ; dolor aderat capitis. His omnibus pacatis œdematoſa facta eſt ; elapſo ſaltem integro menſe, ſemper cubiculum calidum occupabat ; die ſecunda poſt primam ambulationem, crudeliter dontalgia cum gena tumida vexatur ; extrahitur

dens dolens : abſceſſus apparet in palato, inciſione peracta, ſuppuratio rodit perioſtium. Os nudum videtur, margines ulceris ſunt fungoſi, fœtidi dolentes valde: in hoc ſtatu vidi, ſuaſi uſum extracti cicutæ, ptiſanam xanthii ſtrumarii; abiit poſt aliquot dies. Anno ſequenti vidi maritum qui uxorem his ſimplicibus remediis ſanatam fuiſſe ſpatio duorum menſium affirmavit.

Carcinoma linguæ. Obſerv. 40.

Nobilis Polonus in latere dextro linguæ tumorem viſui meo exhibuit, longitudinis avellanæ craſſitiei trium linearum: durus erat tumor, tuberculoſus, apice ulceratus, dolor acris, titillatio. Judicavi ex claſſe carcinomatum. Diætam tenuem, extractum cicutæ, ſudorifera præſcripſi; poſt menſem minor fuit tumor, ulcus album; elapſo vix altero menſe perfecte fuit ſanus; ſub fine utiliter lavabat ulcus aqua extractum ſaturni dicta.

Ambuſtio ſubſequente febre. Obſerv. 41.

Prima decembris 1779, homo 24 annorum natus, qui mundabat caminos, exhibet puſtulas magnas in fronte, cruſtas in brachio a combuſtione. Pulſus plenus vix frequentior, dolor capitis levis, laſſitudo : venæſectio præſcripta, purgatio levis. Sexta decembris ſanus abiit. Ptiſana cum cremore tartari; ſecunda die vix febris; dolor nullus tertia die.

Numeroſas ambuſtiones tractavimus. In levibus

nihil præſcripſimus, defenſivum tantum appoſuimus ceratum contra contactum aëris, majores ſicut morbos inflammatorios graves direximus venæ ſectione, emulſionibus, ptiſanis mucilaginoſis, nitratis. Supra cutem in omnibus ceratum galeni aut balſamum Arcæi applicavimus. Reliqua naturæ commiſimus, quæ tam belle ſeparat fibras igne corrugatas lenta & efficaci ſuppuratione, quæ poſt hanc, ſic conſtituta plaga recenti, ſola textum novum celluloſum, novaſque fibras elongare, adunare ſcit.

Scrophulæ. Obſerv. 42.

Infans 12 annorum natus, qui nullo modo faciem ſcrophuloſam habet, a pluribus menſibus, inflationem exhibet partis radii infimæ. Dolor adeſt propter compreſſionem. Fruſtra tentavi varia remedia, nec reſolutionem obtinere potui. Vidi iſtum poſt aliquot annos ſpontanea curatione ſanatum tempore pubertatis, viginti ſaltem notatos habeo caſus ſcrophularum graviſſimarum cum tumoribus variis, ulcerationibus, hoc tempore pubertatis ſponte diſſipatarum.

Tumor ſcrophuloſus. Obſerv. 43.

Puella ruſtica decimum ſeptimum annum agens, nondum menſtruata, glandulas colli adeo in-

fartas habet, ut maſſam referant melonis magnitudine præſertim lateris dextri; tumores extenduntur a parotide uſque ad radicem colli. Cruſtæ etiam adſunt nigræ glutinoſæ ſuper labia, tumor ſuppuravit ſupra parotidem ſiniſtri lateris. Collum rigidum & reflexum apparet. Propter magnitudinem tumoris, ſenſim macies ſupervenit; mortua eſt.

Scrophulæ. Obſerv. 44.

Puella octo annorum nata, poſt deſiccationem eruptionis cruſtaceæ & ichoroſæ in capite, plures glandulas in collo induratas & infartas offert: halitus & ſudores fœtidi. Frequenti catharſi cum duabus dragmis ſalis ebſamenſis, motu, ruſticatione ſanata fuit.

In tumoribus ſcrophuloſis, præſertim cum tumefactione oſſium, cauterium & inciſiones abſceſſuum nocivæ ſunt ſicut centies vidi; omnia committendo naturæ, juvando illam ptiſanis præſertim ex foliis fraxini, radice ſcrophulariæ cum ſale glauberiano, lente hæc ſed tute ſuppurationem tumorum præparat, novi exurgunt tumores, primis ſanatis; ſic uſque ad 14 aut 15 annum, quibus tales eruptiones ceſſant ſponte.

Scrophulæ. Obſerv. 45.

Puella ſexennis, cujus parentes ſani nec non nutrix, poſt tormina ventris ſenſit dolorem obtu-

ſum ad radicem digiti annularis manus ſiniſtræ. Paulatim tumefactio evolvitur, circa primam phalangem hujus digiti. Tumor renitens, cærulescens; mox premendo ſentio tumefactionem primæ phalangis. Poſt duos menſes, lenta ſuppuratio ſupervenit tumoris. Anno ſequenti iterum tormina ventris atrocia quæ excruciarunt ægrotam ſpatio quindecim dierum, poſtque tumor exurgit verſus cubitum qui lentius crevit & ſuppuravit. Tertio anno, tumor ſimilis occupavit faciem externam pedis ſiniſtri ſubſequente paulatim intumeſcentia oſſium tarſi. Quarto anno, novi tumores in brachiis & ſuper ſcapulas, ſed florida facies, nullæ glandulæ in collo; vigebat appetitus. Quinto anno tumeſcentia major oſſium pedis & manus ſiniſtri lateris, dolores acerrimi intermitentes. Sexto anno anaſarca pedis & manus quæ paulatim diſſipata; ſeptimo iterum leucophlegmatia cum aſcite, quæ profligatæ, mania intermittens ſupervenit, tandem lypothymia, mors. In hoc morbo mercurialia fuerunt nociva.

Scrophulæ. Obſerv. 46.

Paucos inveni ſcrophuloſos in Lithuania, præſertim apud ruſticos; nonnulli nobilium infantes hac lue ſunt affecti, econtra Lugduni Gallorum, numeroſi præſertim infantes plebeii, ſcrophulas offerunt. Circa Lugdunum pauci ruſticorum pueri viru hujus morbi cognoſcunt, ſed quod probe

notandum ; ruricolæ Lugduni maritati infantes ſcrophuloſos nutriunt, quorum fratres campis affixi hanc labem ignorant. Centies vidimus quam lente ſerpit hoc malum : caries oſſium cum tumefactione (ſi oſſa non ſunt detecta) abſque dolore laborat per ſex & octo annos ; ſed quod mirum, tempore dato, ceſſat caries, mundantur oſſa, cutis agglutinatur textu celluloſo cum oſſibus, profundæ cicatrices apparent, & ſani vivunt qui hac turpi lue erant infantes victimæ, seneſque evadunt. Tales noſco ſeptuagenarios, qui plures numeroſas cicatrices in collo, brachiis, pedibus occultant. Hi teſtes ſunt mirorum arcanorum naturæ, ipſiuſque autocratiæ.

Puſtulæ faciei. Obſerv. 47.

Apud juvenes ſæpe tumores piſi magnitudine aut minores in facie, rubri, duri, calidi, dolentes apice albeſcunt ; tunc expreſſi fundunt quaſi vermem puriformem ; qui plethorici, qui vinum copioſe bibunt, qui nimium caſti, huic vitio ſunt obnoxii.

Furunculi. Obſerv. 48.

Puella 18 annorum nata, ſentit tumorem ſub axilla ſiniſtra : adeſt dolor, calor, pulſatio, renitentia. Creſcit tumor ſpatio unius ſeptimanæ, ſenſim creſcendo ad molem ovi columbini ; tandem apice ſponte aperitur ; fluit pus paulatim &

guttatim una integra ſeptimana. Sic æquo pede minuitur tumor, tandemque evaneſcit. Vix elapſo menſe, novus ſimilis exurgit tumor ſub altera axilla. Simili modo ſponte ſanata. Numeroſos tales tumores ſola actione vitæ diſſipatos vidi.

Herpes marginis ani. Obſerv. 49.

Mulier a viginti annis poſt ambulationem, humorem acrem ex ano emittit, qui lintea maculat. Humor luteſcens, acer, marginem ani rubefacit, ardoremque creat. Quibuſdam circumſtantiis copioſior eruebat.

Plurimos herpetes ſanavi, præſcriptis repetitis catharticis, lenioribus plerumque ex tribus unciis mannæ & uſu ptiſanæ glycyrrhizæ, applicatione ſucci ſeu extracti ejuſdem radicis ſuper herpetem.

Canonicus ſexagenarius a plurimis annis herpete excruciabatur, qui extendebatur ſuper ſcrotum totum & faciem ſuperiorem femoris. ſuaſi ut non ſanationem tentaret, contentus ptiſanæ glycyrrhizæ ad pacandum pruritum; ille pertæſus, obtemperavit conſilio chirurgi, qui, neſcio quo emplaſtro, paucis diebus diſſipavit eruptionem. Sed, vix elapſo uno menſe ſupervenerunt anxietates, anorexia, vertigines; tandem hic miſer ictu apoplexiæ fulguratus fuit.

Herpes a ſuppreſſione menſtruorum. Obſerv. 50.

Virgo male menſtruata herpeticam eruptionem in variis corporis partibus exhibet. Temperamen-

tum ei adeſt adipoſum, cutis alba, lævis, lentor in motibus. Nunc vexat eam eruptio in brachio; ſupra carpum externa facie adſunt puſtulæ numeroſæ, ichoroſæ, cum zona rubra; aggregatæ ſunt puſtulæ; tumidum apparet brachium. Videtur hic morbus, menſtruorum aberratio, ſeu herpes a menſtruis ſuppreſſis. Vere prædixi, nam copioſius fluentibus catameniis, poſt motum, frictiones, balnea vaporis, paulatim profligatus fuit herpes.

Herpes horrendus. Obſerv. 51.

Mulier 33 annorum nata, vultum offert horrendum; adeſt eruptio cruſtoſa, quæ vexat eam a viginti annis. Fruſtra tentavit varia remedia interna & externa, cauteria, cauſticos liquores. Occupat hic herpes majorem partem naſi, genas & labia. Plurimum diminuta eruptio lento uſu liquoris ſvieteniani ſeu ſublimati corroſivi in aqua diſſoluti, ſed parca doſi.

Herpes a ſuppreſſione menſtruorum. Obſerv. 52.

Mulier 36 annorum nata, poſt partum, hæmorrhagiam uteri experta eſt, duravitque ſanguinis fluxus plurimis menſibus; quo ceſſante, erumpit ſuper brachium ſiniſtrum herpes, qui vexat eam a duobus menſibus cum moleſto pruritu; ſi catamenia fluunt, minuitur pruritus,

papulæque herpetis minus elevatæ minuſque ardentes. Pruritus diminutus ſolo diuturno uſu ptiſanæ glycyrrhizæ.

Herpes. Obſerv. 53.

Mulieri, in brachio eruptionem herpeticam patienti, præſcripſi triginta grana jalapi cum melle. Pluries fuit evacuata aut ſaltem vigeſies, cum vomitu abſque torminibus; ſecunda vice idem remedium ſumpſit, non vomuit, ſed, valde purgata, curata fuit purgantibus & glycyrrhiza.

Scabies. Obſerv. 54.

Puella mea quatuor annorum nata, contactu ſcabioſæ ſervæ, ipſamet ſcabie contaminatur. Malum incepit a puſtulis in radicibus digitorum cum pruritu; inde ſenſim extenditur eruptio in omni ſuperficie corporis. Non modo erant puſtulæ, ſed minores abſceſſus tam vere puſtulas varioloſas ſuppurantes fingentes, ut non peritus illam variolis affectam crediδiſſem, præſertim in vola manuum. Per duodecim dies ſumpſit flores ſulphuris; poſtea uncta fuit unguento ſulphuris: ſic plenarie ſanata. Illius mater luem contraxit; unctione cito fuit ſana cum unguento ſulphuris. Diu naturæ malum

dereliqui : ſemper in pejus ruebat. Quare nocte major pruritus?

Scabies. Obſerv. 55.

Die 25 novembris 1779, juvenis 15 annorum natus, laborabat ſcabie. Puſtulæ erant numeroſæ piſi magnitudinem referentes ſiccæ. Aliæ erant majores, cruſtoſæ, cinereæ, præſertim in pectore. Præſcripſimus purgationem ex jalapa, ptiſanam xanthii ſtrumarii, flores ſulphuris mane & veſperi. Sanus abiit 15 decembris. Hac methodo, ſemeſtri toto, in noſocomio Grodnenſi, tractavimus viginti & plures ſcabioſos; in pleriſque puſtulæ erant ſuperficiales, ichoroſæ, rubræ. Fine morbi, ſeu quando puſtulæ vix fundunt humorem ichoroſum, tum permittimus frictiones unguento ſulphuris aut unguento mercuriali, præmiſſa una aut altera purgatione.

In Lithuania fere omnes Judæi ſcabie affliguntur, huncque morbum diu tolerant nec cogitantes de curatione. In nonnullis ſquamæ cinereæ, griſeæ, ſiccæ, duræ majorem partem cutis tegunt quaſi lepram referentes. Plurimos ſanavi uſu diuturno ptiſanæ radicum buxi & liquoris ſvieteniani.

Raro pro profliganda ſcabie venæſectionem præſcribo; raro ptiſanas lapathi & alias: ſufficiunt intus & extus ſulphur aut mercurius.

Ulcerationes umbilici. Obſerv. 56.

Sæpe vidi ulcerationes poſt caſum funiculi umbilicalis. Nullum præſcripſi remedium : ſponte ſanantur, applicato defenſivo. Cadit funiculus a 6a ad 8am diem a nativitate.

Fiſtula ani ſingularis. Obſerv. 57.

Mulier 40 annorum nata, olim hæmorrhoidibus poſt partum valde obnoxia, criſtas duas in parte ſuperiori ani, chirurgo ſuo oſtendit. Ille tanquam productum luis venereæ has criſtas conſiderat, at tamen maritus fuit ſemper ſaniſſimus, infantes ſani admodum. Interim præſcribuntur curatio antiſiphilitica, frictiones cum unguento napolitano, balnea, ptiſanæ opportunæ; copioſa fuit ſalivatio, ſed in ore tumores, dolores, ardores excruciarunt ægram; cephalalgia crudelis, diu poſt adminiſtratum hydrargyrum vexavit illam: diu a curatione tali ſuppuratio juxta anum cognoſcitur, quæ quaque die creſcens, jam a ſeptem durat menſibus. Vidi cochlear puris evacuatum ex ano; lintea quotidie pure & ſanguine conſpurcantur; adeſt ſupra ſphincterem cavitas magna, quæ nunciat ſuppurationem incepiſſe ab iſta regione; attamen ſuppoſitorium in ano introductum, nullum indicium exhibuit puris

Die ſequenti a prima mulieris viſitatione, copioſa per anum hæmorrhagia cum animi deliquio debilitavit ægram. Chirurgus, me jubente, introduxit ſuppoſitorium in ano, tegitque ventrem glacie. Sanguis hac methodo ſupreſſus fuit. Ex hac die ſat bene valebat ; ſed iterum poſt paucos dies fluxit pus ; tandem ſenſimque emaciata placide anno ſequenti mortua eſt.

Fiſtula ani. Obſerv. 58.

Juvenis 18 annorum, peripneumonia laboravit. Omiſſa fuit venæſectio. 14 die morbi, magnam quantitatem puris exſcreavit, cujus copia paulatim diminuta, poſt tres hebdomadas appetitus rediit, vireſque refocillatæ. Sed quando ceſſarunt ſputa purulenta, tumor apparuit ad marginem ani, ovi gallinæ magnitudinem referens. Conſilio medici & chirurgi peracto, neceſſaria inciſio fuit judicata ; recuſavit ægrotans. Die ſequenti ſponte apertus abſceſſus. Iterum poſt tres menſes conſilium medicorum ; turunda introducta in apertura abſceſſus indicavit fiſtulam longitudinis quatuor pollicum, crepituſque erumpebant apertura abſceſſus. Neceſſariam operationem pronunciavimus ; iterum recuſavit juvenis. Suaſi chirurgo ut injectiones tentaret infuſionis ſummitatum hyperici, compreſſioneſque lenes

perageret. Poſt duos menſes juvenem inveni; qui ridendo ſucceſſum hujus tentaminis nunciavit. Examinavi : vere & plenarie fiſtula erat ſanata. Similes caſus in adverſariis invenio , ſed iſte ſufficiat.

Fiſtula oculi. Obſerv. 59.

Poſt variolas puella sexennis , fiſtula oculi ſiniſtri laborat anno 1781 Grodnæ. Lippitudo adeſt, compreſſo ſacco lacrymali, fluunt guttulæ puris ex puncto lacrymali inferiori. Sola preſſione ſæpe ſæpius quaque die repetita , ſpatio octo menſium , natura curante, fuit ſanata. Erat filia domini Beccu manufacturarum regiarum inſpectoris generalis.

Ulcera. Obſerv. 60.

In noſtro noſocomio grodnenſi ulcera etiam profunda miro modo plura fuerunt ad cicatricem reducta uſu liquoris extracti ſaturni , ſuperimpoſita ad aëris contactum impediendum tela diapalmi.

Ulcera tibiæ ſiphilitica. Obſerv. 61.

Coquus domini Andrekowiez laboravit in noſocomio ulceribus ſuper regionem tibiæ : ſex erant fiſtulæ communicantes , calloſæ, cum carie oſſis tibiæ. Caro in vicinis mollis , cærulea , ichor dilutus ,

dilutus, acris, rodens, varii coloris. Fruſtra tentato cicutæ extracto cum ptiſanis diureticis, incepi poſt duos menſes uſum liquoris ſwietenii ſublimati corroſivi, ſoluti in aqua frumenti ſpirituoſa. Poſt octo dies mutata facies ulcerum; quadrageſima die ab incepto medicamento, ſanus abiit. Pluries laboraverat gonorrhœa, a barbæ tonſoribus curata. Robuſtus erat, triginta annorum natus. A prima die martii qua exiit ſanus, ſpatio trium menſium manſit in noſocomio.

Ulcus malignum tibiæ. Obſerv. 62.

Monacha mater Baſilianarum Grodnæ, exhibuit crus dextrum ulcere veteri fœdatum. Venulæ infra ulcus erant varicoſæ; dolorem in hypochondrio dextro ſentiebat, ſenſationemque ingratam in oculo dextro & in dextra parte oculi nec non faciei. Sanata fuit fotu extracti ſaturni. Medicus peritus carcinoma declaraverat inſanabile: realiter talis erat ulceris facies.

Ulcera tibiæ. Obſerv. 63.

Infans, duodecim annorum natus, pro ſecunda vice experiebatur ulcerationem ſuper criſtam tibiæ. Carnes erant fungoſæ; tres erant aperturæ inter ſe communicantes; ichor limpidus luteſcens

fluebat. Specillo introducto, duritates calloſas plurimas invenimus in fiſtulis; non tantum os tibiæ erat denudatum perioſteo, ſed caries manifeſta demonſtrabatur ſpecillo. In hoc ſtatu jacebat in noſocomio a quatuor menſibus, quando prima vice viſitavimus. Cæterum facies florida, nec viru ſcorbuticum nec ſcrophuloſum nunciabat. Ante duos annos, fracturam expertus fuerat tibiæ tribus digitis tranſverſalibus ſupra malleolos: reductio fuit peracta a patre ruſtico. Callus copioſus coronabat & protuberabat in loco fracturæ. Præſcripſimus ptiſanam ex foliis ſaponariæ, injectiones in fiſtula tincturæ myrrhæ; mane & veſperi ſumebat pilulas cicutæ. Lente ſuppuratio bona ſupervenit; attamen pertinaciter continuatis his remediis, bona fuit obſervata ſuppuratio prima octobris. Ab iſta die ad finem ejuſdem menſis quaque die magis laudabilis ſupervenit ſuppuratio. Orificia aperturarum plenarie erant emolita. Color cutis in viciniis factus eſt naturalis; tunc compreſſiones fortiores præſcripſimus. Prima decembris cicatrix fuit tam ſolida, ut impune infans ridendo poſſet verberare vola manus locum antea fiſtuloſum: 23 decembris ſanus exiit. Tribus vicibus purgavimus illum variis temporibus cum jalapæ granis viginti, quo plures abſque torminibus evacuationes obtinuimus.

Ulcera crurum. Obſerv. 64.

Noſtræ urbis Lugdunenſis opifices frequentiſſime ulceribus crurum laborant. Malum incipit ab inflammatione œdematoſa calida cum rubore cutis. Hoc ſymptoma pluribus menſibus perſiſtit; mox ulceratur cutis, ulcus ſerpit, ichorem præbet purulentum. Loquor de opificibus qui pannos ſericeos elaborant. Ulcera iſta difficillime curantur. Iſti ægroti tale artificium derelinquere debent : tunc tantum valet noſtra methodus.

Ulcera crurum. Obſerv. 65.

Servus dictus Hayduk, ſtaturæ, excelſæ 6 pedum, pulcherrimæ formæ, poſt eryſipelas male tractatum, exhibuit per tres menſes cruſtas in tota tibia cum ulcerationibus. Uſus extracti ſaturni ſanavit illum, antea purgantibus & aperitivis ptiſanis adhibitis. Poſt curationem ſupervenit ophthalmia gravis cum viſus hebetudine : veſicatoria pone aurem applicata, collyria extracti ſaturni ſanaverunt eum.

Ulcus cacoethicum, febre ſubſequente, &c. Obſerv. 66.

Die 4 auguſti in noſocomio venit ruſticus laborans, à plurimis menſibus, ulcere cacoethico in facie interna cruris, diametri 4 digitorum.

Margines ulceris erant inverſi, duri, carnes centri molles, nigræ, fœtidiſſimum odorem ſpargentes. Tentavimus poſt purgationem applicationem pulpæ chelidonii majoris; ſed in pejus mutatum ulcus. Tum intus præſcripſimus decoctum corticis Peruviani. Sæpiſſime de die lavavimus ulcus cum eodem decocto, pro defenſivo appoſito balſamo Arcei. 3 die ab applicatione corticis Peruviani, fœtor ceſſavit. 8 die eſchara gangrænoſa cecidit; ab hoc tempore ſuppuratio bona incepit; creſcebant puncta carnea. 16 ſeptembris ulceratio vix exhibebat diametrum floreni; ſed notandum eſt quod homo iſte, circiter 25 annos natus, labe ſcorbutica inficiebatur. 18 ſeptembris ſupervenit febris; pulſus erat frequens, plenus; dolor erat capitis; proſtratio virium, calor cutis urens, lingua alba, luteſcens, ſeu lutoſa. Præſcripſimus venæ ſectionem; die ſequenti emeticum ex tribus granis tartari emetici, quo bene fuit evacuatus; ptiſanam nitratam. 22 nulla erat febris; ulcus vix deprimebatur infra ſuperficiem cutis. 1 octobris febris recidiva. Præſcripſimus ptiſanam nitratam cum berberide. 6 octobris nulla erat febris. 9 octobris ſanus fuit dimiſſus, ulcere deſſicato. 19 octobris iterum venit in noſocomium febre detentus; pulſus erat frequens, affectio catarrhoſa, ſupervenit hæmorrhagia. 21 Invenimus delirantem;

pulſus erat frequentior, durus, oculi corruſcantes, rubri: præſcripſimus venæ ſectionem & veſicatoria in facie interna femorum. 24 Ceſſavit delirium; pulſus manſit contractus, ſed minus frequens; vox erat rauca: præſcripſimus caſſiæ uncias duas ſub forma ptiſanæ. A 2 octobris ad 12, aliquot paſſus eſt paroxyſmos febris intermittentis irregulares: febris diſſipata fuit decocto abſinthii. 18 novembris teſticuli apparuerunt tumefacti, ſupervenit oedema in ſcroto magnitudine capitis infantis: præſcripſimus purgationes ex jalapa, interpoſitis pilulis ſaponaceis. 19 novembris ſponte ſcrotum fuit apertum; præmanavit magna quantitas puris ichoroſi: præſcripſimus intus decoctum corticis Peruviani, & ejuſdem injectionem in fiſtula ſcroti. A fine decembris diſſipata tumefactione ſcroti & teſticulorum, ſupervenit infartus parotidis dextræ cum tumefactione ejuſdem lateris faciei. Duravit tumefactio uſque ad finem januarii; incaſſum adhibitis pilulis cicutæ, & cauterio aperto in brachio dextro. Die 12 februarii petiit dimiſſionem & profectus eſt ad parentes, nondum diſſipato infartu parotidis.

N. B. Vigente infartu, expertus eſt paroxyſmos atroces doloris dentium ejuſdem lateris. Cicatrices veſicatoriorum tum ulcerum erant nigræ & protuberantes, aſperæ tanquam corium ſuillum,

& ſentiebat dolorem in his ſedibus, & maculæ nigræ obſervabantur in variis partibus corporis.

Ulcus gangrænoſum. Obſerv. 67.

Die 24 januarii homo quadraginta annorum natus, poſt vulnus neglectum, exhibuit ulcus in facie interna indicis, extenſum ſuper muſculos flexores pollicis. Ichor fœtidus manabat; carnes nigreſcebant; inſenſibilitas ulcerum. Me abſente, male chirurgus inciſionem peregit; in cute indicis ſupra ulcus introduxit compreſſione carpedinem duram. Removi omnia; fomentationes præſcripſi ad avertendam gangrænam ex cortice Peruviano; ſuperimpoſui ad impediendum contactum aëris telam imbutam emplaſtro diapalmi. Die 18 purgationem præſcripſi cum jalapæ granis 20, qua pluries abſque dolore evacuatus. A 19 ad 26 poſt fomentationem ex cortice Peruviano ulcus fuit tractatum balſamo ſulphuris Rulandi.

N. B. Tendo flexoris fuit denudatus; 26, jam carnes corruptæ vi vitali erant ſeparatæ; jam ſuppuratio bona obſervabatur. 13 februarii plurimum diminutum ulcus. 20 jam cicatrix formata. Una vice adhuc purgatus pulvere jalapæ, ſanus abiit 23 februarii 1778 ex noſocomio Grodnenſi.

Ulcus poſt vulnus malleoli interni. Obſerv. 68.

Die 22 novembris, juvenis 18 annorum natus, ſibi vulnus inflixit ſuper malleolum internum; neglexit illud; contactu aëris, motu ſupervenit tumor inflammatorius in margine vulneris; ſuppuratio ſordida, carnes molles, fœtidæ: lavavimus decocto abſinthii, quo uno aut altero die odor correctus; deinde balſamum Arcei ſuperimpoſuimus. 5 Suppuratio laudabilis. 16 Cicatrix ſolida. 19 Sanus abiit ex noſocomio Grodnenſi.

Ulcera ſponte ſanata. Obſerv. 69.

Infra nominati, Jacobus, Caſimirus, Michael, &c. fuerunt tractati in noſocomio, ulceribus ſimplicibus omneſque ante duodecimum diem fuerunt ſani, natura curante, ſuperimpoſito tantum defenſivo a contactu aëris.

Ulcera varia. Obſerv. 70.

Dicti Laurentius, Joannes, Caſimirus, Joſephus, Theodorus, Matthæus, & alii multi, ulceribus in brachiis aut cruribus laboraverunt. Omnes fuerunt ſani methodo noſtra ſequenti: quando tumefactio membri adeſt œdematoſa, purgamus una vice aut bis jalapa. Primis diebus pro vi excitanda fibrarum fomentationes præſ-

cribimus alicujus amari, ut abſinthii, ſcordii aut corticis Peruviani; quando ulcus jam in fundo rubeſcit, applicamus extractum ſaturni, ſuperimpoſita tela emplaſtri diapalmi. Sanavimus in noſocomio ante duos annos, poſt mortem doctoris Henzelman, ultra 40 ægrotantes. Plurimi fruſtra aliis methodis per tres aut quatuor menſes fuerant curati. Si laxus nimis aut calloſus textus celluloſus ulcerum, folia chelidonii majoris diu cum oleo contuſa plerumque omne punctum tulerunt.

Excoriatio cruris. Obſerv. 71.

18 ſeptembris juvenis auriga duris ocreis equitando ſibi excoriavit magnam partem inferiorem cruris dextri. Dolor erat acris cum inflammatione ſuperficiali, ichor manabat loco puris: præſcripſimus ptiſanam nitratam, cataplaſmata emollientia cum malva. Primâ octobris nulla adhuc vera erat ſuppuratio; tumefactio major obſervabatur cruris cum rubore, ſed abſque vera inflammatione. Decima, ſuppuratio incepit; 24 ſanus abiit. Applicavimus tantum telam ſeu emplaſtrum diapalmi tanquam defenſivum: Ex noſocomio Grodnenſi. Ipſemet pluries tales excoriationes ſuper regionem tibiæ ſæpe paſſus; una vice lacerata cutis & perioſteum; toties ſola autocratia naturæ fui ſanatus.

Vulnus pectoris. Obſerv. 72.

Ruſticus gladio infra mammam dextram vulneratus fuit ; plaga obliqua non penetravit ultra coſtas, profunda 16 linearum. Sexta die, natura curante , ſanus abiit. Ex noſocomio Grodnenſi, anno 1781.

Vulnus manus. Obſerv. 73.

Juvenis manum tam dure compreſſam habuit inter utramque molam cylindricam, ut lacerata cutis, muſculi, tendines contuſi , oſſa carpi duo ablata : attamen ſimplici medicina curatus fuit & ſanus. Poſt curationem, motus ſupervenit muſculorum. Tempore inflammationis venæ ſectio bis repetita, ptiſanæ hordei nitratæ, manus involuta fuit cum cataplaſmate pulpæ betæ foliorum ; ſtabilita ſuppuratione , manus involuta , tela balſamo Arcei imbuta.

Vulnus capitis lethale. Obſerv. 74.

Ruſticus graviter in occipite vulneratus, ſat bene ſe habebat : appetitus bonus, ſuppuratio laudabilis , nullum ſignum debilitatis in facultatibus animi. Die 6 a vulnere mortuus.

Diſſecavi caput : oſſa corrupta & pus ſa-

nioſum inter laminam internam oſſium & duram matrem cum fiſſura inveni. Ex noſocomio Grodnenſi.

Vulnus capitis. Obſerv. 75.

Juvenis 13 annorum natus, vulnus in capite juxta ſuturam ſquamoſam expertus; tegumenta ictu baculi ſecta fuerant; dolorem atrocem ſentiebat prima die; poſt octo dies, natura curante, fuit ſanus.

Vulnus frontis. Obſerv. 76.

Die 26 julii, puella 16 annorum nata, allata fuit in noſocomium Grodnenſe. Cecidit in terram currendo, experta eſt vulnus tranſverſale in fronte, diſtorſionem pedis ſiniſtri. Nullus dolor erat capitis, niſi in regione vulneris. Fortiter premendo maxillam inferiorem contra ſuperiorem, non majorem ſentiebat dolorem; vix erat febris. 28 Dormiit bene de nocte abſque phantaſia. Præſcripſimus diætam tenuem, fomentationes totius capitis cum ſpiritu vini camphorato, enemata emollientia; applicavimus ſuper vulnus balſamum ſulphuris Rulandi; copioſa ſanguinis miſſio fuit peracta, nullo obſervato pravo ſymptomate uſque ad 5 auguſti; vulnere rite ſuppurante, pur-

gavimus ægrotantem cum unciis duabus pulpæ caſſiæ. Sana exiit 16.

N. B. Immediate poſt caſum amiſit cognitionem, quam tamen uno aut altero elapſo temporis puncto recuperavit.

Vulnus cum contuſione brachii. Obſerv. 77.

Die 20 ſeptembris, juvenis, 24 annorum natus, robuſtus & ſat pinguis, ante octo dies vehementem ictum in brachio expertus eſt cornu bovis. Vulnus erat breve cum laceratione cutis; ſupervenit inflammatio cum dolore vehementi, rubore, tumefactione totius antibrachii, tenſione, calore, pulſatione; cutis erat ſplendens. 23 pus manavit copioſe ex variis vaginis muſculorum. 29 nullus dolor, etiam premendo. 2 octobris carnes vulneratæ pulchræ, modica ſuppuratio. Tempore inflammationis, præſcripſimus fomentationes ex decocto foliorum malvæ, venæ ſectionem; ſuppuratione peracta, applicavimus ligulas ex tela tenui vermiformes juxta tractum muſculorum, ubi ſuppuratio exhibebat depreſſiones; ſic procuravimus citam coalitionem quatuor fiſtularum, ſed manſit quinta in puncto contuſionis, quæ nulla compreſſione agglutinata fuit. Fruſtra injecimus tincturam myrrhæ: tandem 14 novembris aperuimus

fiſtulam juxta totam longitudinem, ſcilicet duorum pollicum. Tractavimus vulnus balſamo Arcei. A 20 ad 28 bona ſupervenit ſuppuratio; puncta carnoſa celeriter impleverunt vulnus. 3 decembris cicatrix ad ſuperficiem cutis obſervabatur. 11. Sanus abiit ex noſocomio Grodnenſi.

Vulnus antibrachii. Obſerv. 78.

Die 29 julii, juvenis, 20 annorum natus, laborans in horto botanico, vehementi tempeſtate ſæviente, voluit retinere feneſtras caldariorum ſub dio. Fractis vitris expertus eſt ſectionem tranſverſalem juxta totam latitudinem faciei internæ antibrachii duobus digitis infra flexuram cubiti. Vulnus erat obliquum; non modo cutis cum venis cutaneis fuerat ſecta, ſed plerique muſculi fuerant inciſi; labia vulneris hiabant latitudine digiti tranſverſi; muſculus unus extus protuberabat; irritatus nullam ſenſibilitatem exhibuit; copioſa fuit hæmorrhagia. 31 Dolor vix ſenſibilis, febris nulla. 1 auguſti muſculus ſaliens jam depreſſus, ſuppuratio bona. 6 hæmorrhagia ſupervenit copioſa, uſque ad deliquium animi; ſanguis ſaliebat cum impetu tanquam ex arteria, ex angulo ſuperiori vulneris prope radium in flexura cubiti; ceſſavit

hæmorrhagia. Præſcripſimus, prima die, ad avertendam inflammationem, fomentationes ex decocto malvæ, tecto prius vulnere ſplenio imbuto balſamo Arcei; diæta fuit tenuis, ptiſana nitrata cum enematibus emollientibus fuit præſcripta. A 7 ad 18 bona ſuppuratio fuit obſervata; vegeta creſcebant puncta carnea; ſic vulnus profundum latitudine totius brachii vi vitæ fuit repletum. 30 auguſti jam carnes erant horizontales cum cute. Præſcripſimus purgationem levem; applicavimus carpedinem raſam. 4 ſeptembris ſolida erat cicatrix.

N. B. Movebat facillime carpum & digitos. Raram commendavimus deligationem. Sanus abiit 14 ex noſocomio Grodnenſi.

Vulnus labii. Obſerv. 79.

Die 12 ſeptembris, juvenis tali modo ſibi ſecavit labium ſuperius, ut perfecte vulnus ſimulabat labium leporinum. Emplaſtro agglutinante adduximus labia vulneris. 16 ſanus abiit.

Vulnus cerebri. Obſerv. 80.

Coquus advocati tribunalis, juvenis 30 annorum natus, deſcendens ex eccleſia ex-jeſuitarum, die 8 maii, (feſta ſancti Staniſlai patroni auguſtiſſimi regis Poloniæ), ictu ſcopeti

vulneratus fuit ; ſedebat ad diſtantiam militum 16 paſſuum. Tranſlatum in noſocomio, duabus horis a caſu examinavi illum. Juxta relationem aſtantium, cecidit poſt ictum prona facie ſuper mollem terram ; inveni foramen in regione media lateris dextri frontalis, uno pollice ſupra orbitam ; diameter foraminis rotundi admittere potuiſſet pollicem, quaque inſpiratione aſcendebat cerebrum motu alterno ad marginem vulneris modo ſenſibili & evidenti. Os frontale preſſi, ut explorarem an fractura cranii eſſet complicata ; nullam depreſſionem ſenſi in vicinia foraminis ; eodem momento quo premebam, vomitus ſupervenit ; tempore vomitus evacuata fuit portio ſubſtantiæ corticalis cerebri ; movebat brachia ægrotans, ſedebat, ſed oculi ſemper clauſi erant : loquebatur de rebus ad culinam pertinentibus, ſed nullum ſignum cognitionis dedit momenti præſentis aut ſtatus ſui ; pallidus erat ; pulſus plenus, evolutus, frequentior quam in ſtatu naturali ; hora octava ſæpe ferebat manum ad aurem dextram, clamavit tanquam dolens, hora 10 expertus eſt validas convulſiones brachiorum ; ab hora 12 ad 6 qua mortuus eſt, jacebat immotus tanquam apoplecticus, pulſu ſenſim minuto, mortuus eſt. Aperto cranio, vidi foramen rotundum, digitum admittens in oſſe frontali ; fractum erat

os latere dextro digitum admittens : ad latus aperturæ fiſſura longitudine digiti minimi curva obſervabatur. Corpus vulnerans implantatum erat ad ſecundum poſteriorem ventriculum ; laceraverat lobum dextrum cerebri ; in hoc ventriculo fragmenta oſſis fuerant propulſa , nec plumbum , nec papyrum maſtichatum inveni in cerebro , ſed lapidem æquantem mole apicem digiti.

N. B. Tempore vomitus , cum portione cerebri unciæ duæ ſanguinis atri manarunt. Tetigi duram matrem digitis , eamque irritavi, nullo motu in ægrotante excitato ; me abſente, chirurgus ſecavit venam. Elevando palbebras ægrotans dixit : quid facis ?

Fractura cranii. Obſerv. 81.

Vidi in noſocomio Lugdunenſi opificem , cui fractura in oſſe frontis & parietalibus cum depreſſione abſque delirio & commate , inſuper oſſa femorum fracta , oſſa etiam brachii. Vivebat tranquillus in lecto ; nihil fuit tentatum ; derelictus ſuæ ſorti , vivebat adhuc die ſequenti, ſed delirabat ; quarta die mortuus.

Fractura cranii. Obſerv. 82.

Ruſticus validiſſime , baculo , in machina

rotante rapide ictus; fracta fuerunt ſyncipitis & parietalia oſſa; fuit magna cerebri depreſſio; clamabat valde propter dolorem; attamen bono ſenſu locutus eſt, & confeſſionem tranquille implevit, poſt tres horas obiit in noſocomio Grodnenſi.

Fractura fibulæ. Obſerv. 83.

Juvenis geometra, Grodnæ initio januarii 1776, quando gelu erat validum, cecidit. Clamat propter dolorem atrocem, quem ſenſit in tibia ſiniſtra. Cito tranſportant in domo, advocant me; pedem examino; adeſt motus, ſed ſedulo quærendo, crepitationem audio in oſſe fibulæ peroneo; tribus digitis ſupra malleolum, ſentio depreſſionem; poſt reductionem, ceſſat dolor; apparatum adhibeo, præſcribo cubitum, embrochationes cum ſpiritu vini camphorato. Sanatus perfecte poſt 25 dies.

Fractura femoris. Obſerv. 84.

Infans, annorum 12 natus, cecidit ab alto; femur in corpore fuit fractum, contuſiones graves in capite; venæ ſectionibus peractis, embrochationibus in capite cum ſpiritu camphorato præſcriptis, faſciis in crure per aliquot dies contentis, callus, citius quam ſperare fas eſt, fuit

fuit perfectus ; nunquam muſculi fuerunt contracti , etiam poſt caſum.

Fractura tibiæ. Obſerv. 85.

Infans 10 annorum , fracturam ſimplicem tibiæ experitur in media parte : reductio facillime peragitur ; poſt 40 dies abſque medicamentis intus aut extus adhibitis , perfecte ſanus ; vix ſupervenit inflammatio 4 die a fractura.

Fractura oſſium tibiæ & fibulæ. Obſerv. 86.

Dominus Froelich , præfectus militum Grodnæ , die 5 Januarii cecidit ex trabe. Poſt caſum trabes , *traîneau* , rapide tranſit , premendo crus ſupra malleolos ; tibia & fibula fuerunt fractæ uno digito ſupra malleolos ; cito reductio per levem extenſionem fuit peracta ; tibia ſecavit cutem ſupra malleolum internum , extus proeminebat ſex linearum ; methodo vulgari apparatus fuit diſpoſitus : præſcripſi venæ ſectionem bis , ne febris aut inflammatio nimia ſuperveniret. Poſt ſex dies apparatum novum diſpoſui cum faſcia octodecim capitum ; ſemper tibiam lavavi cum ſpiritu vini camphorato ; ſic ſpatio viginti dierum abſque ſymptomate gravi continui pedem ; tunc odor indicavit ſuppurationem ; apparatum mutavimus cum doctore Virion : duæ erant

excoriationes a compreſſione ligularum ; mox fuerunt ſanatæ. Fons autem puris profluebat ex vulnere fractura peracto , a trigeſima die ad 40mam , pus manavit quaque die ; crus inflatum ſemper parum apparuit ; dolores varii, ſed tolerabiles , ægrotum vexarunt ſub primis deligationibus pro vulnere tractando ; crepitationes oſſium audivimus. Nunc poſt 46 dies vulnus exhibet carnes fungoſas parum proeminentes ; pus manat ; carnes fungoſæ in cicatrice fuerunt commutatæ poſt callum peractum circa 50mum diem ; ſed dolores in parte exteriori cruris , quando preſſio peragitur cruris ; 56ta die , ſuppuratio fuit manifeſta ; abſceſſus fuit apertus ; unum puris cyathum extraximus ; communicabat cum fiſtula fracturæ. In media cruris parte incifio fuit peracta , magna puris collectio emanavit ex vulnere per 15 dies. Nunc 74 die a fractura certe callus eſt ſolidus , ſed tibia parum inflata manet ; etiam pes quaſi oedematoſus. Nunc vivit ſanus menſe Septembri 1779 ; ſed difficilis progreſſio , articulatio pedis vix mobilis , progreditur rotatione femoris , ſed paulatim flexio pedis ſtabilita. Nunc poſt unum annum ſat belle progreditur.

Fractura cruris. Obſerv. 87.

Die 28 novembris homo 68 annorum natus, allatus in noſocomio Grodnenſi, cum fractura cruris. Tibia erat tranſverſaliter fracta, ad altitudinem 4 pollicum ſupra malleolum; fibula erat fracta ad altitudinem ſex pollicum ſupra malleolum externum; præterea invenimus plurimas contuſiones in eodem crure; peracta reductione, & apparatu appoſito ex faſcia octodecim capitum, præſcripſimus venæ ſectionem, diætam tenuem, ptiſanam nitratam, fomentationes cum ſpiritu vini camphorato. 30, nulla ſupervenit inflatio cruris; 2 novembris, ſuppuratio apparuit in locis contuſis & excoriatis; 5, invenimus nonnulla puncta gangrænoſa in ulceribus ſuperficiaria. Præſcripſimus intus ptiſanam corticis peruviani, extus ambrochationes ejuſdem decocti, ſuperimpoſito emplaſtro ſtyracis; 13, ſuppuratio ſupervenit bona; 1 decembris, ulcus ſuperius in externa parte cruris erat deſſicatum; 1 januarii 1780, examinavimus crus; callus erat durus in tibia; a 1 januarii bis ebrius aqua vitæ, prima vice expertus eſt febrim quæ ceſſavit 3 die. 24 poſt 2dam ebrietatem correptus eſt febre; erat dolor maximus capitis, pulſus frequens & debilis, alvus ſtrictus, ulcera tibiæ recrudeſcebant, lingua erat ſicca

tumefacta, quaſi combuſta, unde pronuntiatio prorſus mutata, & difficilis. 28, debilior apparuit pulſus, frequentior cum intermittentia. Fruſtra præſcripſimus refrigerantia, veſicatoria in brachiis applicata nullum effectum produxerunt. Mortuus eſt 29. Poſt mortem amputavimus crus ſupra genu; invenimus callum ſolidiſſimum in tibia & in fibula: quod crus ſervavimus pro lectionibus de fracturis.

N. B. Nullum delirium ſupervenit tempore febris qua mortuus eſt. Sat vigebat appetitus; fœtor intolerablilis emanabat ex ore paucis diebus ante mortem.

Fractura femoris. Obſerv. 88.

Die 4 ſeptembris 1780, homo 34 ann. natus; fracturam expertus femoris ſimplicem; reductio magna facilitate peracta, nam nullus ſpaſmus aderat muſculorum. Faſcia appoſita, præſcripſimus diætam tenuem, ptiſanam nitratam, fomentationes ex ſpiritu vini camphorato, venæ ſectionem. Uſque ad decimum octavum diem nullum ſupervenit ſymptoma grave, nec inflammatio, nec febris. 1 novembris, ſanus abiit. In noſocomio Grodnenſi.

Fractura brachii. Obſerv. 89.

13 octobris 1778, fœmina 30 ann. nata, robuſta,

temperamenti ſanguinei, experta eſt fracturam brachii dextri. Radius & cubitus tranſverſaliter fuerant fracti tribus digitis tranſverſalibus ſupra carpum. Præſcripſimus poſt reductionem peractam copioſam venæ ſectionem, diætam tenuem, ptiſanam nitratam, fomentationes cum ſpiritu vini camphorato; 30 obſervavimus tumefactionem manus cum rubore; laxata faſcia & ambrochationibus emollientibus peractis, diſſipata fuit tumefactio. 10 novembris, movebat brachium & digitos. Sana abiit 20. In noſocomio Grodnenſi.

Fractura cruris. Obſerv. 90.

Die 23 julii 1779, juvenis 22 ann. natus, robuſtus & pinguis, laboraverat in noſocomio fractura cruris a 23 diebus. Diæta tenui obſervata, ſanus abiit 27 ſeptembris; nulla ſupervenit febris nec inflammatio primis diebus poſt fracturam; quinquageſimo die deligavimus, ſed difficulter flexio peragebatur genu. Præſcripſimus ambrochationes cum ſapone & melle. In noſocomio Grodnenſi.

Luxatio maxillæ inferioris. Obſerv. 91.

Mulier luxationem maxillæ inferioris experta. Os apertum offert; anterius prominet maxilla; non poteſt admovere ad ſuperiorem. Deprimendo angulos duobus motibus, ſucceſſive re-

ductionem procuravi : dolor crudelis erat qui poſt operationem plenarie diſparuit.

In noſocomio Grodnenſi plurimas luxationes tractavimus, præſertim pedum quæ frequentiores poſt caſum hieme ſuper glaciem. Reductione peracta, faſciis applicatis, primis diebus fomentationes emollientes ex malvaceis; poſt aliquot dies, pacato dolore & inflammatione, fomentationes ex vino imbuto vapore plantarum labiatarum peregimus. Hac ſimpliciſſima methodo luxatos omnes ſanos dimiſimus.

Hydrocele hæmatoda. Obſerv. 92.

Vir ſeptuaginta annorum natus, ſuper trabem quaſi equitando ex alto cadit; contunduntur teſticuli; eadem die ſanguinem mingit. Vidi poſt duos elapſos a caſu annos: teſticulus dexter capitis infantis magnitudinem æquat; ſcrotum proportionaliter dilatatum ac tenſum, vaſa illius ſcroti magna & quaſi injecta. Tumor indolens rapide creſcit ab aliquot menſibus. An hydrocele ſanguinea ?

Bubonocele lethalis. Obſerv. 93.

Chirurgus, nomine Michaël, bubonocele ab aliquibus annis laborans, poſt conatum validum rupturam completam expertus eſt; hernia re-

plevit ſcrotum in latere dextro : mox dolor ingens cum ſenſu caloris urentis in parte, cum ventris torminibus, conatu vomendi, amarore oris, vomitu ; pulſus frequens, durus. Venæ ſectionibus, fomentis emollientibus non fuit ſublevatus ; inutiliter oleum amygdalarum ſumpſit, vomuit, enemata nihil extraxerunt, pura fuerunt propulſa ; per tres dies durat malum. Nunc tertia die inflammatio aſcendit ſupra annulum. Tumor durus, renitens, ruber ; ſcrotum elevatur, plicatur ; unde concludo quod non fuit ruptura peritonæi ſacci. Vivit adhuc ad 9 novembris ; venter elevatus, tumefactus, plenus ; nullum ſentit dolorem in tumore ; 6 die vomitus fœtidi ; inteſtinum durum videtur materia fecali plenum ; nunc aſcendit ſupra annulum. 17 die ab initio morbi, mortuus placide, abſque dolore. Adhærebat inteſtinum cum ſacco herniæ, peritonæum & inteſtinum exhibebant magnam craſſitudinem, nigra in ſcroto & ſupra inteſtina ; illorum craſſitudo exhibuit fibras quaſi goſſypias rubras. Nullum fuit delirium toto decurſu morbis ; conſultatione peracta cum chirurgo perito, ille noluit tentare operationem, ne periclitaretur fama juvenis. Si ſolus ſtaſſem, certe tentaviſſem, hoc adagio, fretus : melius eſt anceps experiri remedium quam nullum.

Enterocele portentoſa. Obſerv. 94.

Mercator equorum per quindecim annos enterocelem cum ſcroto volumine ventriculum magnum æquante, uſque ad genua deſcendente, omnibus Lugduneis exhibuit: quaque die abſque magna moleſtia ambulabat.

Bubonocele. Obſerv. 95.

A nativitate ad ſeptimum annum, quidam unum tantum ſiniſtrum teſticulum in ſcroto ſenſit, ſed mole majorem: hoc tempore dolorem magnum expertus eſt in inguine circa annulum dextrum abdominis, qui aliquot dies vexavit illum. Pacato dolore, repebat aliquod corpus ultra annulum ceu tumor, apparet in arcu pubis; paucis elapſis diebus, deſcendit tumor in ſcroto; erat ſecundus teſticulus ſed altero duplo minor. Circa 24 annum poſt conatum, ſenſit dolorem in annulo dextro; poſt tuſſim tumorem ovi magnitudine. Reductio facilis erat, ſed paulatim crevit tumor. Applicavit brachierium quod ſpatio unius anni portavit. Caſu aliquot diebus non appoſuit, etiam poſt tuſſim nullum invenit tumorem; ab hoc tempore omnes conatus impune peragere poteſt ſeu a 25 annis.

Ipſemet hæc paſſus ſum ; ſpatio unius aut alterius menſis nullum dolorem ſentiebam, ſed per intervalla hernia iraſcebatur. Tunc dolores ſat duri erant per aliquot dies. In ſacco erat epiploon & inteſtinum.

Hernia ventralis. Obſerv. 96.

Mulier, 33 annorum nata, 7 ſeptembris 1788, hernia ventrali laborat ; tumor molem capitis hominis æquat, nulla encheireſi reducendus ; adhærent inteſtina cum epiploo & ſacco herniali ; ſæpe certis temporibus furit hernia, doloreſque ſat validos excitat. Cæterum ægrotans florida, pinguis, plures enixa eſt infantes, ultimum ante quindecim menſes. Suaſimus brachierium excavatum ad molem tumoris ; clinici duo dolores a decubitu lactis excitatos putabant. Tumor diametri tranſverſalis octo pollicum, perpendicularis quinque, mediam partem abdominis in regione umbilicali occupabat.

Hernia ventralis. Obſerv. 97.

Amicus, præfectus militum, poſt caſum ex equo, ſenſit dolorem in regione epigaſtrica, cum tumore ; pleno ventriculo creſcit tumor, jejuno aut in lecto, evaneſcit. Examinavi : eſt ectopia ſeu hernia ex muſculorum rectorum debilitate. Menſe decembri anni 1775, tumor

adeſt, ovi magnitudinem æquans, cum dolore, duritie; timet ægrotans ſtrangulationem herniæ. Præſcripſi ambrochationes emollientes, quietem in lecto. Mox poſt tres dies tumor evanuit, ceſſarunt ſymptomata. Ab hoc tempore brachierium cinguliforme portans, impedit exitum herniæ. Nunc ſanus 1780; ab hoc tempore dolorem in hernia non fuit expertus Grodnæ.

Hernia umbilicalis. Obſerv. 98.

Applicatio extracti ſaturni utiliſſima fuit in hernia ſtrangulata umbilicali apud ſeniculam morbo longo debilitatam; in eadem felix etiam uſus ejuſdem extracti ſaturni in ſimplici fiſtula ani.

Diſtorſio colli. Obſerv. 99.

Infans ſeptem annorum puella, glandulas infartas ſub collo portat, caput inclinatum antrorſum propter diverticulum vertebrarum colli; hæ vertebræ cum dorſalibus angulum formant, cujus apex extrorſum ſurgit, ſeu eminet; facies adeſt tumidula, ſicut in ſcrophuloſis; thorax nondum conformationem vitiatam exhibet. Credimus virus ſcrophuloſo quaſdam vertebras colli, præſertim in corpore tumefactas fuiſſe.

Aberratio urethræ. Obſerv. 100.

Infans quinque annorum natus, glandem imperforatum exhibet; apertura minima adeſt urethræ, infra glandem ultra frenulum, abſque præputio in ea parte, præputiumque glomeratur ſupra glandem, vix eam tegens.

Crepitationes oſſium. Obſerv. 101.

Fœminam noſco quæ de nocte quotieſcumque movet pedes excitat crepitationem in omnibus articulationibus, præſertim in genu & pede.

Crepitationes oſſium. Obſerv. 102.

Saltatorem vidi qui ipſemet ſaltando tantum ſtrepitum in articulatione pedum excitabat, ut, etiamſi centum homines in cubiculo ſint cum viginti inſtrumentis ſonantibus, rumor iſte audiebatur ſicut fractura aſſeris.

Digiti flexi contractura tendinum. Obſerv. 103.

Homo ſexaginta annorum natus, flexum habet digitum auricularem manus ſiniſtræ. Tendo tractus in hac poſitione continet digitum, invito homine; dextræ manus annularis & auricularis jamjam ſimiliter trahuntur; primarum phalangium horum digitorum capita tumefacta appa-

rent, cutis quæ ea tegit violacea videtur, attamen motus in articulatione exiſtit, ſed non eſt voluntati ſubjectus. Vir ille vertiginibus eſt obnoxius doloribuſque dorſi vexatur, ſed nunquam nec in manibus, nec in brachiis dolores exſurrexerunt.

Calculus ano excretus. Obſerv. 104.

Medicus Lugduneus nomine Chapuis, monſtravit collegis calculum æquantem magnitudine ovum columbinum qui in ægra ſua diu moleſtias creaverat, quem tandem poſt varios cruciatus, cum alvi fæcibus expulit. Dicebat medicus verum eſſe calculum felleum per canalem cholidocum evacuatum in inteſtino duodeno.

Calculus cum proſtatæ ſcirrho. Obſerv. 105.

Chirurgus, me præſente, hominem ſexagenarium calculo in veſica laborantem ſecavit. Inciſa cute & veſica, forcipe in veſica introducto calculoque apprehenſo, trahere non potuit propter glandulam proſtatam, foras circa forcipem propulſam. Operatio per ſemi-horam duravit. Tandem pertæſus, diſſecavit glandulam. Vix elapſis duabus diebus poſt peractam operationem, victima poſt varias ærumnas obiit. Glandula proſtatæ ingens erat ac ſcirrhoſa;

veſica diu preſſione forcipis contuſa ac lacerata, probabiliter mortem cauſavit. Poſt 20 horas ab operatione ſupervenit febris, dolor urens in pelvi; pulſus erat celer, durus, conatus vomendi; 40ma hora, ſopor, ſtertor, mors.

Lithotomia. Obſerv. 106.

Celebris chirurgus, mortuus, me præſente, ſecavit hominem 30 annorum, calculo jam 3 vice laborantem, bis a cl. Houin, chirurgo Divionenſi, operatum. Poſt ſectionem, introducto conductore, nullam ſenſit reſiſtentiam; tunc ſumpſit turundam pedis longitudine, integram introducit dicendo: quam mira profunditas veſicæ! deligatus homo, repoſitus in lecto, nocte ſequenti mortuus eſt. Fundus veſicæ laceratus fuit calculuſque prolapſus in ventre.

Lithotomia. Obſerv. 107.

Alter chirurgus, me preſente, ſexagenarium robuſtum ſecavit calculo in veſica laborantem. Inciſione bene peracta, introduxit forcipes, calculum apprehendit, ſed non potuit extrahere; novas introduxit, duaſque fregit incaſſum; & tandem fatigatus, dimiſit miſerum, qui, vix tribus horis elapſis, convulſus obiit. Hæc tantum tria infortunia vidi in noſocomio Lugduneo. Centum alias lithotomiæ operationes vidi optato ſucceſſu peractas.

Varietas arteriæ radialis. Obſerv. 108.

Olim vidi juvenem qui ridendo brachium præſentavit ad explorationem pulſus. Sedulo quærens, nullum invenio in carpo. Tandem aſpiciendo attente, arteriam pulſantem vidi ſupra articulationem primæ phalangis pollicis cum extremitate radii.

Lectio Halleri hanc obſervationem memoriæ revocavit; talem offert ſicut raram. Ab hoc tempore bis ſimilem aberrationem arteriæ radialis obſervavi.

Pſeudo-palpebra. Obſerv. 109.

Infans trium menſium, in angulo externo oculi dextri exhibet pelliculam ſat craſſam, albam; quando vertit oculum verſus angulum internum, tunc elongatur pſeudo iſta nictitans palpebra.

Alter infans trium menſium, ſingulari conſuetudine apicem digiti indicatoris introducebat inter globum oculi & palpebras, præſertim verſus angulum internum, magnaque facilitate fere ſemper ſic dirigebat digitum.

COLLECTIO SECUNDA.

FEBRES.

Febris ephemera. Obſerv. 1.

DIe 9 auguſti 1777, febre ephemera juvenis 19 annorum laborans; die ſecunda, ſudore judicatur; die quarta poſt purgationem cum manna & ſale ebſamenſi, dimiſſus ſanus ex noſocomio Grodnenſi.

23 julii 1777, febre ephemera laborans, die 3 ſanus dimiſſus; juvenis 20 annorum natus; ſudavit poſt 30mam horam; vehemens erat febris prima die, calor cutis, pulſus celer, vix debilitas virium: ſudans nocte ſub dio dormierat.

Febris ephemera. Obſerv. 2.

Thadeus Rupeyko febre ephemera laboravit protenſa, triginta annorum natus; valida febre corripitur 30 martii 1778; dolor maximus capitis, pulſus plenus, frequens; peracta venæ ſectione brachii ſublevatus, copioſe ſudavit de nocte: biberat ptiſanam nitratam. Prima

aprilis ſanus erat ; 3 abiit ex noſocomio Grodnenſi.

Febris ephemera. Obſerv. 3.

Anno 1767 menſe januarii, diu frigore ſæviente intenſiſſimo, ſub dio in ſilva loci dicti, *Chaſſelai*, quæſiveram lichenes, veſperi eadem die, 15, horripilationes expertus fui cum dolore capitis ; nocte ſequenti tam vehemens calor febrilis, ut facies mea inflata apparebat, coruſcantibus oculis ; calor urens cutis, vehemens cephalæa ; ſentiebam vibrationem arteriarium temporalium. Mane 16 ejuſdem menſis mador cutis, ſudor unctuoſus, copioſus, poſt quem ceſſarunt omnia ſymptomata. 17 ſanus & alacris ambulavi aut laboravi tota die ſicut antea. Vigente febre, bibi aquam cum pane toſto coctam.

Febris ſynocha. Obſerv. 4.

Infanti 9 annorum, febre, anorexia, vexato præſcripſi jalapæ grana 12; optime purgatus fuit cum vomitu ; quarta die ſanus. In infantibus guloſis plerumque ſynochæ dependent a ſaburra in primis viis ; centies utili effectu quatuor grana ipecacuanhæ præſcripſi in hac ſpecie, quæ evacuatione ano & cato procurata vix extenditur ad 7mum diem. Lugduni 1774.

Febris

Febris ſynocha. Obſerv. 5.

Vir ſeptuaginta annorum natus, obeſus valde & egregius potator vini, vultum exhibens rubicundum, debilis eſt; pulſus eſt celer, inæqualis, ſingultus creber vexat ægrotantem: præſcribo victum tenuem; catartica tria ſumpſit; copioſas evacuationes obtinui; quinta die, etſi debilis, bene tamen valebat. Lugduni 1774.

Febres ſynochæ. Obſerv. 6.

Duo infantes domini Becu, puella 10 annorum, filius octo, eodem tempore febre laborabant; dolor capitis primis diebus, dolor gutturis, laſſitudo, pulſus celer, calor cutis urens, ſomni tempore delirium, etiam primis diebus vehemens delirium abſque ſomno; ſeptima die ſudor in utroque ſupervenit, calidus, oleoſus; tunc pulſus plenus, minus frequens; ex hac die ſponte venter aperitur, dejectiones copioſæ; die 9, lingua jam antea alba rubra & humida apparuit. Tunc appetitus viguit; undecima die ſani ludebant & ambulabant, vix debiles: nihil ſumpſerunt præter aquam; cum pane toſto coctam & ſirupum berberidis; quaque die enema emolliens præſcriptum.

Febris ſynocha. Obſerv. 7.

26 die octobris 1777, allatus in noſocomio Grodnenſi juvenis ruſticus; laborabat dolore capitis, pulſus erat frequens, ſubdurus; erat proſtratio virium, cutis ſicca, calida. Sudavit prima novembris; bene progreſſa eſt febris continua abſque ullo pravo ſymptomate; ceſſavit dolor capitis tertia die. Diæta fuit præſcripta tenuis; propter intenſitatem febris, venæ ſectio prima die moderata fuit præſcripta; potus ordinarius, ptiſana cum berberide; adhibitum fuit enema emolliens veſperi. Secundo die, lingua valde conſpurcata, &, apparente conatu vomendi, dedimus emeticum ex ipecacuanha ceu grana decem, cujus effectu, poſt quatuor aut quinque evacuationes, dolor capitis ſimul cum anxietate ventriculi fuit debellatus.

Quinta novembris recidiva: febris iterum apparuit & duravit per ſeptem dies. Una ſeptimana elapſa, iterum recidiva; ſed, adhibitis in utraque noſtris purgationibus ordinariis (tribus unciis mannæ cum ſalis ebſamenſis dragmis quatuor), plenarie ſanum dimiſimus.

Febris ſynocha. Obſerv. 8.

18 novembris 1777, homo 30 annorum natus, allatus fuit in noſocomio Grodnenſi. Febris

cum dolore capitis, pulſus frequens erat & plenus, lingua albeſcens, laſſitudo in membris. Regulariter febris progreſſa eſt uſque ad ſeptimum diem, quo pacate fuit ſoluta ſudore ſat copioſo. Diæta fuit tenuis; ptiſana cum cremore tartari pro potu ordinario; venæ ſectio prima die. Poſt ſudorem octavo die, purgatio fuit præſcripta ex quatuor dragmis folliculorum ſenæ, quam evacuationes copioſæ ſubſecutæ ſunt. Convaleſcens nona die erat cum appetitu valido; nulla debilitate apparente, dimiſſus ſanus 30 die.

Febris ſynocha. Obſerv. 9.

19 Octobris 1778, homo, 30 annorum natus, allatus fuit in noſocomio Grodnenſi. Febris cum dolore capitis, pulſus frequens, calor cutis moderatus, laſſitudo, lingua albicans. Vigeſima ſecunda menſis, pulſus vix frequentior quam in ſtatu naturali; nullus erat dolor capitis. 26, nulla erat febris; jam vigebat appetitus: diæta fuit tenuis, ptiſana nitrata pro potu ordinario. Die quarta, materia videbatur turgeſcens; erat oris amaror cum conatu vomendi, anxietate. Præſcripſimus purgationem cum mannæ unciis duabus & tartari emetici granis duobus: hac purgatione ano & cato moderate fuit purgatus. Die ſequenti vix erat febris, anxietas nulla,

mador cutis. Octava die, nulla apparente febre, iterum fuit purgatus cum infuſione ſenæ; die ſequenti, appetitus micuit, exinde vigor: poſt ſex dies ſanus & robuſtus fuit dimiſſus.

Febris ſynocha. Obſerv. 10.

Octobris 26 die 1778, febris ſynocha, pulſus frequens, calor cutis moderatus, levis capitis dolor, laſſitudo ſpontanea duravit: in hoc ſtatu per tres dies. Septima die novembris, fuit ſoluta leni ſudore; diæta fuit tenuis, potus ptiſana cum cremore tartari; prima die, venæ ſectio moderata; 2 die, emeticum lene cum ſex granis ipecacuanhæ; veſperi enema cum pediluvio. Juvenis erat 16 annorum. Ex noſocomio Grodnenſi.

Febris ſynocha. Obſerv. 11.

14 octobris 1777, juvenis, 17 annorum natus, in noſocomio Grodnenſi allatus. Febris, pulſus frequens, lingua alba, dolor capitis, ſenſatio ingrata juxta columnam vertebralem, laſſitudo, calor cutis ſat urens. Diæta tenuis, ptiſana nitrata. 2 die, conatus vomendi, lingua magis ſordida. 3 die, præſcripta purgatio cum manna & grano uno tartari emetici. Die ſequenti, vix erat febris, nullus capitis dolor; 6 die, exacerbatio, pulſu frequentiore; 7, criſis cum ſudo-

ribus ; 8, purgatio lenis cum manna ; 9 & 10, vigebat appetitus cum viribus muſcularibus ; 29 novembris, ſanus dimiſſus.

Febris ſynocha. Obſerv. 12.

21 octobris 1778, in juvene, 16 annorum nato, ſynocha cum pulſu frequente. 7ma die, judicata ſudoribus, jam quarta vix erat febris : lene emeticum cum ſex granis ipecacuanhæ & manna ſecunda die. In noſocomio Grodnenſi.

Febris ſynocha. Obſerv. 13.

15 octobris 1778, juvenis, 14 annorum natus, febre laborat. Eſt calor cutis mordax, dolor ingens capitis, lingua alba, vires proſtratæ, appetitus nullus ; diæta tenuis, ptiſana nitrata cum berberide, emeticum cum granis ipecacuanhæ. 17 menſis, major dolor capitis, hæmorrhagia narium. 19, delirium de nocte ; debilior erat cum pulſu duriore & frequentiore, anxietatibus & calore cutis urente. Veſicatoria præſcripſimus & enema veſperi. 22, pulſus minus frequens, calor cutis vix ſenſibilis, nullus dolor capitis ; ſudaverat nocte præcedenti. 23 & 24, jam lingua rubra, vires ſat bonæ, appetentia ciborum : purgationem lenem præſcripſimus. 25, nulla febris fuit ; ſanus dimiſſus 30. In noſocomio Grodnenſi.

Febris ſynocha. Obſerv. 14.

26 octobris 1778, febris cum pulſu frequente, lingua alba, laſſitudine, leni calore cutis, levi dolore capitis: 4 die, judicata ſudoribus. Prima die, præſcripſimus emeticum ex ipecacuanhæ granis 10, ptiſanam cum cremore tartari. 5, nulla febris fuit. Purgatus cum manna & ſale ebſamenſi, exiit 30 die, juvenis, 18 annorum natus. In noſocomio Grodnenſi.

Febris ſynocha. Obſerv. 15.

24 ſeptembris 1778, in puero 14 annorum febris, pulſus celerrimus conſtrictus, calor cutis urens, lingua alba, dolor vehemens capitis, debilitas ſumma, appetitus proſtratus, conatus vomendi. Diæta tenuis, ptiſana nitrata, enema emolliens veſperi, emeticum cum ipecacuanhæ granis quatuor, quo ſex vicibus vomuit. 25 die, ſymptomata omnia remiſſa; 27, nulla fere febris, ſed lingua adhuc alba; 28, melius adhuc. Borborygmis vagantibus cum levi tumefactione ventris, purgatio, 30 die, cum manna & ſale ebſamenſi. 2da 8bris, ſanus dimiſſus. Nulla fuit evidens evacuatio ſudoribus; ſed poſt potionem purgantem copioſa evacuatio humoris luteſcentis ſat glutinoſi. Ex noſocomio Grodnenſi.

Febris ſynocha. Obſerv. 16.

Julii 13 1778, juvenis febre laborabat à 12 diebus, quando vidi: erat dolor capitis & pectoris, lingua alba, ſordida, calor cutis moderatus, pulſus frequens, ſed ſat evolutus. Copioſe ſudavit 14 die; 15, lingua erat lutea; laborabat tuſſi; facies in pejus mutata. 19, pulſus lentus, evolutus; facies paulo melior. 20, dolor pectoris major, reſpiratio difficilis, pulſus durus. Manſit in hoc ſtatu per aliquot dies. 9 auguſti, nulla erat febris, nec dolor pectoris, ſed lingua erat adhuc lutea. 13 auguſti, ſanus fuit dimiſſus. A prima die morbi uſque ad decimam quartam, nullum ſumpſit medicamentum; diæta fuit tenuis; ptiſana ex ſpeciebus pectoralibus cum melle. Criſis ſudoribus fuit imperfecta; unde morbus fuit protractus adhuc per plures dies. Pro debellandis ſymptomatibus ſecundariis, præſcripſimus decoctum boraginis cum nitro & melle; unde expectoratio ſupervenit cum faciliore reſpiratione. Quando mollities pulſus nunciavit relaxationem toni, ſeu pacata febre, præſcripſimus cum levamine unam & alteram purgationem ex mannæ unciis duabus & ſalis ebſamenſis dragmis quatuor. Grodnæ.

Febris ſynocha. Obſerv. 17.

24 ſeptembris 1780, puella, octodecim annorum nata, laborabat febre. Pulſus erat celerrimus, ſubdurus, capitis dolor cum pulſatione celerrima in arteriis temporalibus, calor cutis urens, anxietas magna cum proſtratione virium. Hæc omnia ſubſtiterant ad 26, qua remiſſio notabilis fuit ſymptomatum. 29, nulla erat febris, nec obſervata fuit evacuatio ſenſibilis: cutis erat tantum madida; ſed alvus apertus & urinæ fluentes nobis probaverunt quod natura his collatoriis eliminaverat materiam morbificam. Prima octobris, alacris & vegeta petiit dimiſſionem. Diæta fuit tenuis; pediluvia primis tribus diebus fuerunt præſcripta cum clyſteriis emollientibus; ptiſana fuit cum berberide & nitro; nullum aliud medicamentum fuit præſcriptum.

Febris ſynocha. Obſerv. 18.

3 julii 1777, juvenis, 15 annorum natus, ſervus noſocomii, ſæpe ægrotans, facie pallida laboravit febre. Adeſt dolor capitis, pulſus frequens, lingua ſordida, calor cutis urens, dolores dorſi, proſtratio virium, ſic uſque ad quintam diem morbi. De nocte ſupervenit delirium leve. 7 die, nulla erat febris; ſudavit de nocte

15, erat ſanus; ſed ſecundo ſeptenario, etiamſi pulſus non nunciabat febrem, tamen ſtatus fuit morboſus. Diæta fuit tenuis, ptiſana cum hordeo, enema veſperi; 2 die, emeticum cum quatuor granis ipecacuanhæ pulveriſatæ, quo quatuor vicibus vomuit cum levamine; 8, purgatio levis cum manna; ſecundo ſeptenario, boli extracti juniperi propter debilitatem ventriculi. Ex noſocomio Grodnenſi.

Febris ſynocha. Obſerv. 19.

Die 30 julii 1780, juvenis, 15 annorum natus, febre continua laboravit. Incepit cum vehementi dolore capitis, proſtratione virium; 4 auguſti, lene delirium, lingua ſordida albeſcens, calor cutis urens; 5, ſudor oleoſus; 6, nulla febris; 7, appetitus vigebat; 8, ſanus exiit. Diæta fuit tenuis, ptiſana nitrata hordeacea, enemata veſperi. 5 auguſti, laxans ex pulpa caſiæ repetita doſi; unde evacuationes alvi cum levamine. Ex noſocomio Grodnenſi.

Febris ſynocha. Obſerv. 20.

26 Auguſti 1778, juvenis, 14 annorum natus, noſocomium Grodnenſe petiit. Febris cum dolore capitis, pulſus frequens, calor cutis urens, dolores dorſi, laſſitudines. 28, calor cutis mi-

nutus, vix dolor capitis: ſic cum febre, nullo gravi ſymptomate vexatus, manſit per quatuordecim dies, poſt quos ſanus fuit dimiſſus. A prima die morbi mador cutis; media parte ſecundi ſeptenarii fuit purgatus cum manna & ſale ebſamenſi. Prima die morbi, venæ ſectio; 2 die, exiſtente amarore oris cum conatu vomendi, emeticum fuit præſcriptum cum tartari emetici granis tribus, quo plurimum fuit ſublevatus; diæta fuit tenuis, ptiſana berberidis cum nitro.

Febris ſynocha. Obſerv. 21.

17 auguſti 1778, juvenis, 14 annorum natus, parvæ ſtaturæ, laboravit febre. Pulſus frequens, lingua alba, dolor capitis; 19, vix dolor capitis. Fuit judicatus ſudoribus 23, alvo aperto, 24, ſanus dimiſſus 26. Diæta tenuis, ptiſana cum cremore tartari; ſecunda die, emeticum cum quatuor granis ipecacuanhæ, quo tribus vicibus vomuit cum levamine. Prima ſeptembris, recidiva; 3, fuit purgatus. Sumpſit extractum juniperi uſque ad ſeptimam; febris recidivans duravit uſque ad quartam; ſanus dimiſſus 8 die ex noſocomio Grodnenſi.

Febris ſynocha. Obſerv. 22.

14 die auguſti 1778, juvenis ſynocha ſimplici

laboravit cum ſymptomatibus ordinariis; ſed lingua ſordida & conatus vomendi comitabantur. Præſcripſimus prima die emeticum cum manna & ipecacuanha; diæta fuit tenuis, ptiſana hordeacea cum cremore tartari. 7 die morbi, ſudoribus fuit ſolutus; dimiſſus ſanus poſt unam purgationem ex manna & ſale ebſamenſi; 14 die morbi, abiit ex noſocomio Grodnenſi.

Febris ſynocha. Obſerv. 23.

Die 26 auguſti 1778, juvenis febre laborabat. Pulſus frequens, calor cutis urens, dolor capitis vehemens, magna proſtratio virium, lingua ſordida albo-lutea. Secunda die, emeticum ſumpſit ex tribus granis tartari emetici, quo ſex vicibus vomuit pituitam & bilem viridem; diæta fuit præſertim tenuis, ptiſana nitrata. 28, pulſus erat durus, facies inflata, oculi coruſcantes, pronunciatio mutata. 29, de nocte ſupervenit delirium. Veſicatoriis applicatis ſuper crura, die ſequenti ceſſavit delirium. Mane & veſperi a veſicatoriis, bolum camphoræ ex duobus granis ſumpſit. Pacatis ſymptomatibus, perſtitit febris uſque ad 6 ſeptembris, quo ſudores copioſi cum alvo laxo ſupervenerunt. Purgatus fuit decima die. Sanus exiit decima tertia die.

N. B. Per totum curſum morbi, ad libi-

tum conceſſimus ſuccum berberidis cum melle. Grodnæ.

Febris ſynocha. Obſerv. 24.

29 die auguſti 1778, juvenis febre laborat. Lingua alba, ſordida, appetitus nullus, calor cutis urens, capitis dolor, pulſus frequens, debilitas. Diæta tenuis, ptiſana berberidis. Prima die, grana duo tartari emetici, quo quatuor vicibus vomuit: poſt emeticum vix dolor capitis, debilitas minor; ſic proceſſit febris uſque ad ſeptimam diem; a quinta, jam mador cutis; 7, nulla febris; octava die, fuit purgatus cum manna; jam appetitus vigebat, vires erant integræ. Sumpſit extractum juniperi uſque ad octavam ſeptembris, qua ſanus dimiſſus ex noſocomio Grodnenſi.

Febris ſynocha. Obſerv. 25.

Die 13 auguſti 1778, puella juvenis, ſed menſtruata, febre laborabat. Pulſus frequens, dolor capitis, laſſitudo, lingua ſordida; diæta fuit tenuis; emeticum ſumpſit prima die cum manna; quatuor vicibus vomuit, cum levamine doloris capitis: ptiſana nitrata, enemata & pediluvia fuerunt præſcripta veſperi. Duravit febris ſat æqualiter uſque ad 6 diem morbi; die 7, ſudo-

res ſupervenerunt cum alvo laxo; die 9, purgatio fuit levis præſcripta; jam appetitus vigebat & vires reſtauratæ. 12 die morbi, 26 auguſti, fuit dimiſſa.

Febris ſynocha. Obſerv. 26.

Die 23 julii 1777, juvenis, quatuordecim annorum natus, ſervus noſocomii, quando aër non erat renovatus, & fæces ſervabantur in noſocomio, unde fœtor & putredo perpetuo in cubiculis, laboravit febre; facies erat pallida ſublutea, pulſus frequens, calor cutis urens, dolor capitis, proſtratio virium, lingua ſordida; fuit judicatus ſudoribus ſeptima die; ſed quod ſingulare eſt, tres recidivas expertus eſt, paucis elapſis diebus inter utramque recidivam. Ex noſocomio Grodnenſi.

Febris ſynocha. Obſerv. 27.

23 julii die, juvenis, 14 annorum natus, a pluribus menſibus fiſtula ſupra poplitem laborans, febre corripitur. Lingua erat albeſcens, cutis calida ſed madida. 24, ſupervenit hæmorrhagia narium, cui erat obnoxius. 25, melius, vix dolor capitis. 26, pulſus evolutus vix frequens. 29, ſudor. 30, ſanus dimiſſus. Diæta tenuis, ptiſana cum cremore tartari. 8 die, fuit purgatus manna;

ulcus poplitis a 1 auguſti fuit tractatum extracto ſaturni, tela diapalmi ſuperimpoſita. 19, ſanus fuit dimiſſus ex noſocomio Grodnenſi.

Febris ſynocha. Obſerv. 28.

17 Auguſti 1776, juvenis, febre ſanatus abſque remedio, quæ judicata 7 die; erat 18 annorum natus. Primis diebus, cephalalgia magna; 3 die, hæmorrhagia narium diſſipata; ſudavit copioſe die 6. Grodnæ.

Febres ſynochæ. Obſerv. 29.

Die 5 octobris 1779, juvenis, 22 annorum natus, febre ſynocha ſanus evaſit 7 die, bibendo tantum ptiſanam berberidis. Grodnæ.

Die 30 julii 1778, febre ſynocha laborans juvenis 26 annorum, propter amarorem oris & turgeſcentiam materiæ, ſumpſit quatuor grana ipecacuanhæ, quo tribus vicibus vomuit cum levamine. 7 die, fuit judicatus ſudoribus. Sanus dimiſſus 10 die ex noſocomio Grodnenſi.

Die 6 ſeptembris 1778, febre laborans 4 die ſanus, juvenis 15 annorum; prima die, lingua alba luteoſa, appetitus nullus, ſitis, dolor capitis; diæta tenuis, ptiſana hordei cum cremore tartari.

Die 25 julii 1778, laborans febre, 4 die

ſanus, 5 purgatus, 7 dimiſſus juvenis 20 annorum, ex noſocomio Grodnenſi.

Die 23 ſeptembris 1778, juvenis, 20 annorum natus, laborat febre cum dolore capitis, ſed lingua pulchra, rubra; judicatus ſudoribus 2 die; 3, ſanus exiit; unde ephemera, a tranſpiratione ſuppreſſa proveniens.

Die 20 octobris 1778, febris, pulſus frequens, plenus, dolor capitis magnus, diæta tenuis, ptiſana berberidis, venæ ſectio; 24, pulſus plenus ſed parum frequens; 26, melius; 28, purgatio cum manna; 29, ſanus dimiſſus juvenis, 19 annorum natus, ex noſocomio Grodnenſi.

Die 29 ſeptembris 1778, juvenis, 16 annorum febricitat; lingua alba, purgatio cum manna & ſale ebſamenſi; 2 octobris, ſanus dimiſſus ex noſocomio Grodnenſi.

Febris ſynocha. Obſerv. 30.

Die 4 decembris 1779, juvenis, 18 annorum natus, cujus lingua alba, pulſus frequens, laſſitudo, dolor capitis, 7 die morbi, judicatur ſudoribus, alvo laxo; diæta fuit tenuis, ptiſana nitrata & pediluvia; 8, purgatio cum manna; 16, recidivam expertus, febris major, pulſus frequentior, durus, renitens, dolor capitis, lingua alba; plurimum comedit tempore convaleſcentiæ; pur-

gatus cum ſalis ebſamenſis dragmis 6, quinque evacuationes expertus, quibus ſublevatus; iterum laborans febre, poſt ſeptenarium ſecundum; 15 die, iterum purgatus ſenæ dragmis quatuor, qua ſex evacuationes expertus, ſanus abiit 18 morbi, ex noſocomio Grodnenſi.

Febris ſynocha. Obſerv. 31.

15 januarii 1780, homo, 25 annorum natus, ſenſit amaritudinem oris; dolor adeſt capitis, defectus appetitus, pulſus frequens. 7 die morbi, ſanus dimiſſus. 12 granis ipecacuanhæ, quatuor vicibus vomuit; poſt vomitum ceſſavit amaror oris; ptiſanam bibit nitratam.

N. B. Ante ſex menſes mania levi laboravit.

Febris ſynocha. Obſerv. 32.

27 januarii 1779, puella laborabat febre ſynocha ſimplici; pulſus erat frequens, dolor capitis vehemens, laſſitudo, lingua alba, appetitus proſtratus: præſcripſimus diætam tenuem, venæ ſectionem ex ſaphena; die ſequenti, ſumpſit pulveris ipecacuanhæ grana decem, tribus vicibus vomuit copioſe. 29, ſymptomata omnia remiſſa. 1 februarii, ſudavit; 3, ſana exiit ex noſocomio Grodnenſi.

Febris

Febris ſynocha. Obſerv. 33.

Die 2 februarii 1779, homo, 43 annorum natus, laboravit febre ſynocha; pulſus erat frequens, calor cutis magnus. Præſcripſimus diætam tenuem, ptiſanam nitratam cum ſirupo berberidis, venæ ſectionem; 4, pulſus minus frequens, lingua rubeſcens, alvus laxus; a 4 ad 7, ſenſim melius; 10, appetitus & vires naturales; 12, ſanus exiit ex noſocomio Grodnenſi.

Febris ſynocha. Obſerv. 34.

Die 18 januarii 1779, puella, 23 annorum nata, laboravit febre ſynocha; pulſus erat frequens, ſed vix elevatus, lingua alba, ſordida, proſtratio virium, dolor capitis, calor cutis acris, ſiccitas. 20, pulſus durior & frequentior, debilitas major, delirium de nocte; a 20 ad 25, ſenſim ſymptomata remittuntur; eruptio copioſa cruſtarum ſupervenit in labiis; 29, ſudavit de nocte. Præſcripſimus diætam tenuem, ptiſanam nitratam cum berberide, venæ ſectionem pedis. 30, plenarie ſana fuit; exiit 5 februarii ex noſocomio Grodnenſi.

Febris ſynocha. Obſerv. 35.

Juvenis, 20 annorum natus, robuſtus, venit in

noſocomium 30 martii 1779, febre correptus. Pulſus frequens, renitens, calor cutis magnus, lingua rubra & humida, dolor capitis, ſenſatio ingrata amaroris in ore. Præſcribitur vomitus ex 15 granis ipecacuanhæ, quo ſex vicibus copioſe vomuit; exinde omnia ſymptomata profligata; 31, vix erat pulſus frequentior, cutis jam mollis, madida, dolor nullus capitis. Ptiſana fuit nitrata; ſanus, poſt ſudorem & alvi evacuationes tres, abiit 2 aprilis ex noſocomio Grodnenſi.

Synocha. Obſerv. 36.

Juvenis, 19 annorum natus, 22 aprilis venit in noſocomium, laborans febre; lingua erat alba, appetitus proſtratus, pulſus frequens, ſubdurus, dolor capitis, amaritudo oris, conatus vomendi, alvus laxus. 23, in eodem ſtatu; poſt venæ ſectionem præcedenti die peractam, emeticum præſcripſimus cum granis 10 ipecacuanhæ, quo quinque vicibus vomuit materias mixtas; 24, pulſus mollior etiamſi frequens, lingua adhuc alba, ſed jam ceſſaverat amaroris ſenſus in ore, alvus laxus; 26, de nocte copioſe ſudaverat; melius poſt ſudorem ſe habebat; 27, pulſus debilior, lingua alba, dolor pectoris & ſpinæ dorſi, alvus laxus; 28, melius: diſſipati dolores; 29, purgatus cum duabus unciis mannæ & tribus

dragmis ſalis ebſamenſis; poſt purgationem evidenter vigebat appetitus, vires meliores; 2 maii, ſanus dimiſſus ex noſocomio Grodnenſi.

Synocha pleuretica. Obſerv. 37.

Juvenis, 19 annorum natus, tranſlatus in noſocomium 19 aprilis 1778: temperamentum ſanguineum, lingua albicans, humectata, alvus laxus, pulſus frequens, proſtratio virium, conatus vomendi, ventriculi evacuationes, fœtor & amaritudo oris, dolor capitis. Præſcripſimus ptiſanam nitratam, purgationem ex duabus unciis pulpæ caſiæ & tribus dragmis ſalis ebſamenſis, qua blande quatuor vicibus fuit evacuatus; 20, pulſus durus, frequens, dolor pungens in latere dextro pectoris infra mammam; appetitus nullus, reſpiratio difficilis, tuſſis cum valida exacerbatione doloris, alvus laxus; clyſmata & pediluvia præſcripſimus, venæ ſectionem brachii ex latere dolente; 21, pulſus durus, lingua alba ſed humectata, tuſſis frequentior cum dolore, ſputa ſpiſſa, ſtriis ſanguineis exarata, reſpiratio difficilis, ſedimentum album in urina; præcedenti die, copioſa narium ſupervenit hæmorrhagia; 22, tuſſis minuta, lingua magis humectata, pulſus mollior, dolor mitior, ſputa adhuc ſanguinea, alvus laxus. 24 die, vires reſtau-

ratæ, nullum ſanguinem exhibent ſputa, dolor vix pectoris, tuſſis rara, ſputa cum levamine ſpiſſa alba excreantur; pulſus plenus, evolutus, cutis madida; 27, appetitus vigebat; 28, vires meliores, bis ſudavit; 3 maii, ſanus & floridus dimiſſus. Ptiſana hordeacea, ſirupus boraginis tempore expectorationis cum hordeo fuerunt præſcripta. Ex noſocomio Grodnenſi.

Synocha. Obſerv. 38.

24 februarii 1778, juvenis, 16 annorum natus, laborabat in noſocomio, febre correptus à duobus diebus. Pulſus erat frequens, tenſus, lingua alba, dolor capitis magnus, appetitus minutus, calor cutis levis abſque ſiccitate, ſenſatio contuſionum in cruribus. Diætam præſcripſimus tenuem, decoctum hordei cum nitro & melle pro potu, purgationem cum duabus unciis mannæ, qua quinque vicibus fuit evacuatus. 26, melius ſe habebat: pulſus minus frequens, nullus dolor capitis, alvus laxus. Prima martii, ſanus abiit ex noſocomio Grodnenſi.

Synocha. Obſerv. 39.

Die 24 februarii 1778, Roſalia Obuchowſczanka, puella, 18 annorum nata, robuſta, laboravit febre in noſocomio. A duobus diebus

jam ægrotabat. Pulſus erat frequens, lingua albicans, alvus laxus, calor cutis moderatus, appetitus diminutus, proſtratio virium lenis, levis dolor capitis, ſomnus pacatus. Præſcripſimus ptiſanam hordei nitratam, diætam tenuem, venæ ſectionem pedis; 24, melius ſe habebat; pulſus vix frequens, dolor capitis nullus; 4 martii, purgavimus cum tribus dragmis ſalis ebſamenſis, quo quatuor experta eſt evacuationes; 12, ſana abiit, vigente appetitu & viribus recuperatis. Sanguinea erat valde, ſenſatio laſſitudinis ſingularis, quam ſentiebat primis diebus, venæ ſectione diſſipata. Ex noſocomio Grodnenſi.

Synocha. Obſerv. 40.

28 martii 1778, Theodorus Lakuel, juvenis, 20 annorum natus, febre laborabat. Lingua intenſe rubra, ſed humectata, dolor capitis magnus, ſitis ingens, pulſus plenus, frequens, alvus ſtrictus, tuſſis, appetitus debilis, laſſitudines, calor cutis urens. Clyſmata, pediluvia, ptiſanam nitratam, venæ ſectionem e brachio, ſirupum berberidis præſcripſimus; 31, debilitas major, alvus laxus, ſomnus ſat pacatus; prima aprilis, pulſus frequens, ſitis ſat magna, adhuc dolor capitis, alvus laxus, ſomnus profundus, diu durans; 2, ſedimentum

album in urinis, lingua ſicca, pulſus mollior etiamſi frequens, tuſſis paſſim, adeo debilis & timor funeſti eventus, ſomnus continuus; 4 aprilis, melius: lingua humectata, alvus laxus, ſomnus quietus, urina ſedimentum deponens. 3 aprilis, propter ſomnum perpetuum debilitatemque veſicatoria in cruribus applicavimus. 5, lingua humida, pulſus adhuc frequens, debilis, alvus laxus; urina copioſe deponit floccos albos; ſomnus diminutus, vires majores, ſed appetitus nullus; 6, lingua ſicca, nigreſcens, tumida, inflata, pulſus frequens, alvus laxus, ſomnus minutus; 7, appetitus viget, vires ſenſibiliter majores; 8, pulſus naturalis, ſudores, appetitus verus. Ab hac die ad duodecimam, ſenſim vires recuperavit; 12, purgatus cum duabus unciis mannæ, tribus vicibus evacuatus; 14, ſanus dimiſſus: robuſtus erat. Ex noſocomio Grodnenſi.

Febris ſynocha. Obſerv. 41.

Die 6 maii 1778, Joannes Reſzka, juvenis, 16 annorum natus, laborat febre ſynocha. Pulſus durus, frequens, calor cutis urens, lingua alba, lutoſa, dolor capitis magnus, proſtratio virium, conatus vomendi, appetitus nullus, alvus laxus. Præſcripſimus venæ ſectionem modicam, emeticum ex granis decem ipeca-

cuanhæ, quo ſeptem vicibus copioſe vomuit; Supervenit ultimo vomitu hæmorrhagia narium; meptiſanam hordei cum cremore tartari; 9, melius ſe habebat, dolor capitis nullus, pulſus frequens ſed mollior, cutis minus calida; 10, vires majores; vigebat appetitus, lingua rubeſcebat; 11, adhuc melius; 14, ſudavit de nocte; 15, diarrhœa luteſcens; 16, ſanus. Ex noſocomio Grodnenſi.

Febris ſynocha a lochiis ſuppreſſis. Obſerv. 42.

Femina, 22 annorum nata, batava, Grodnæ maritata domino Becu, gravida, experitur menſtrua quatuor primis menſibus: infantes ſaniſſimos robuſtos edidit. Sanguinea eſt & robuſta; tantam lactis habet quantitatem, ut præter nutrimentum infantis tres lagenas poſſit ſuppeditare. Perpetuo ſponte fluit lac dulce gratumque, quæ mihi bonum dulce butyrum obtulit; caſeum quoque paravi non ingratum. Iſta, ſecundo partu lochiis male fluentibus, febre acuta continua laboravit, cum pulſu duro, frequenti, calore cutis ardente, ſiccitate linguæ, dolore capitis, ventris, anxietatibus; 3 die, delirium; 6, ſudor copioſus; a quinta, lochia copioſa; 7, diarrhœa; 8, appetitus vigor; 9, lac optimum infanti ſuppeditavit, quem nutrivit.

Febris putrida. Obſerv. 43.

Mulier, 30 annorum nata, poſt partum relicta placentæ parte magna in utero, febre putrida corripitur, cujus præcipua erant ſymptomata exacerbationes quaque die revertentes, lingua ſordida cutis arida, pulſus celeritas cum vomendi perpetuo conatu diarrhœa putrida. Bis vomuit; remediis materiæ dejectæ fuerunt putridæ, perſiſtentibus lochiis. Tunc fragmenta placentæ putrida quotidie excernebat; quapropter cathartica ſuſpenſa fuerunt a medico; præſcripſit diætam ſeveram, humectantia, temperantia, enemata emollientia cum melle. Decreſcente fluxu lochiali, cute madida, urinis fluentibus, pacatis omnibus ſymptomatibus, ad cathartica deventum eſt diebus alternis, interpoſito ſale de duobus ad evacuationes lactis, quod non fluxerat e mammis. Tunc evanuit febris, ſed initio convaleſcentiæ, decem diebus peractis per inobſervationem diætæ, febris iterum exurgit cum nauſea, vomitu, diarrhœa levi; pacatis una die his ſymptomatibus, mox quieta fuit, bene valuit die ſequenti. Hinc poſt lautiſſimum prandium hora prima pomeridiana, febre iterum valida corripitur, horrore algido nunciata; nocte ſequenti, ægra valde vexatur; die proxima, nauſea, conatus vomendi; ipeca-

cuanha præſcribitur ; diætam tenuem commendavit medicus, potum nitratum, emulſiones ; purgatur alternis diebus ; lochia paululum fluebant, ſed abſque fœtore.

N. B. Dolor cruris his diebus vexavit ægram ; paucis elapſis horis, dolor occupat mammas ; pacatus dolor poſt applicationem verbenæ ; paulo poſt, 9 die, vix elapſa a recidiva, conqueritur ægra de viſus hebetudine ; oculus dexter abſque ullo vitio ſenſibili ; pupilla coarctabatur. Attamen die ſequenti, mane, medicus omnia attente luſtrans, videt abſceſſum in parte inferiori cameræ anterioris oculi. Abſceſſus nullo modo obſidebat pupillam ; viſus omnino periit eodem die ; quinta hora pomeridiana, viſus turbatur ad oculum ſiniſtrum, nec aderat capitis dolor, nec coma, nec paralyſis, nec delirium : libere loquebatur, ſed medico ſagaci paululum labes viſa fuit. Pulſus debilis, urinæ multum quantitate minutæ, etiamſi diureticæ potiones fuerant præſcriptæ. Tunc medicus veſicatoria ad humeros applicat ; præſcribit potionem cordialem acuatam ſpiritu ſalis ammoniaci. Die ſequenti, epiſpaſtica ægrotans non ſenſit ; debilis erat valde, ſudores frigidi aboriebantur ; viſus integre abolitus : tertia hora pomeridiana, mortua eſt.

Febris putrida. Obſerv. 44.

Mulier obeſa, 30 annorum nata, poſt partum febre corripitur. Pulſus celer, frequens; calor adeſt cutis urens, dolet valde caput, lingua eſt ſordida. Præſcripſi ptiſanam temperatam nitro, decoctum caſiæ cum ſale rupellenſi (*ſeignette*). Sequentibus diebus, nihil evacuat, etiamſi unciam unam ſolutionis dictæ caſiæ potaverit; lingua nigra eſt; ſi ſurgat ægra, adſunt lypothymiæ: tunc, tertia die, alvus aperitur, magnam humorum nigrorum fœtidorumque copiam ejicit: enema præſcribo; novæ adſunt evacuationes; die quarta, purgans medicamentum bibit; plurimæ ſequuntur evacuationes; tunc pacatur febris: interpoſita una die, iterum purgo. Semper fluxerunt lochiæ. Bene valet.

Febris putrida. Obſerv. 45.

Auguſti nona die 1779, juvenis, 24 annorum natus, famulus comitis Tyzenhauzen inter dictos Hayduk, homo maximæ ſtaturæ, ultra ſex pedes, ſæpiſſime ægrotans, præſertim decubitu humorum ſuper crura, unde oedema, phlegmonodes, cum emanatione humorum, fuit tranſlatus in noſocomium, laborans febre. Erat dolor capitis, lingua alba, dolores contundentes in articulationibus,

calor cutis urens ; 11 , anxietates intolerabiles , cum majore proſtratione virium ; 21 , febris validior , cum delirio leni ; 13 , hypochondria & venter tumida , lingua lutea ; 14 , melius : ſic ad 17 , quaqua die lingua rubeſcente. 20 , nulla febris , venter apertus , cum evacuationibus materiæ coctæ.

Ægrotavit per duos dies ante introductionem in noſocomium ; diæta fuit tenuis ; ptiſana cum cremore tartari ; nona die auguſti , venæ ſectio ; decima , purgatio levis ; undecima , veſicatorium ; a 13 , grana duo camphoræ , ptiſana nitrata , enemata veſperi ; 15ta , unciæ duæ pulpæ caſiæ cum tribus dragmis ſalis ebſamenſis , in una lagena , per cyathum de hora ad horam potio bibenda ; vigeſima tertia , fuit purgatus ; tertio ſeptenario , conſerva juniperi pro corroboratione ventriculi.

N. B. Male venæ ſectio fuit adminiſtrata ; inde debilior. Poſt actionem veſicatoriorum , ceſſavit delirium & vires refocillatæ. Ex noſocomio Grodnenſi.

Febris putris. Obſerv. 46.

Die 23 ſeptembris 1779 , juvenis , 24 annorum natus , temperamenti ſanguinei , proceræ & tenuis conſtitutionis , a tribus annis in carcere

detentus, febre laborat. Pulſus eſt frequens, celer, ſed parvus, calor ſingularis in cute ſeu acris, ſudores aquoſi, dolores ventris, difficultas mingendi, proſtratio maxima virium. Præſcripſimus fomentationes emollientes, diætam tenuem, ptiſanam berberidis cum melle; 25, dolor ventris major, vomitus, facies pallida & depreſſa; 28, oculi extincti, pulſus parvus, celerrimus, facies ſingulariter depreſſa & mutata, reſpiratio brevis, frequens, vires debiliores. Præſcripſimus veſicatoria, bolos camphoræ, decoctum corticis peruviani: prima octobris, fortior apparebat, pulſus magis evolutus, oculi minus extincti; ſed fœtor intolerabilis nuntiabat maximam putredinem; 4, debilis valde, pulſus parvus, celer, reſpiratio frequens; 14 die morbi, ſudores ſupervenerunt, ſed abſque levamine; poſt ſudores fœtor exhalans ex toto corpore erat major, quaſi cadaveroſus; pulſus debilior; mens tamen ſæpe conſtabat; tandem de die ad diem magis debilis; 22 die morbi, mortuus eſt. Sed ultimis diebus, frequentibus convulſionibus fuit vexatus cum intermiſſione: in hoc ſtatu perfecte omnia audiebat etiamſi loqui non potuit. Sed quod probe notandum, bis actione corticis peruviani & camphoræ tam pulchre vires cum pulſu fuerunt reſtauratæ, ut ſpes affulgebat ſanationis. In his circumſ-

tantiis, evacuationes alvi fuerunt copioſæ, ſed fœtidiſſimæ, abſque levamine; lingua a die 14 ad 18 erat rubra; febris non erat continua, ſed frequentes erant exacerbationes, & remiſſiones. In remiſſione, pulſationes arteriæ rariores erant quam in ſtatu ſano. Febris iſta, ex attenta enucleatione ſymptomatum, eſt evidenter febris amphemerina putrida. Ex noſocomio Grodnenſi.

Febris Grodnenſis ardens. Obſerv. 47.

Febres calidæ plurimæ, pulſus celer, durus, cutis urens, alvus adſtrictus, dolor vehemens capitis, lingua ruberrima, facies rubra, delirium primis diebus; bis hirudines temporibus applicatæ delirium deſtruxerunt; diæta tenuis, ptiſana acida aut nitrata, enemata. Plurimi, circiter triginta, hac febre ſynocha inflammatoria laborarunt, vernali tempore, anno 1776. Rariores fuerunt obſervatæ hæ febres ſequentibus annis: pleriſque ſudores critici, copioſi, ſeptima die, ſubſequente levi diarrhœa; pauci laborarunt ultra ſeptenarium: in duobus ægrotis, ſecunda die, copioſa hæmorrhagia narium ſupervenit. Omnes ægrotantes juvenes erant a 15 ad 25 annum. Toto morbi decurſu nullum ſignum ſaburræ in primis viis; ſitis vehemens ſeda-

batur ſirupo berberidis aut baccarum vaccinii oxycocos diluto cum aqua hordeata. Utiliſſimæ fuerunt fomentationes ex decocto malvæ foliorum. Nullus mortuus eſt. Vix obſervata magna proſtratio virium.

Febris ardens. Obſerv. 48.

Mulier ruſtica, octo menſium gravida, febre corripitur cum tenſione magna abdominis; dolor adeſt crudelis lumborum; delirium pluries apparuit: una vice, furibunda difficillime continetur, nec urina nec fæces alvinæ evacuantur; calor urens cutis, pulſus frequens, color genarum rutilus; aperitur vena; pulpa caſiæ ſale ebſamenſi acuata præſcribitur; venter fluit; mingit die proxima: minuitur febris, dolores vix urgent, aperitur uterus, parturit. Maritus illius fuit moribundus ante paucas hebdomadas: mœſta valde fuit. Vidi eam poſt octo dies: bene valebat.

Febris in puerpera. Obſerv. 49.

Juvenis mulier a ſeptem diebus enixa & nutriens infantem, comedit ceraſorum libras duas cum ſemilibra panis, & plures cyathos bibit vini; paucis horis a cœna elapſis, febris accenditur, pulſus debilis intermittens, reſpiratio

difficilis & profunda ; calor adeſt cutis urens, ſudor fœtidus emanat, dolor ingens capitis, omnibus his perſiſtentibus etiamſi alvus apertus fuerit, fæceſque plurimas dederit.

N. B. Lochia parum fluxiſſe, peſſime prægnantem hanc mulierem nutritam fuiſſe, pluribuſque diebus ante partum cuſtodiviſſe aliam mulierem putrida febre vexatam ; a partu appetitum non viguiſſe. 6 die, ſana erat. Grodnæ.

Febris infantis. Obſerv. 50.

Puella, 10 annorum nata, febricitat. Pulſus parvus nec durus, tam celer, ut vix pulſationes numerare poſſem ; dolor adeſt lateris, lingua alba, ſudor copioſus manat e cute valde calente ; dolor capitis adeſt. Hæc ſymptomata durarunt 24 horas ; die ſequenti, nec febris, nec ſymptomata concomitantia apparuerunt. Poſt febrem præſcripſi pulverem jalapæ cum ſaccharo in offa mixto, vix ſemihora elapſa, vomuit offam. Sana erat 6 die.

Febris catarrhalis cum ictero. Obſerv. 51.

Die 28 auguſti 1778, homo, 30 annorum natus, ſat pinguis, exhibens capillos nigros, cutem denſam, febre catarrhali laboravit, cum dolore capitis, ſenſatione preſſionis in imo

ventre. Diæta fuit tenuis, ptiſana cum cremore tartari; 29, purgationem ſimplicem ſumpſit; prima ſeptembris, vix erat febris; 2, invenimus faciem luteam, membranas oculorum conjunctivas luteo colore tinctas; nulla erat febris, ſed ægrotans conquerebatur obtuſo dolore in hypochondrio dextro. Præſcripſimus purgationem cum rhabarbaro & ſale ebſamenſi; mane & veſperi, ſumebat bolum electuarii radicis gentianæ cum ſale glauberiano; 9, jam oculi erant albi; 10, iterum purgatio; 13, præſcripſimus cum electuario ptiſanam ſaponariæ cum melle. 25 ſeptembris, ſanus dimiſſus ex noſocomio Grodnenſi.

Febris catarrhalis bis recurrens. Obſerv. 52.

Nona februarii 1778, puella, 18 annorum nata, laborabat febre catarrhali. Præſcripſimus diætam tenuem, ptiſanam nitratam; 21, abiit. Sed poſt aliquot dies iterum venit in noſocomium febre detenta; quæ ſecunda vice ſponte ſanata. Erat dolor capitis, tuſſis, paroxyſmus febrilis veſperi. Septima die, judicata ſudore copioſo poſt ſputa glutinoſa. Ex noſocomio Grodnenſi.

Febris catarrhalis. Obſerv. 53.

Homo, 30 annorum natus, laboravit febre ſynocha

ſynocha catarrhali : pulſus erat frequens , durus , dolor pectoris cum tuſſi , ſputa rara , non cruenta , dolor capitis , cutis urens , lingua alba , proſtratio virium ; venit 29 martii 1779 , in noſocomium ; a duobus diebus laborabat ; 30 martii , alvus adhuc ſtrictus , ſed lingua minus alba , tuſſis lenior ; 31 , ſitis magna , alvus tamen fluidus , laxus ; ſomnus fuit tranquillus ; prima aprilis , vix febris , lingua humida , urinæ ſedimentum album exhibebant ; 2 , adhuc melius : jam cutis madida , vix calor febrilis ; 3 , ſudavit ; 4 , appetitus vigebat ; 5 , ſanus abiit. Homini plethorico , robuſto , propter intenſitatem febris , pulſu duro , frequenti declaratam , moderatam venæ ſectionem præſcripſimus. Tertia morbi die , ptiſanam nitratam , diætam tenuem ex ptiſanis hordei cum melle , pediluvia veſperi ; primis diebus , enemata emollientia ; ſponte alvo aperto , 6 die , minorativum ex pulpa caſiæ ſub forma ptiſanæ dedimus. Ex noſocomio Grodnenſi.

Febris catarrhalis epidemica. Obſerv. 54.

Vilnæ , ab initio februarii 1781 ad mediam partem martii , omnes fere incolæ Vilnenſes catarrho laborarunt. Nam vix unus , aut profeſſores aut alumni , fuit mali expers. Verificavi ſimilem morbum in collegio Pieriſtarum & in ſeminario

miſſionariorum, nec ſexui ullo nec ætati variæ epidemia pepercit. Ipſemet laboravi, in pleriſque incipit frigus, horripilatio cum tuſſi; poſtea dolor capitis, horripilationes; pulſus erat plenus, celerior, durior, calor cutis major prima die; ſudores poſt 12 aut 24 horas: plerique tres paroxyſmos tolerarunt, intermiſſione matutinis horis vera obſervata; qui non febricitarunt, catarrho laborarunt cum tuſſi, aut coryza & dolore capitis; poſt febrem manſit plurimis tuſſis, præcipue veſperi, cum ardore pectoris: expectoratio fuit parca. Mane, tria aut quatuor ſputa ponderoſa, glutinoſa; ſed poſt ſeptimum diem fluxus copioſus ex naribus materiæ quaſi purulentæ, mungendo. In pleriſque, octava die, cruſtæ ſuper labia & in cavitatibus naſi eruperunt; nonnulli hæmorrhagias narium, tertia die, experti ſunt; qui non ſudarunt aut parum, diarrhœa, ſexta die, correpti fuere; in nonnullis ingurgitationes tonſillarum cum dolore. Audio talem morbum eodem tempore viguiſſe in aliis vicinis diſtrictibus: a regionibus ſeptentrionalibus qualibet ſeptimana pedetentim progrediendo advenit; decembri in urbe Petroburgi ſæviit; in regionibus calidioribus gravior & ſæpe lethalis regnavit. Plurimi Vilnenſes Judæi coacervati in cubiculis parvis, nimium calefactis maligna febre catarrhali laborarunt, ſcilicet

cum delirio, proſtratione virium, anxietatibus, eruptionibus miliaribus. Nonnulli mortui ſunt. Omnes, ſcilicet 60, quos direxi, ſub autocratia naturæ, ſani citius evaſerunt: bibebant ptiſanam hordei ſirupo boraginis edulcoratam. Nonnulli, tres, delirarunt, ſæviente febris calore ſecunda die. Numeroſiores ægroti a 26 februarii ad 12 martii, tempore regelationis ſubito ſupervenientis, poſt intenſiſſimum frigus a 24 gradu ad 27 thermometri Reaumuriani infra o'. Una ſeptimana tale frigus toleravimus a 20 gradu ad 27. Uxor mea, a tribus menſibus gravida, tres quaſi febris quotidianæ paroxyſmos poſt prandium ad decimam horam, ſubſequente ſudore, toleravit; vigente æſtu febris, pulſus plenus, vere durus, ſponte tamen ſeptima die ſanata.

Febris cum tuſſi. Obſerv. 55.

Die 23 januarii 1778, juvenis, nomine Ignatius, 16 annorum natus, dolore capitis cum tuſſi vexatur. Pulſus frequens, durus, lingua ſordida, luteſcens. A 16 diebus laborabat; 29, convaleſcebat; ſudavit; initio purgatus & fine; ptiſana cum cremore tartari. Sanus dimiſſus 29 ex noſocomio Grodnenſi.

Grodnæ febres frequentes catarrhales tota

hieme. Lithuani cubicula valde calefaciunt; ſæviente extus frigore: in domo tempeſtatem calidam obtinent; unde, quando ſub dio degunt, ſupprimitur tranſpiratio; inde plurimi morbi, catarrhi, febres catarrhales, tuſſes pertinaces, obſcuræ pulmonum phlogoſes; in his omnibus caſibus febrem natura excitat vere ſalubrem.

Catarrhus epidemicus. Obſerv. 56.

Quaque die video mulieres homineſque variis catarrhis hac tempeſtate vexatos. Febris adeſt, inflantur amygdalæ ac tonſillæ; adeſt difficultas deglutiendi, tinnitus, ſuſurrus aurium, coryza, tuſſis, laſſitudines; ſputa ſunt glutinoſa, quaſi purulenta; quibuſdam dolor lateris: ver tepidus poſt borealem ventum. Centum tales vidi: omnes ſponte, natura ſola curante, fuerunt ſanati. Diætam tenuem, infuſiones theiformes tantum præſcripſi. Grodnæ 1776.

Aquilo regnavit ab initio menſis maii uſque ad finem, interpoſitis tantum quibuſdam diebus; ideo frigida fuit hoc menſe tempeſtas relative ad tempus; frigus acre incepit die 10 novembris; aqua gelida fuit pluribus diebus; frigus adhuc intenſius vexavit initio decembris; januario, regnante auſtro, tepida fuit tempeſtas: generaliter loquendo, conſtitutio fuit catarrhalis 1776.

Vir, 30 annorum natus (ego) glandulam minimam ac duram, piſi magnitudinem referentem, ſupra angulum maxillæ inferioris in bucca gerens, coryza media æſtate corripitur. Adeſt inflatio buccæ cum glandula tumida nucis molem referente; tumor extenditur ad alam naſi ejuſdem lateris ſiniſtri; cavitas naſi ſiniſtri cruſtas offert cum difficili emiſſione aëris; latus affectum parum doluit. Pars dextra capitis fluxione nullo modo afflicta fuit. Hæc obſervatio probat 1mo, diviſionem corporis Bordusi per textus cribroſi compactionem; 2do, partes male formatas magis affici per decubitum humorum. Vir ille ſudans ſe aëri fugidiuſculo prope feneſtram ſedens exponit; ſupreſſa ejuſdem lateris fuit tranſpiratio; curatus expectatione. Laborem in hac parte ſentiebat, ſed abſque dolore notabili.

Catarrhus pertinax abuſu ſublimati corroſivi. Obſerv. 57.

Vir temperamenti ſanguineo-cholerici, 40 annorum, elapſo anno poſt concubitum cum muliere cancroſum minimum ulcus in glande cum infartu inguinalium glandularum lucratur. Chirurgus mixta methodo, ſcilicet frictionibus & ſublimato corroſivo, tractat ægrum. Paucis elapſis menſibus coryza corripitur cum lacryma-

tione, ſtillicidio ſeri e naribus; mox tuſſis adeſt cum ſputis; fruſtra methodice huic catarrho ſeſe opponit medicus; ſputa craſſa, hora una elapſa poſt vigiliam, adeſt ardor in pectore & ſiccitas; ſi multum loquitur, vox fit clangoſa & rauca; olim coryzæ ſubmiſſus octo diebus curabatur; attamen hæc ſymptomata a tribus menſibus durant. Credidi labem in pectore aut ſaltem debilitatem inductam a curatione luis venereæ quæ coryzam rebellem reddidit. Præſcripſi diætam ſeveram, lacteam, balſamica, equitationem; balſami uſu gonorrhœam acquiſivit; inde ſanum vidi. Grodnæ.

Catarrhi. Obſerv. 58.

Primis frigoribus multi tuſſi vehementi cum extinctione vocis, dolore pectoris, oppreſſione, febre levi, catarrho vexantur. Diæta tenui, potionibus, ptiſanis pectoralibus ex boragine, hæc omnia fugantur; nonnulli, nulla cura adhibita, etiam fuerunt ſani. Grodnæ 1777.

Catarrhi. Obſerv. 59.

Gelu poſt fuſionem nivis calore ſolis ſupervenit; a 6 martii 1777 ad 15 duravit. Hoc tempore, plures catarrho fuerunt afflicti; plurimi dolore gutturis cum difficultate deglutitionis

fuerunt vexati, ſed leve malum cito abſque remediis ſanatum fuit. Grodnæ.

Catarrhi. Obſerv. 60.

Menſe decembris 1776, diu regnante vento auſtrali poſt ingreſſum ſubitaneum borealis, fere omnes Grodnæ catarrho laborarunt. Plurimi cum febre leni, nonnulli plenariam vocis extinctionem experti ſunt, plurimi tonſillarum tumefactiones; ſani omnes, nullo remedio ſumpto. Ipſemet bis catarrho afflictus, quaque die bibi frigide: criſis cum ſputo copioſo & fluxu materiæ ſpiſſæ è naribus.

Catarrhus pulmonalis. Obſerv. 61.

Archiepiſcopus ritus Græci, homo 65 annorum natus, me vocavit, Grodnæ 1780. Pulſus erat frequens, calor volarum manus urens, reſpiratio brevis, difficilis, ſputa ſanguinea cum tuſſi & purulentia, debilitas magna, loquela difficilis. Die præcedenti, contra conſuetudinem hauſerat magnum cyathum vini rhenani; frigus pedum paſſus fuerat in cubiculo vapore pinguedinis fœtidæ repleto ex lampadibus. Hic ſtatus duravit per duos dies; dolores pectoris validi; dolor in regione epigaſtrica, verſus hypochondrium ſiniſtrum flatibus erumpentibus.

Præſcripta diæta tenui, medicamentis edulcorantibus, omnia ſymptomata evanuerunt : die quarta, facies florida, loquela facilis ; 6 die, profectus. A 6 menſibus laborat phthiſi, ſeu mane ſputa alba copioſa paſſim cum ſtriis ſanguineis, ſed ſputa non ſunt fœtida, nec ſalita; combuſta nullum odorem ſpargunt : an vera phthiſis ? an potius cauterium naturale in pulmonibus apertum, & tuberculis nutritum ? Si tubercula inflammantur, tunc paroxyſmus ſupervenit, ſimia, peripneumoniæ. Jam talem expertus eſt clariſſimus hic vir Vilnæ, initio januarii, ante unum annum. Pro debellanda catarrhali affectione utiliter & cum emolumento ſumpſit polygalam amaram : ab aliquot annis laborat catarrho pulmonali, ſed ſuppuratio ſtabilita tantum a ſex menſibus.

Catarrhus. Obſerv. 63.

Die 13 januarii 1779, juvenis, 18 annorum natus, poſt coryzam laborat infartu tonſillarum cum relaxatione uvulæ. 4 die, ſanus exivit, nullo remedio ſumpto, ex noſocomio Grodnenſi. Eodem tempore, ruſtici plurimi variis catarrhoſis affectionibus detenti, coryza, angina catarrhali, tuſſi, etiam ſub dio laborantes, ſani omnes evaſerunt, nulla cura adhibita.

Febris quotidiana. Obſerv. 64.

Die 29 martii 1778, Andreas Matuſevicz, juvenis, 16 annorum natus, alumnus ſcholæ medicæ laborabat febre. Lingua rubra, humida, pulſus frequens, alvus laxus, fœtor & amarities oris, appetitus nullus, conatus vomendi, dolor capitis, calor cutis urens, proſtratio virium, oculi turgidi. Diæta tenuis, ptiſana nitrata cum berberide, emeticum cum ſex granis ipecacuanhæ, quo ſeptem vicibus vomuit. Prima aprilis, in eodem ſtatu, inquietus erat; purgatus cum duabus unciis mannæ, ſex vicibus evacuatus. Secunda aprilis poſt meridiem, frigoris ſenſatio juxta longitudinem ſpinæ dorſi; poſt frigus, dolor vehemens capitis, pulſus frequens, durus, tenſus cum ſiti magna; ſic quaque die ſeptem paroxyſmos febris quotidianæ expertus eſt, quæ profligata fuit decocto corticis peruviani; ſed poſt ſanationem manent dolores in regione lienis cum ſenſu tumefactionis: contra quos præſcripſimus decoctum dentis leonis, quo ſanus fuit poſt elapſum menſem. Grodnæ.

Febris quotidiana. Obſerv. 65.

Mulier, 30 annorum nata, tuſſi cum ſputis glutinoſis vexata, corpore, debili ſymptoma-

tibus hyſteræ obnoxia, poſt frigus febre corripitur. Pulſus erat plenus, celer; poſt calorem urentem, erumpit ſudor fœtidiſſimus per 6 horas durans; lingua alba, cruſtacea; menſtrua poſt primum acceſſum erumpunt. Singula die, frigus febrile hora poſt meridiem quarta, nunciàns febrem naſcentem, ſudorque calori ſuccedit; die 2, digitus annularis, extremitate ſua fit phlyctænodes; e veſica erumpit ſerum luteo-album; in acceſſu caput dolet. Curatio potu amaro cardui benedicti, abſtinentia; pacatis ſudoribus, ceſſatis menſtruis, purgatio lenis, ex manna & ſale rupellenſi: poſt ſex acceſſus convaluit. Sed cum illa mulier affectionibus hyſtericis fuerit obnoxia, variæ ærumnæ in convaleſcentia apparuerunt ut animi deliquia, mœrores, anxietates, quas ad affectionem dictam retuli; appetitus validus, ceſſata febre, apparuit. Grodnæ.

Febris quotidiana in lactente. Obſerv. 66.

Uxor mea, 25 annorum nata, nutriens, poſt frigus febre corripitur. Hora quinta poſt meridiem, horripilatio, rigor per horam & ultra durant; ſuccedit calor urens, qui deſinit ſudore: hæc ſtant ſex horis. 2 die, idem acceſſus ſed mitior; 3, fortis; 4, mitior;

5, fortior. Lac tamen ſeroſum; appetitus nullus, lingua nitida nec conſpurcata, ante febrilem primum acceſſum diarrhœa levis, ſudor fœtidus, ſimilis parturientium; 7 die, ceſſat febris: tunc purgatio levis præſcribitur. Obſervati dolores in lumbis, colicæ quædam, bilioſa evacuatione levatæ; catamenia prima vice a partu apparuerunt, ſecundo acceſſu, duraruntque ſeptem diebus per vicem apparentia; pluries mammas dedit infanti ſine funeſto eventu, ſed pallida minuſque pinguis facta fuit puella.

Febris quotidiana. Obſerv. 67.

2 julii 1778, Caſimirus, 19 annorum natus, ab octo diebus febre quotidiana laborabat. Vomitus fuit initio primorum paroxyſmorum; dolor erat capitis, lingua alba; durabant paroxyſmi per ſex horas. Initio, purgatus cum manna & ſale ebſamenſi, decoctum amarum ſumpſit. Poſt ſeptimum paroxyſmum, electuarium corticis peruviani. 28, minor paroxyſmus duravit vix una hora. 30, emeticum ex ipecacuanhæ decem granis; quatuor vicibus vomuit, hora mutata paroxyſmi. 3 auguſti, non ſupervenit paroxyſmus, nec rediit febris uſque ad 7, qua dimiſſus, ſanus abiit ex noſocomio Grodnenſi.

Febris tertiana epidemica. Obſerv. 68.

Hac tempeſtate vernali anni 1776, Grodnæ plurimas obſervavi febres intermittentes tertianas, regulares: adſunt capitis dolor, anxietas, dolor lumborum, laſſitudines, amaror oris conſpurcationes; duravit epidemia uſque ad finem auguſti. Plurimi ægrotantes fuerunt in tota Lithuania; pauci, niſi ſcorbutici infantes, perierunt; nonnulli, mala adhibita curatione, adulti mortui ſunt; nullam ætatem, nec ſexum omiſit epidemia, nec etiam advenas. Decem notavi qui, nullo ſumpto remedio, poſt quartum aut ſeptimum paroxyſmum ſani fuerunt; in quatuor obſervatæ cruſtæ luteſcentes circa labia: in aliis amara cichoracea, folia dentis leonis aut fumaria utili effectu præſcripta; paucis adminiſtravi corticem peruvianum.

Febris tertiana. Obſerv. 69.

Mulier, annorum 38 nata, libidini dedita, laboravit vere febre intermittenti tertiana. Poſt ſeptem paroxyſmos fuit curata: erant dolor capitis, nec non dorſi, frigus, poſtea calor, cui ſuccedebat ſudor fœtidus; facies rubra valde. Imprudenter, poſt octo dies a ſanatione, ſe frigido aëri expoſuit; rediit febris ſub forma in-

termittentis, quotidianæ; jam 20 paroxyſmos paſſa, non obſtantibus remediis emeticis, catharticis, febrifugis, &c. Poſt curatam quotidianam tuſſi diu fuit afflicta cum doloribus pectoris, poſtea, autumno ſuperveniente, ſana fuit iterumque pinguis evaſit. Grodnæ, maio 1776.

Febris tertiana. Obſerv. 70.

Famulus meus, 20 annorum natus, febre tertiana fuit vexatus; poſt ſeptem paroxyſmos abſque remediis ſanus. A ſanitate recuperata, poſt octo dies, peregrinans, fuit in terra frigida madidus. Die ſequenti, febre quotidiana laboravit; ſanatus etiam poſt ſeptem paroxyſmos, ducente ſola natura, diæta tantum obſervata. Color faciei fuit luteus, conatus vomendi, appetitus proſtratus, lingua ſordida, albo-lutea, capitis dolor vehemens. Nonnulli planta epipaſtica in carpo appoſita, pulſatilla patente, aut ranunculo dicto tuberoſo febres intermittentes, quotidianam & tertianam poſt aliquot paroxyſmos toleratos profligarunt. Grodnæ 1777.

Intermittentium principium. Obſerv. 71.

Lithuania plurima ubique continet ſtagna; an ab hac cauſa derivandæ febrium graſſantium origines? Vernali tempore, ſæpe veſperi ignes

fugitivi, etiam globi ignei, ex ſtagnis obſervantur; aqua violacea, fœtida; palo in luto ſtagnorum impacto, ſi candela accenſa admovetur, flamma juxta totam longitudinem pali aſcendit cæruleſcens.

Febris intermittens. Obſerv. 72.

Una mulier nobilis irregularem febrem exhibuit obſervandam. Præter capitis dolorem lumborum, titillationes ſentiebat etiam in brachiis. Vomuit una vice abſque remediis. Non eadem hora revertebatur paroxyſmus. Cortice peruviano adhibito, fuit curata abſque ſequela, paucisque elapſis diebus, facies florida apparuit cum bono appetitu.

N. B. Tribus integris ſeptimanis, urina ſedimentum album depoſuit.

Febris tertiana. Obſerv. 73.

Dominus Becu, fabricarum inſpector, febri tertiana corripitur. Vomendi conatus cum effectu primis diebus apparent; pituita cocta magna quantitate expellitur; appetitus nullus, lingua ſordida, anxietates intolerabiles cum viſu impedito, reſpiratione brevi & accelerata. Præmiſſis tribus catharticis, diæta tenui præſcripta, poſt quatuor toleratos paroxyſmos duodecim

horis vexantes, præſcribo corticem peruvianum quaque die uncia una, cum arnica montana pro potu; ſic fuit jugulata febris, nec rediit. Singularis fuit appetitus acidorum citri quæ permiſi. Anno ſequenti, febre tertiana fuit afflictus, ſed hac vice, per tres menſes laboravit; quatuor expertus eſt recidivas. Homo ſedentarius, pinguis, ſæpe anorexia laborans aut digeſtionibus laborioſis; cæterum plurimum comedens. Grodnæ, anno 1776.

Febris tertiana. Obſerv. 74.

Eodem anno junio, ipſemet ego ſimilibus ſymptomatibus vexatus, curatus fui, electuario ſumpto corticis peruviani, nullo adhibito cathartico: tuſſis clangoſa, ſicca, vexavit me crudeliter; vomitus ſublevavit anxietates; quatuor vicibus febre fui correptus, quaterque fugavi hunc morbum cortice ſupradicto; placebant acida, liquor anodynus mineralis Hoffmanni, mira præſtitit contra anxietates.

N. B. Tempore caloris febrilis, ſæpe tertiana vernali laborantes, delirio afflictos video facie ruberrima, tumida; ceſſat delirium, ſuperveniente ſudore.

Febris tertiana. Obſerv. 75.

Italus hortulanus, febre tertiana poſt frigus

ſceptum corripitur. Una vice fuit purgatus; tres tantum paroxyſmos expertus eſt; cruſtæ in labiis ſupervenerunt; ceſſavit febris. Pluries vidi, anno elapſo & iſto, tales morbos ſimili criſi judicatos. Illius uxor eadem febre eodem tempore fuit afflicta; tres tantum paroxyſmos experta, una vice tantum purgata, ſicut maritus, nullo alio adhibito remedio, ſana fuit. Grodnæ, junio 1777.

Febres tertianæ. Obſerv. 76.

Plurimos vidi juvenes utriuſque ſexus febribus intermittentibus tertianis correptos, nullo adhibito remedio ſanatos. Poſt tres paroxyſmos luteam plumbeam faciem exhibent; ſed toleratis ſeptem plus minuſve paroxyſmis, ſani fuerunt. Poſſem triginta & plus numerare hoc anno 1777.

Febres tertianæ. Obſerv. 77.

Plurimi ex noſtris febre tertiana laborantes, ſumunt parvum cochlear unum pulveris nicotianæ; rofundunt in vino aut ſpiritu cereviſiæ, & bibunt uno hauſtu. Fortiter purgantur; vomunt uſque ad ſanguinem. Nonnulli, 10 a me bene noti, hac ſingulari methodo, quæ theoreticis medicis terrorem incutit, certe fueruut ſani, abſque ſequelis.

Febris

Febris tertiana. Obſerv. 78.

Vir nobilis, 25 annorum natus, obeſus & ſanguineus, laboravit febre tertiana. In primo paroxyſmo, dolor capitis, frigus, concuſſio membrorum, poſt frigus calor cum pulſu pleno frequenti, ſudor poſt quartam horam caloris. In 2 paroxyſmo, majus frigus, dolor capitis vehementior, ſudores copioſiores; die quietis, debilitas cum dolore capitis. 3 paroxyſmo, omnia eadem. 4 paroxyſmo, poſt potionem arnicæ montanæ, colicæ, ardores urinæ, vomitus copioſus materiæ bilis viridis, octo vicibus tempore frigoris. Die quietis, dedi decoctum corticis peruviani cum ſale Glauberiano; ſudores copioſi, diarrhœa; non fuit quintus paroxyſmus. In 4, tanta erat anxietas & debilitas tempore caloris, ut vix agnoſcebat aſtantes amicos. In intervallo primi & ſecundi paroxyſmi, præſcripſi venæ ſectionem; in intervallo 2di & 3tii, purgationem cum mannæ unciis tribus. Fuit conſtipatus primis diebus, nullam expertus evacuationem a clyſteriis cum manna. Perfecte ſanus poſt toleratum ſeptimum paroxyſmum: jam cruſtæ erumpebant in lingua, naſo, labiis, ſudores ultimorum paroxyſmorum copioſiores. Grodnæ, 1777.

Febris tertiana. Obſerv. 79.

Uxor mea jam ab aliquot diebus dolore capitis vexata cum refrigeratione veſpertina, ſubſequente de nocte calore, experta eſt, 10 maii 1778, febrem tertianam. Septem fuerunt paroxyſmi; quiſque regulariter antevertit quatuor horis, tali modo ut ſeptimus coincidit cum primo. Ante paroxyſmum dolor capitis, ſiccitas oris, laſſitudo: hæc durabant per quatuor horas ante frigus; tempore frigoris facies pallida, depreſſa, anxietas, tuſſis, dentium conquaſſatio, dolor capitis, ventriculi, tibiarum; frigus durabat per unam horam; calor ſequebatur urens, cum vehementi ſiti; in ſecundo paroxyſmo glaciem ſentiebat ægrota in lingua, rarum ſymptoma; calor durabat per duas horas: tunc mador volæ manus ſuperveniebat, ſubſequente ſudore generali per unam horam; poſt ſudorem calor adhuc durabat tres horas, cum anxietatibus; die vacua, ſana erat, etiamſi debilis. Cito macies ſupervenit in facie ſicut mos eſt; bis fuit purgata, prima vice, cum mannæ duabus unciis & ſalis ebſamenſis dragmis tribus, unde 10 evacuationes; 2da, cum manna & ſale anglicano cum cortice peruviano, unde 12 evacuationes; inter quintum & ſextum paroxyſmum, tres dragmas ſumpſit corticis peru-

viani, qui bis laxavit alvum, ſubſequente ſudore; inter ſextum & ſeptimum paroxyſmum, ſumpſit mixturam corticis peruviani, cum extracto trifolii ſibrini & ſale ammoniaco; octavus paroxyſmus non venit; recidiva febris poſt octo dies ſupervenit, ſed mitiores paroxyſmi: ſana facta; iterum, poct octo dies, tertia recidiva, facie manente ſublutea; ſeptem experta eſt paroxyſmos; inde plenarie ſana. Tota æſtate viguit appetitus; pinguis facta eſt & magis florida, quam fuit a tempore febris malignæ.

N. B. Menſtrua apparuerunt tantum tertia luna a ceſſatione febris. Anno præcedenti, eodem menſe, laboraverat uſque ad mortem eminentem febre amphemerina remittente, cardialgica. Vide infra. Hic ultimus fuit morbus quo afflicta cara uxor mea: ab iſto tempore ad hunc annum 1790, ſana vivit.

Febres intermittentes tertianæ. Obſerv. 80.

In febribus intermittentibus tertianis, in aliquibus ſubjectis miri ſpaſmi fuerunt obſervati: liquor anodynus mineralis Hoffmanni plurimum fuit utilis; linguæ ſordities a primis diebus, cum faciei depreſſione, color luteus pallidus, vomendi conatus; nullis datis emeticis, nec purgantibus, evanuerunt, adhibito poſt inediam &

potum acidum cortice peruviano ; plurimi recidivas ſuerunt experti.

Tuſſis ſicca nonnullos vexavit, quæ diſſipata febre ceſſavit. Ruſtici ſumebant bis in vino pulverem nicotianæ magna doſi ; vomebant ; ſed nec inflammatio, nec convulſiones apparebant. Pro anno 1778, Grodnæ.

Febres intermittentes. Obſerv. 81.

Plurimi Varſaviæ, menſe julii 1779, laborant febribus intermittentibus & quotidianis & tertianis. Juvenis, 30 annorum natus, dormiens circa aquoſum locum, gonorrhœa laborans, febre quotidiana vexatur ; temperamento ſanguineo præditus, facie ruberrima, tremore cum pallore faciei laboravit, ſuccedente calore & ſudore ; quatuor leves paroxyſmos expertus eſt, cruſtis in labiis terminatos. Venæ ſectio bis præſcripta propter inflammationem teſticuli, gonorrhœa ſuppreſſa : nunc ſanus gonorrhœa & febre. Pro debellanda gonorrhœa nullam deglutiit præparationem mercurialem ; ſicut plurimi alii, copioſe tantum bibebat ptiſanas mucilaginoſas, & his ſolis diſſipata gonorrhœa.

Febris quartana. Obſerv. 82.

9 octobris 1778, juvenis, 20 annorum natus,

nomine Stephanus, febre quartana, complicata cum tuſſi, laborabat. Paroxyſmus incipiebat hora pomeridiana; frigus vehemens cum concuſſione membrorum, dolore capitis; reſpiratio frequens adeſt & anxietas; ſuccedit poſt unam horam, calor cum pulſu pleno frequenti; extenditur paroxyſmus uſque ad 6 horam, & ſudore copioſo terminatur; facies mutata, luteſcens, viget appetitus poſt paroxyſmum; die ſequenti a paroxyſmo, fuit purgatus cum manna & ſale ebſamenſi; placide ſex evacuationes expertus: decoctum pectorale cum pulmonaria & nitro, propter tuſſim præſcripſimus; poſt 2 paroxyſmum, ab introitu in noſocomium, 2da vice, ſimili modo fuit purgatus: ab hoc tempore facies apparuit nitidior. Tunc incepimus, ſcilicet poſt octavum paroxyſmum toleratum, uſum electuarii noſtri cum ſale ammoniaco, & cortice peruviano. 3 novembris, ſanus dimiſſus. Diæta fuit tenuis, etiamſi vigebat appetitus. Ex noſocomio Grodnenſi.

Febris quartana. Obſerv. 83.

Die 6 novembris, juvenis, 18 annorum natus, nomine Caſimirus, febre quartana laborans, petiit noſocomium in die intercalari. Præſcripſimus tartari emetici grana duo, cujus

effectu quatuor vicibus vomuit magnam quantitem materiæ bilioſæ. 28, poſt toleratum ſeptimum paroxyſmum, ſanus abiit. Iſte nec corticem peruvianum nec amara ſumpſit.

N. B. Juvenis erat bonæ conſtitutionis. Præſcripſimus vomitum, propter anxietates & conatus vomendi frequentes, initio cujuſque paroxyſmi; poſt quemque paroxyſmum, copioſi erant ſudores, olidi; in ultimo paroxyſmo, ſponte alvus apertus, cum evacuatione humoris bilioſi.

Etiamſi cortex peruvianus ſæpe utilis ſit in quartanis poſt toleratos aliquot paroxyſmos, ſæpe tamen fruſtra in his præſcripſimus; novimuſque numeroſos in Lithuania ruſticos, qui pacate tolerando febrem quartanam poſt 7 aut 14 aut 20 acceſſus, ſani, nullo ſumpto pharmaco, fuerunt; plurimoſque vidi qui juxta leges artis tractati, etiam poſt voratas numeroſas doſes corticis peruviani, hanc febrem tolerarunt uſque ad vernalem tempeſtatem, nec citius aliis ſanati qui prorſus artem noſtram neglexerunt.

In Lithuania rariores febres quartanæ autumnales relative ad tertianas. Medici Judæi in Polonia pertinaces quartanas ſæpe tuto & cito jugulant, minima data doſi arſenici ad granum in maxima quantitate aquæ mucilaginoſæ una die bibenda.

Teſtis pluribus vicibus talium curationum fui.

Febris remittens. Obſerv. 84.

Anno 1780, Grodnæ, dictus Aureli mercator, italus, 50 annorum natus, veneri immoderate deditus, etiam baccho, ſed ſine exceſſu, variis ærumnis a longo tempore excruciatus, ſpatio 15 dierum febricula cum laſſitudine, dolore capitis laborabat. A fine octobris ad decimam novembris, febris major cum virium proſtratione, lingua alba, appetitus ciborum nullus, calor cutis urens cum ſiccitate, ſitis; veſperi, major febris, pulſus celerior, durior. Hæc ſymptomata durarunt ad finem novembris: toto decembri delirium, lingua ſicca, quaſi corio nigro obducta, pallor ſingularis, facies depreſſa, mutata, pulſus undoſus, rubor genarum recurrens, abſceſſus ad marginem ani 15 decembris, quo ſponte aperto, ſat magna puris quantitas effluxit; delirium pertinaciter uſque ad mortem duravit, quæ evenit die ſeptuageſimo. Attamen circa vigeſimum, urinæ ſedimentum album ſat copioſe depoſuerunt; ſæpe ſæpius, ſine morbi, evacuationes alvi; fruſtra acida, veſicatoria, cortex peruvianus, arnica montana fuerunt præſcripta.

Febris remittens miliaris. Obſerv. 85.

Polonus nobilis, 30 annorum natus, baccho & veneri deditus, febre maligna remittente corripitur. A primis diebus, proſtratio virium, delirium, eruptio generalis miliarium puſtularum; veſperi, major febris, major anxietas. Vitam rure degens, Judæi barbitonſoris conſilia ſecutus toto morbi decurſu, ſeu ad vigeſimam diem modicam quantitatem vini Ungarici bibebat qualibet hora cochlear unum aut alterum, per intervalla ptiſanam ſucci berberidis baccarum. 21 die, diarrhœa fœtidiſſima nigra, ſoluta febris. Nunc Vilnæ video convaleſcentem, pallidum, macerrimum; ſed viget appetitus, ſoluſque ambulat. Anno 1782.

Febris acuta remittens. Obſerv. 86.

Coquus illuſtriſſimi comitis Tyzenhauzen febre acuta laboravit, cum delirio, convulſionibus; pulſus durus, frequens, calor cutis urens, proſtratio virium, exhalatio fœtida, lingua nigra, dolores ventris; veſperi, quaque die, febris vehementior. Sudoribus judicatus. 7 die medicamenta, cortex peruvianus, camphora, arnica montana utiliter præſcripta. Ex noſocomio Grodnenſi, anno 1779, aprili.

Febris amphemera. Obſerv. 87.

Chirurgus præſcribit emeticum mulieri ab octo menſibus gravidæ. Partus dolores ſubſequuntur. 3 die a partu, febre ægra corripitur: ſudor putris emanat, calor urens adeſt cutis, pulſus intermittens parvus, nec non celer. 3 die a febris initio, delirat ægra, ſputa copioſa evacuantur. Credidi complicationem febris malignæ nervoſæ cum lue venerea. Hæc mulier vera eſt imago miſeriarum humanarum; maritus verberabat eam; libidinoſus valde omnia in domo diſſipavit; meretricibus ſubmiſſus, uxorem ſuam infectavit. Obiit 4 die, Grodnæ, 1780.

Febris amphemerina. Obſerv. 88.

Doctor Henſelman, 45 annorum natus, febre remittente corripitur. Perterritus, primis diebus ſumpſit ſudoriferum, & emeticum; exinde ſpaſmi in primis viis fuerunt acuti, cephalalgia vehemens, proſtratio virium magna, remiſſio erat fere integra. Die quarta, purgationem levem præſcripſi; bene fuit evacuatus & ſublevatus. Die 5, hilaris erat. 6, febris recrudeſcit cum cephalæa, delirio & phantaſiis; veſperi, exacerbatio, venter tumidus: præſcripſi veſicatoria. Die 8, ſuppuratio bona, ceſſavit deli-

rium ; ſed manſit pulſus celer , parvus, vires auctæ. Die octava , lingua quæ alba fuit , nigra apparuit ; delirium ſupervenit, pacatus fuit ; ſed ſemper loquebatur. Venter adhuc magis tumidus, enemata accepit ; fuit evacuatio ſed levis. Die 9 , adhuc duravit delirium , cum facie rubra , tumida parum , ſed tumidior venter ; ſicca erant veſicantia ; in delirio ſemper quærebat fila ægrotans ; trahebat opercula , ſed nunquam furioſus fuit ; ſingultus ſingularis vexabat illum, quoque quadrante ; laborioſa ſemper fuit reſpiratio , etiam a primis diebus. Die 12 , adhuc delirium , ſed facies flaccida , depreſſa , pallida , difficilis valde reſpiratio. Die 19 , mortuus eſt. Pinguis erat , phlegmatico-cholericus ; plurimum comedebat , iners ad motum ; ſenſu triſti & profundo ærumnas etiam leves accipiebat. Fine maii anni 1777.

N. B. In caſſum ſumpſit decoctum corticis peruviani , & extractum ejuſdem magna doſi. Doctor iſte legitimus Junkeri diſcipulus , optimus chymicus , eruditus clinicus , vir antiquæ fidei , nec zelotypia erga collegas medicos combuſtus , bono & ſincero animo me amavit ; manuſcripta omnia teſtamento mihi legavit ; in quibus ſeries invenitur obſervationum rara fide exaratarum omnium ægrotorum , quorum curam habuit ab anno 1760 ad annum 1776 ,

quæ raras utiles annotationes paſſim exhibet. Ego mœſtus, paulo poſt ſimili morbo correptus, ad agoniam miſerrime ægrotavi. Vide infra.

Febris amphemerina. Obſerv. 89.

Mercator, nomine Duchemin, febre remittente laborabat. Chirurgus dedit pro purgante pulverem jalapæ; ſexagies fuit evacuatus uſque ad delirium. Ex hoc non ceſſavit leve delirium, proſtratio virium, pulſus celer, ſed parvus, lingua nigra, venter tumidus, cutis ſicca; naturales fuerunt tribus vicibus alvi evacuationes, fæces nigræ, fœtidæ; veſicatoria pus copioſum dederunt, ſed nigricantia erant ulcera. 10 die, mortuus. A morte 12 hora, nigrum cadaver, fœtens ſicut doctoris Henzelman cadaver: hi duo ſe ægrotantes eſſe non credebant. Fine maii 1777, Grodnæ.

Febris remittens. Obſerv. 90.

Nobilis Polonus, 30 annorum natus, valde pinguis, obeſus, facie florida, nigris capillis, 24 januarii 1777, febre corripitur. Quando prima vice vidi, jam laborabat a ſex diebus, jam venæ ſectio fuit adminiſtrata. Debilem inveni; calor cutis magnus nec non ſiccitas, pulſus durus, frequens, facies rubra, lingua

nigra in ſuperficie præter latera rubicunda; conatus perpetuus vomendi cum pſeudo ſingultu ægrotum vexabant. Pro die ſequenti, grana tria tartari emetici cum manna præſcripſi. Quatuordecim vicibus fuit evacuatus cato, ano autem tribus; die ſequenti, nullus conatus vomendi, diætam tenuiſſimam præſcripſi cum ptiſana acida. Sic duravit febris valida uſque ad 12mam. Tunc pruritus naſi cum tumefactione apparuit ſubſequente ſanguinis eruptione cum levamine; adhuc poſt ſanguinis eruptionem pruritus duravit cum pulſu naſali; apparuit eryſipelas die ſequenti, quæ totam faciem cum fronte occupabat. 3 die, ab eryſipelate lene catharticum præſcripſi cum mannæ unciis duabus; evacuationes fuerunt octo cum levamine: tunc ſedimentum obſervatum in urinis, nullus fuit ſudor, venter pinguis nunquam fuit durus nec dolens, ſed plenus, parum diſtentus; primis diebus, urina pauca, difficulter evacuata; ſub finem copioſa, facillime expulſa. Nunc non eſt febris nec veſtigium eryſipelatis, ſed labia tumefacta, cruſtoſa, cum pſeudo ſanie, pulſus lentus: attamen bene exploratus pulſus, aliquid heterocliti exhibuit. Putavi ex hoc ſtatu & præſertim imbecillitate ægrotantis, qui pacate abſque febre delirabat per intervalla, & qui exhibebat linguam ſiccam, adhuc nigram, qui

nondum madidam cutem exhibuerat, quod criſis fuerat imperfecta, realiter ab iſto tempore, nullo adhibito remedio, ſudores copioſe oleoſi eruperunt; urinæ magna quantitate ſedimentum album floccoſum obtulerunt; ab hoc die, ceſſavit delirium plenarie, nec non ſtupiditas.

N. B. Ante ſudores iterum facies inflata apparuit, ſed leviter. Nunc, poſt 21 diem morbi, ſomnum quietum de nocte ægrotans obtinuit abſque inſomniis; appetitus viget, lingua ſemper madida; nigræ pelliculæ cruſtæ ceciderunt; venter tantum mollis apparuit poſt ultimam criſim. Prima evenit criſis 14ta; ſecunda, 21 die morbi, die 16 februarii 1778. Vidi floridum ſicut antea poſt tres menſes a curatione.

Febris remittens. Obſerv. 91.

Dominus Suchodolesk, juvenis, 30 annorum natus, vino, veneri deditus, labe ſcorbutica afflictus, laborat a 40 diebus febre. Lingua a primis diebus fuit nigra, reſpiratio difficilis, venter apertus. Quaque die tres aut quatuor experiebatur evacuationes, conſtanter toto hoc tempore cutis fuit ſicca, arida, præter paucos dies, quibus ſudavit. Circa 20 diem, tali modo fuit emaciatus, ut vix credere eſt, circa 30 diem, delirium fuit de nocte. Applicatis veſi-

catoriis, delirium ceſſavit: nunc 35 die morbi, pulſus mollior, ſed frequens, lingua nigra, ſed humectata, marginibus rubris.

N. B. A 5 ad 27, ſurditas levis obſervata, non magna proſtratio virium, relative ad morbum, urinæ ut in ſtatu ſano deponunt mucilaginem copioſe album. Medicamenta: ſirupus berberidis, arnica montana, cortex peruvianus. Adhuc 9 novembris, laborabat febre; jam lingua, non eſt nigra, niſi in linea media, ſed marcor inſignis, debilitas, reſpiratio difficilis. 3 decembris, delirium mite circa divitias imaginarias. Suſpicor abſceſſum. Appetitus viget, ſed non nutritur, facies ſemper depreſſa. Mortuus eſt poſt 70 dies morbi. Per 6 dies ante mortem, ſputa copioſa, purulenta. Anno 1778, junio, Grodnæ.

Febris amphemerina. Obſerv. 92.

Doctor Virion, annorum 33 natus, per tres dies male ſe habebat: laſſitudinem membrorum, dolorem capitis, dorſi, lumborum, refrigerationem, cum tremore ſentiebat. Veſperi, febris erat, cum pulſu celeri, proſtratione virium. Sumpſit emeticum 2 die; 3, venæ ſectio fuit præſcripta; 4, purgatio levis abſque effectu; vomuit illam; quaque die ab hora quarta febris erat intenſior. Mane, pulſus natu-

ralis celerior, lingua alba, onuſta muco albo luteſcente; marginibus ruberrimis, ſomnus rarus cum loquela. A 6 die ad 12, delirium leve. 9 die, pulſus durus cum delirio. Præſcripſi venæ ſectionem ex ſaphena; ab initio morbi ad 14 diem, bibit ptiſanam cum berberidis ſirupo & nitro; a 11 ad 14, decoctum arnicæ montanæ florum parva doſi; 13, diarrhœa critica de nocte; ab hoc die ad 14, expectoratio copioſa cum ſputis coctis albo-luteis glutinoſis; ſudor, non tecto corpore, ſupervenit 14, duravitque 12 horas; ſudor oleoſus, calidus; jam a 12, lingua rubeſcebat; poſt criſim naturalis fuit. 13, 14, urinæ copioſum ſedimentum depoſuerunt album, floccoſum. Quaque die, tempore irritationis, a 2 die ad 8, duo clyſteria fuerunt præſcripta. 16, morbi 11 die, appetitus apparuit a 15 ad 20. Quaque die vires ægrotans recuperavit. Nunc ſanus; ſed macies maxima, vix muſculi tibiarum ſentiuntur. Poſt elapſum menſem, floridus, pinguis. Grodnæ, junio 1778.

Febris amphemerina. Obſerv. 93.

Eodem tempore, eamdem expertus eſt febrem muſicus, 30 annorum natus, ſanguinei temperamenti. Simpliciori modo fuit judicatus. Prima die, venæ ſectio; ab hoc tempore, ptiſana

nitrata cum ſucco berberidis, enemata. 14, ſudores copioſi & diarrhœa ſupervenerunt. Ex hac die, ſanus ægrotans appetitum recuperavit; lingua erat vere ſordida a 2 die ad 13; delirium obſcurum a 4 ad 11; intermittens erat delirium, ſed fortius quam in præcedenti; in utroque calor cutis urens; a prima die ad 10 intenſus in vola manus. Grodnæ, 1778, junio.

Febris amphemerina. Obſerv. 94.

1779, decembris die 24, homo, 49 annorum natus, a quatuor diebus laborat febre. Pulſus erat frequens, calor cutis urens, dolor capitis, tuſſis, debilitas, lingua ſordida. 28, pulſus frequens, plenior; ſudor ſupervenit calidus. 29, ſudor copioſus & oleoſus, debilitas magna cum ſenſu laſſitudinis, ſedimentum album in urina; 30, conſtipatio alvi, amaritudo oris: quod ſymptoma vexavit ægrotantem a primis diebus. 1 januarii, pulſus vix febrilis, ſed dolor pectoris, alvus laxus, debilitas minor. 2, pulſus fere naturalis, vires adauctæ. 3, difficultas loquendi. 4, dolor major ſpinæ dorſi, qui duravit uſque ad 6. His diebus, ſomnus ſat bonus. 7, appetitus viget, vires adaugentur. A 7 uſque ad 16, ſomnus rarus & perturbatus, appetitus diminutus. 25, dolor dorſi maximus, pulſus frequentior,

frequentior, alvus laxus; a 26 januarii ad 6 februarii, vires paulatim reintegratæ; diæta fuit tenuis, ptiſana, decoctum pectorale, cum cremore tartari; 28 januarii, emeticum ſumpſit ex tribus granis tartari emetici. Pro diſſipanda alvi obſtructione, ptiſanam cum pulpa caſiæ præſcripſimus; fine morbi, fuit purgatus.

N. B. Sanus erat 13 januarii, & dimiſſus e noſocomio; ſed immodice comedens recidivam expertus eſt a 17 ad 27 ejuſdem menſis; in qua una vice purgatus cum folliculorum ſenæ dragmis quatuor infuſorum in aqua mellita. 30, ſanus iterum dimiſſus ex noſocomio Grodnenſi.

Febris remittens. Obſerv. 95.

Magdalena, puella, 14 annorum nata, nondum menſtruata, temperamenti debilioris, macra, 24 januarii 1778, in noſocomium adducta, laborabat febre. Lingua alba, dolor capitis, alvus laxus, pulſus durus & frequens. Ptiſanam præſcripſimus nitratam cum ſirupo berberidis; propter fœtorem halitus, calorem cutis acrem: venæ ſectionem pedis pro moderanda febre. 27, proſtratio magna virium, pulſus celer. 29, paulo melius ſe habebat; purgationem ſumpſit ex duabus unciis mannæ, qua quinque vicibus leviter fuit purgata. A prima februarii ad 17,

vix erat febris, ſed proſtratio virium magna cum pulſu celeri & parvo, ſed ſputa copioſa purulenta; a paucis diebus, creberrimæ alvi fœtidæ evacuationes, macies quaque die aucta, lingua alba & ſicca. A 13 ad 18, ſomnus fere perpetuus; incepta ſuppuratione in pulmonibus, tentavimus balſamica, ſed fruſtra. 27 februarii, mortua eſt.

N. B. Vigebat epidemia catarrhalis cum obſcura inflammatione pulmonum. Certe in iſta nulla ſigna pathognomonica fuerunt peripneumoniæ; nec initio morbi reſpiratio difficilis, nec ſputa ſanguinea, nec dolor pectoris. Crederem metaſtaſim materiæ morbificæ in pulmonibus.

Febris amphemerina verminoſa. Obſerv. 96.

Infans trium annorum febre corripitur, cum pulſu celerrimo, calore cutis acri. Quarta die, per vomitum expellit vermes, & per anum; die ſequenti, nulla eſt febris; ergo febris quotidiana remittens, a verminibus; mane, vix erat febris, ſed magna proſtratio virium; veſperi, magna erat febris cum loquela.

Febris amphemerina. Obſerv. 97.

Italus febre maligna ſeu remittente quoti-

diana laborans, poſt criſim eſchara gangrænoſa in dorſo fuit correptus: poſt illius caſum, ulcus tribus menſibus durat; manet adhuc profundum, laudabile pus fundens: poſt duos menſes ſanus. Applicavimus extractum ſaturni, telam diapalmi. Febris judicata circa trigeſimum diarrhœa, materia nigra fœtidiſſima ex alvo. Toto curriculo morbi, proſtratio virium: præſcriptum quaque die extractum corticis peruviani in vino ungarico ſolutum. Utilis fuit ptiſana cum ſirupo berberidis baccarum.

Febris maligna amphemerina. Obſerv. 98.

Mareſcallus domini Moriconi, temperamenti ſanguinei, annorum 40 natus, febre remittente corripitur. Primis diebus, dolore capitis vexabatur; debilis erat. Duas alternis diebus purgationes, a chirurgo præſcriptas, ſumpſit. Febris erat levis, lingua alba, pulſus celer, parvus, ſomnolentia. 14 die morbi, major ſomnolentia; erat delirium leve, lingua inflata. A 14 ad 20, adhuc major debilitas; veſicatoria bene ſuppurarunt; dorſum excoriatum a decubitu; mortuus 20 die. Ceſſavit dolor capitis a 12 die; ſed ſopor major cum levi delirio; variis diebus ſupervenerunt evacuationes abſque levamine, tres ex alvo, bis ſudores ultimis diebus; inflatus vultus tumidus cum rubore uſque ad diem

mortis. Fruſtra cortex peruvianus, acida, fuerunt præſcripta.

Febris maligna amphemerina. Obſerv. 99.

15 maii 1777, ipſemet ego, poſt duos paroxyſmos febriles, interpoſitis plurimis diebus, febre remittenti ardenti laboravi. Prima die, venæ ſectio fuit peracta; tertia die, delirium ſupervenit abſque dolore capitis; cutis urens, ſicca, ſed vires ſat bonæ; duravit delirium intermittens 10 diebus; omnes amicos cognoſcebam, intelligebam ratiocinia & rite judicabam: ſed manebant phantaſiæ circa res varias; veſicatoria applicata magnas excitarunt veſicas, ſed doloris non fui memor. 15 die, alvi copioſa evacuatio ſupervenit, etiamſi balnea præſcripſerant. Ab hoc die, appetitus & ſomnus viguerunt, citoque vires ſupervenerunt; ſed veſicatoria ſuppurarunt per unum menſem. Poſt balnea nigra erant, nullum ſenſi dolorem; durante delirio, ambulabam quaque hora & diu, præſertim mane, primis quatuor diebus. Poſt ſeptimum diem, pacato delirio, virium proſtratio magna apparuit; veſperi, paroxyſmi cum delirio muto. A 12 ad 13, de nocte quaſi moribundus aſtantes audiebam, qui demiſſa voce dicebant: non videbit diem. Ego, ſentiens vires

naturæ, tacite ſuſurrabam: ſanus ero. Die 14, primo, evacuationes alvinæ, raræ fœtiditatis, ſupervenerunt ſubſequente ſudore; die ſequenti, jam vigebat appetitus.

Febris maligna infantis. Obſerv. 100.

Infans, 8 annorum natus, a ſeptem diebus febre laborat: prima die, aderat capitis dolor; ſecunda, febris cum calore cutis urente. Chirurgus vomitorium dedit, quo optime evacuatus fuit æger: nunc lingua alba cruſtoſa, hypochondria elevata ac tumida, ſomnus fere continuus; inſomniis cum loquela perturbatur; pulſus æqualis, ſed celer & duriuſculus; calor adeſt cutis urens; adeſt magna virium proſtratio, reſpiratio naturalis, vultus pallidus; ſurdus paululum eſt æger; exacerbationes patitur quaque nocte. Octava die, melius ſe habuit poſt purgationem; calor cutis mitior, pulſus minus celer, ſomnus pacatior. Die 9, delirium cum ſomnolentia, pulſus inæqualis, hypochondria & regio epigaſtrica magis elevata: ſuaſi veſicatoria in pede & cucurbitulas in cruribus; chirurgus has cucurbitulas applicando, combuſſit leviter cutem, unde phlyctæna magna; attamen ob hæc melius æger ſe habuit: Veſperi, inveni ægrum cum lingua madida, ventre molli, evigilatum

ac dolores ſentientem. 15 die morbi, purgatus cum manna, copioſe materiam luteam reddidit: exinde febris mitis facta, lingua madida ac rubicunda, appetitus rediit, ſanuſque fuit, etiamſi debilis; poſt decem dies agilem inveni & floridum.

Febris maligna a mœrore. Obſerv. 101.

Œconomus, poſt domi incendium, videns uxorem caram mortuam ex incendio, febre corripitur. Cito ſupervenit delirium; quinta die, mortuus eſt. Stupefactus ſemper fuit a prima die uſque ad mortem, ſed evidentes paroxyſmi veſperi. Fruſtra magna doſi dedimus extractum corticis peruviani in vino ungarico ſolutum propter maximam virium debilitatem; fruſtra veſicatoria applicata. Febres iſtas nervoſas a mœrore profundo natas, fere ſemper lethales obſervavi, quacunque adhibita methodo curandi.

Febris maligna in hyſterica. Obſerv. 102.

Nobilis femina polona, pulchritudine & fatis vitæ celebris, Grodnæ ad perſequendam litem ab uno menſe manebat, vexata omnibus calamitatum generibus. Sæpe dolore capitis, inflatione ventriculi antea vexabatur tempore catameniorum, quæ ab aliquot annis parce flue-

bant, cum colicis in regione hypogaſtrica; cæterum pinguis erat & ſana. Scivi ſæpe gravidam, viduitatis tempore, fructum perdidiſſe, ſæpe lue venerea laboraſſe; exinde amiſerat fere omnes dentes. Erat 38 annorum nata. Flatuoſitates vexarunt illam cum eructatione laborioſa; dolor erat capitis vehemens, anxietates frequentes, ſpaſmi: hæc ſcena durat uno integro menſe; varia antiſpaſmodica ſumpſit. Calor erat urens in volis manuum; ultimis diebus, inflabatur venter ſtupendo modo; tandem, poſt has ærumnas, vera ſupervenit febris cum pulſu celeri, calore urente cutis. 2 die a febre, incepit delirium lene, veſicatoriis furioſum redditum; ſemper inflatio ventris cum eructatione manſit cum pandiculationibus, & paſſim veris convulſionibus; die 2 a delirio, evacuatio copioſa ſupervenit ſanguinis nigri ex alvo; duravit delirium uſque ad 21 diem febris; facies ad 20 manſit pulchra, florida; pulſus raro fortis, fere ſemper debilis; exacerbationes erant evidentes, ſed non regulares; raro dormiebat, niſi ultimis diebus; lingua pura fuit uſque ad 15 diem, & humectata; ſæpe ſubſultus tendinum obſervabantur; carpebat lintea, præſertim diebus ultimis; a 16 ad 22, oculi pulchri fuerunt; uſque ad 20 diem, urinæ depoſuerunt pluries ſedimentum album; ſæpe alvi evacu-

tiones copioſæ fuerunt, enematibus tantum procuratæ; materiæ luteæ erant, & coctæ; vix macies ante mortem fuit notabilis: 21, delirium minus ferox, muſculi faciei depreſſi; fuit mutata facies, oculique extincti nuntiarunt mortem: quæ ſupervenit 22 die ab initio febris, & poſt 40 dies a principio morbi; duravit delirium 20 dies.

Febris maligna, amphemerina, comatoſa. Obſerv. 103.

Mareſcallus tabulæ illuſtr. theſaurarii Tyzenhauzen, nomine Zawzeivich, laboravit hac febre 14 diebus ante judicationem. Veſperi, paroxyſmus cum pulſu celeri, majore dolore capitis, frequenti exſpiratione; mane, vix febris, ſed proſtratio virium; a 4 die, ſomnolentia perpetua cum delirio levi, ſurdo, obſcuro; lingua erat nigra, cutis arida, ſicca, urens; prima die, ſectio venæ; poſtea purgatio; aliis diebus, diluentia, præſertim ſuccus berberidis; 10, vires proſtratæ poſtularunt veſicatoria; die ſequenti, pulſus plenior, magis evolutus; 12, jam urina ſedimentum deponebat; 14, poſt exacerbationem ſudor copioſus; urinæ copioſe materiam albam depoſuerunt; alvus apertus, expectoratio copioſa. Ab hoc die, paulatim vigor rediit, & appetitus.

N. B. Ægrotans hic puellam pulcherrimam amabat; mœſtus fuerat, quia ſuperiores matrimonii licentiam illi concedere noluerunt; conſilium dedimus, ut veniat amaſia, ſpemque dedimus matrimonii. Ab hac hora, reſtauratæ vires, nec dubito præcipuam cauſam fuiſſe ſanationis. Ægrotans 30 annorum natus, pacatæ mentis homo, ſed melancholicus, a plurimis menſibus ærumnis varii generis exagitatus. Grodnæ, 1779.

Febris nervoſa. Obſerv. 104.

Mulier, annorum 30 nata, poſt mariti obitum mœrore conficitur; paucis elapſis menſibus, appetitus deletur, vexant inſomnia, ſurgit febris, delirio miti ſtipata; ſudor ingratum ſpargit odorem, cutis urens, hypochondria tumida, magna proſtratio virium: febris videtur nervoſa a mœrore: mortua eſt. Grodnæ, 1780.

Fruſtra veſicatoria applicata, fruſtra cardiaca cum extracto corticis peruviani mixta. Ægrotans a prima die ad ultimam læta predicebat futuram mortem. Vidi expirantem, nullo exiſtente delirio a decem horis; omnia ſigna lætitiæ in depreſſa pulcherrima facie monſtrabat.

N. B. Ad faſtidium accumulavi exempla febrium; ſed firmo conſilio, ſerio cogitans, telam

hanc contexui, ut una vice ſtatuta maneant doctrina naturæ medicatricis, veritas criſium, & quam pauca requiruntur in his morbis medicamenta. Eadem fide infortunia & felices caſus propoſui. Teſtes appello cariſſimos alumnos ſcholæ regiæ medicæ Grodnenſis, qui fere omnes citatos ægrotos quaque die proſecuti fuerunt. Potuiſſem ſimiles & numeroſiores depromere caſus Lugduneos ex Adverſariis ante adventum Grodnæ & poſt diſceſſum; ſed prætuli Grodnenſes attentione majori ſcriptos, utpote inſerviendos doctrinæ clinicæ ad lectos ægrorum tradendæ.

COLLECTIO TERTIA.

INFLAMMATIONES.

Panaritium. Obſerv. I.

ANno 1781, panaritio in extremitate digiti medii ruſticus Grodnæ laboravit : digitus totus mox tumefactus cum dolore, calore, duritie ; paucis elapſis diebus, tumefactio occupat volam manus ; non poterat dormire ægrotans ; erat febris. Hæc omnia toleravit ad tempus ſuppurationis ; pus forare cutim vix poterat propter calloſitatem. Scapello cutem aperui : parva apertura fluxit puris uncia una ; poſtea ſimpliciter involvit manum linteo ; ſexta die ab inciſione, ſanus abiit : nulla topica fuerunt applicata. Paulo poſt ſerva mea panaritio ſimplici laboravit ; eadem methodo fuit ſanata : inflammatio occupabat digitum indicem. In pluribus aliis caſibus, quando cutis digitorum non erat calloſa, ſola natura cutim emollire, aperire ſcit. Folia betæ cocta, contuſa hoc opus accelerare poſſunt.

Phlegmon genæ. Obſerv. 2.

Anno 1781, initio martii, tuberculum ſenſi inflammatum in gena dextra; paulatim crevit a piſi magnitudine ad molem ovi columbini, ſcilicet ſpatio 10 dierum; tumor erat ruber, durus, pulſans, calens. Tunc percuſſit illum puella ictu capitis, magno impetu me amplectens, unde per aliquot minutas dolorem atrocem ſenſi. A 6 die, cruſta formata in apice tumoris quæ quaque die puris guttulas aliquas fundebat. 15 die, ex apertura ampliata, pacato dolore, extraxi fruſtulum album, molle, caſtaneæ molem referens ſeu *borbillon*: erat congeries pilorum goſſypii contorti tenuitatem æmulantium; pure madidi erant fili. Magna recavitas permanens, ſpatio 39 horarum fuit repleta: nullum topicum applicavi remedium præter defenſivum ultima die. Nunc cicatrix minima vix cognoſcitur. A 5 die ad 12, gena dextra tota tumefacta erat; ſentiebam laborem oſcillationis a collo ad oculum; calor major erat in hac facie; ubique pulſabant arteriolæ ſpeciatim circa tumorem; arteria temporalis iſtius lateris celerius pulſabat; phlegmone tempore majoris incrementi cum baſi quindecim linearum diametri, 12 elevationis, dolens erat valde: nolui tamen applicare emollientia ano-

dyna, pacate toleravi totum decurſum morbi.

Otitis, inflammatio auris. Obſerv. 3.

1790, die 15 auguſti, ruſtica, 40 annorum nata, inflammatione auris dextræ laboravit. Erat febris, dolor atrox in aure, calor, pulſatio, tumefactio faciei hujus lateris: hæc pacate toleravit, omnia committens naturæ. Quatuor integris diebus dolore vexata fuit, nec nocte dormiit. Paulatim poſt hos minuitur dolor, ceſſat febris, &, reſolutione peracta, ſana evaſit. In omnibus aliis qui otitidem tolerarunt, ſupervenit ſuppuratio in cavitate auris, qua ceſſata, pure evacuato, aut ſurditas manſit aut durities auditus.

Phlegmone pharyngis. Obſerv. 4.

Vice-Mareſcallus curiæ comitis Tyzenhauzen Grodnæ, ſe radendo, puſtulam minimam excitat; pruritus ſupervenit in loco affecto, in colli latere ſiniſtro, prope pomum Adami; ſupervenit in vicinia puſtulæ inflammatio, phlegmone ovi gallini magnitudinem æquans; rubor intenſus, tenſio, dolor adſunt; ſuppuratione terminatur tumor: abſceſſum aperio; emanant tria cochlearia puris. Similem caſum vidi, ſed inflatio erat in gena, puſtula autem in angulo labii.

Tumor ovarii inflammatorius. Obſerv. 5.

Anno 1782, Vilnæ, Domina Knafouſe, uxor architecti urbis, ab aliquot annis menſtrua irregularia, modo parca, modo nimia obtinuit. Ab aliquot menſibus dolores ſentiebat in inguine dextro. Paulatim evolvitur tumor, qui crevit ad magnitudinem melonis: quando venter premebatur, ubique dolor excitabatur. Initio incrementi tumoris, menſibus ſuppreſſis, febris valida detinuit ægram duabus ſeptimanis; die 3 a conſultatione, tumor diſſipatus poſt copioſam evacuationem puris ex vagina; ſed febris major veſpertina, vires debiliores, facies pallida, depreſſa. In hoc ſtatu manſit uſque ad finem auguſti, quo Vilnam dereliqui.

Inflammatio mammæ. Obſerv. 6.

Nutrix infantis mei, femina, 20 annorum nata, robuſta, poſt ſuſceptum frigus, calente corpore, dolorem in mamma dextra ſenſit. Die ſequenti, tumor apparet, rubor, calor, pulſatio; ſupervenit febris: cataplaſmate malvæ applicato, reſolutio obtinetur; vigente febre, lingua erat alba, nullus appetitus; poſt octo dies ſana, nullo interno medicamento deglutito. Ptiſanam bibebat hordei melle edulcoratam. Infans non impune

alteram mammam ſugebat : novem menſium natus febricitavit ; debilis erat, clamabat die & nocte ; calor urens erat cutis ; ſtercora viridia, quibus ſupervenit conſtipatio. Introducto ſuppoſitorio ſaponis, copioſæ ſupervenerunt evacuationes : ſolo hoc auxilio, die ſeptima, ſanus evaſit.

Inflammatio mammæ. Obſerv. 7.

Dominus Iſaurat, peritus chirurgus, vir antiquæ fidei, talem mihi narravit hiſtoriam. Ancilla dormiens in lecto duro, ſibi infigit aciculam in mamma. Poſt duos annos, inciſione peracta, extraxit aciculam longitudine duorum pollicum : poſt tres dies ſana fuit ; valida initio fuit mammæ inflammatio.

Inflammatio uteri. Obſerv. 8.

Femina viri *Ferblantier* inflammatione imi ventris laboravit ; ſentiebatur tumor durus ſupra pubim ; calor erat dolor ingens primis diebus, difficultas mingendi ; debilis erat, pulſus durus ; ſanguis extractus depoſuit corium inflammatorium, applicatione hirudinum ſingulariter fuit levata : ſana evaſit. Vidi floridam poſt duos menſes.

Inflammatio ſcroti. Obſerv. 9.

Vir, quadraginta annorum natus, tempera-

menti ſicci & valde cholerici, bilioſi, ſanguinei, facillime iratus, ad motum promptus, tertia vice inflammationem ſcroti paſſus eſt ſuppuratione terminatam. Vir ille libidinoſus, coitu abuſus fuit; ſæpe gonorrhœis curatus. Prima vice, portentoſus erat tumor cum ſummis doloribus. Credidi quod eſſet defluxus humorum ſuper organa nimio uſu & morbis prægreſſis debilitata. Ille vir vinum merum, potum cofeæ nimium amat. Pus prima vice erat nigrum & valde fœtidum. Sanatus extracto ſaturni: erat febris valida primis diebus. Lugduni, 1771.

Inflammatio gutturis. Obſerv. 10.

Die 19 januarii 1778, puella, 19 annorum nata, tranſlata in noſocomium Grodnenſe, laborabat inflammatione gutturis cum dolore vehementi pectoris complicata; pulſus durus, frequens, alvus ſtrictus; menſtrua copioſe fluebant. Lingua alba, appetitus nullus, dolor capitis, proſtratio virium, calor cutis urens, difficultas deglutiendi, dolor pectoris vehemens. Præſcripſi pediluvia, enemata emollientia, ptiſanam hordei nitratam, fomentationes, colluviones oris ſeu gargariſmata emollientia. 21, dolor major pectoris; menſtrua adhuc fluebant, dolor capitis, pulſus frequentior, durus. 23, pulſus minus frequens, difficultas deglutitionis major, menſtrua non

non fluebant; lingua alba, appetitus nullus, alvus ſtrictus. 25, dolor pectoris mitior, tuſſis, ſputa alba, poſt tuſſim ſat frequentia, lingua alba, appetitus nullus, alvus ſtrictus. 27, melius ſe habebat uſque ad 30, quo tuſſis adhuc cum ſputis ſequentibus lingua adhuc alba, alvus laxus, appetitus micans. Præſcripſi purgationem ex duabus unciis pulpæ caſiæ dilutæ in 4 cyathis aquæ a quadrante ad quadrantem bibendæ, qua blande fuit purgata. 2 februarii, iterum purgata cum duabus unciis mannæ & dragmis duabus ſenæ; a 4 februarii uſque ad 24, etiamſi omnia ſymptomata profligata, tamen lente recuperavit vires; puella natura pigra, molli jacebat in lecto. Bis purgavimus hoc ſpatio: prima vice, duabus unciis mannæ, qua una vice fuit evacuata; altera rhabarbari ſcrupulo, quo tres experta evacuationes, ſana abiit 3 martii.

Inflammatio faciei. Obſerv. II.

Die 30 novembris 1778, juvenis, 24 annorum natus, nomine Ludovicus, inflammatione faciei laborabat. Erat rubedo, ſed nullus calor nec febris, nec dolor capitis; puſtulæ numeroſiſſimæ ſeu cruſtæ ſat ſimiles puſtulis variolarum deſſicatis occupabant totam faciem, copioſius ſuper naſum & in vicinia: diæta tenuis, ſed copioſiora alimenta quam in morbis acutis; ptiſana fuit infuſio florum

ſambuci, cum nitro & melle. Fotus tumoris præſcripſimus, cum decocto foliorum malvæ, enemata & pediluvia mane & veſperi. 2 decembris, fuit purgatus cum uncia una ſalis ebſamenſis, quo octo expertus eſt evacuationes; de die ad diem ceciderunt ſquamatim cruſtæ. 12 decembris, ſanus abiit. Ignoramus an vera febris vexavit ægrum ante eruptionem; ſimpliciter narravit quod, prima die, erat debilis cum dolore capitis & anxietate; videtur tamen depuratio humorum proxime accedens ad eryſipelatoſam. Ex noſocomio Grodnenſi.

Inflammatio veli palati. Obſerv. 12.

25 Die octobris 1778, puella marianna dicta, 16 annorum nata, laborat inflammatione veli palatini; tonſillæ & gurgulio inflata; dolor adaugetur tempore deglutitionis. Præſcripta venæ ſectio ex ſaphena; diæta fuit tenuis; ptiſana hordeacea cum nitro pro potu ordinario, pediluvia mane & veſperi, gargariſmata abſque motu cum oxymelle acetoſo. 27, dolor plurimum minutus, pulſus naturalis. 29, deglutitio facilis. 30, ſana exiit. Ex noſocomio Grodnenſi.

Inflammatio ventriculi. Obſerv. 13.

Anno 1782, Vilnæ, nobilis Polonus, poſt abuſum

vini nec non ſpirituoſorum ardentium, poſt ingurgitationem carnis & lactucæ, anorexia cum conatu vomendi laborat. Grana ſex tartari emetici ſumpſit; poſt vomitorium ſigna apparent inflammati ventriculi, febris, pulſus celer, durus, ſingultus, ardoris ſenſus in ſtomacho, calor urens cutis, teneſmus, vomitus nigreſcentis humoris cum ſeroſa colluvie mixti; facies eſt depreſſa; venter, tumefactus, vix abſque dolore atroci tangitur. Mortuus quarta die a vomitu. Sanguis extractus cruſta coriacea alba (*coeſneux*) erat tectus. Juxta artis leges a medico ſagaci judæo tractatus; bis præſcripta ſanguinis larga miſſio; præſcripſit fomentationes emollientes, enemata oleoſa, ptiſanas mucilaginoſas, potiones anodynas, emulſiones.

Inflammatio ventriculi. Obſerv. 14.

Œconomus Carolinæ, vir 50 annorum natus, pinguis, robuſtus & ſanguineus, vini & aquæ vitæ uſui ſat deditus, poſt frigus ſuſceptum & cœnam copioſam, ex piſcibus oleo rancido paratis, ſenſit ardorem ventriculi. Supervenit febris, proſtratio virium, ſingultus creberrimus, ſenſus caloris & dolor in regione epigaſtrica, pulſus durus, ſingulariter intermittens. Die 3, remiſit dolor & ſenſus ardoris. Die 5, mortuus. Videtur

inflammatio ventriculi; fuit vomitus frequens; ſingultus, die, proſtratio virium. Venæ ſectio, emollientia, anodyna levia inutiliter præſcripta.

Inflammatio inteſtinorum. Obſerv. 15.

Submiſi ſcalpello meo puerum, decem circiter annorum natum, febre cum torminibus ventris interemptum. Inveni omnia inteſtina filamentis innumeris contexta, vaſa quaſi injecta pulchro ſpectaculo apparebant. Tanta erat agglutinatio, ut vix dorſo ſcalpelli ſeparari poſſint. Novum putabam phœnomenon; ſed talia videre eſt apud Morgagnium: inflammatione ventris quatuor diebus laboravit in noſocomio Lugdunenſi, anno 1772.

Hepatitis, ſuppuratione terminata. Obſerv. 16.

Noſco medicum cui, annorum viginti nato, hepatitis ſupervenit, ſuppuratione terminata. Chirurgus ſecavit abſceſſum; magnam quantitatem puris eduxit. Inde ſanus emergit, etiam ſemper poſtea valetudinarius, præbenſque mihi obſervanti faciem luteam. Poſt 45 annos podagræ obnoxius fuit, qua retrocedente, jugulatus, anno ætatis 60.

Hepatitis. Obſerv. 17.

Miles, triginta annorum natus, ebrioſus homo, poſt toleratum dolorem, in hypochondrio dextro, tranſlatus fuit in noſocomium. Senſi tumorem magnum infra coſtas; ſentiebat dolorem; die ſequenti, mutata fuit facies, reſpiratio frequens. Mortuus 3 die. Aperui; erat ſubſtantia granuloſa hepatis; inveni abſceſſum in hepate; ſedes abſceſſus erat inter membranam faciei externæ hepatis, moles abſceſſus capitis infantis; febris fuerat valida per octo dies ante introitum in noſocomium: chirurgus neglexit venæ ſectionem.

Eryſipelas cruris. Obſerv. 18.

Puella 15 annorum, nondum menſtruata; ſericeos pannos conficiens, cruris eryſipelas exhibet, copioſum liquorem acrem exhibens; quod prurit valde, media pars eruptionis alba, circumferentia coloris rubro-fuſci: febris levis ante eruptionem. Diæta tenuis, ptiſana hordei. Septima die, diarrhœa ſupervenit. 9, ſana erat. Lugduni, 1770.

Eryſipelas in ſene. Obſerv. 19.

Chirurgus, principis Radziwir, Patruus D. Froelich, vir ſeptuagenarius, menſe Auguſti

1776, dolore capitis, præcedentibus laſſitudine & horripilationibus corripitur; poſt tres dies, inflatur facies modo ſtupendo. Totum fere caput occupatur; luteo-rubra eſt cutis, pulſus frequens, vires artuum debiles; venæ ſectio bis repetitur; diæta tenuis valde per octo dies, ptiſana cum nitro & decocto oryzæ, enemata cum herbis emollientibus. 5 die, delirium cum inſomniis. 6, inquietudo augetur. 7, minuitur tumor. 10, nulla febris: tunc præſcripſi cathartica levia. Ex hac die, appetitus rediit cum viribus. 20 a morbo, ſanus profectus eſt. Grodnæ.

Eryſipelas capitis. Obſerv. 20.

Juvenis, 14 annorum natus, horripilatione cum frigore corripitur. Supervenit capitis dolor, laſſitudo ſpontanea, pulſus frequens. Die ſequenti, inflatur facies uno latere, ſiniſtro. 3 die, tumor rubeſcit, extenditur ad claviculas & caput, luteo-ruber fit. 4 die, una vice ſecatur vena; enemata tria fuerunt adminiſtrata; diæta præſcripta tenuis cum ptiſana nitrata; eryſipelas ſic ſeptima die fuit ſanatum, menſe decembris 1776, Grodnæ.

Eryſipelas capitis. Obſerv. 21.

Comitiſſa Tyzenhauzowa, 16 annorum nata, ab uno anno mœſtitia ſæpe vexata, parumque

prudens pro ſelectu eupeptorum alimentorum & ſovenda tranſpiratione, die dominica, die præcedenti, de dolore capitis & refrigeratione querelas movens, febre corripitur; refrigeria incipiunt a 4 hora; calor ſupervenit cum pulſu frequenti celerrimo, dolore capitis, anxietatibus; cutis urens erat; facies rubra. Die lunæ, venæ ſectio pedis fuit præſcripta, ſed modica; veſperi, novus paroxyſmus, ſed minor præcedenti. Die martis, manna præſcripta cum grano uno tartari; vomuit bis bilem ſpiſſam amariſſimam; ex alvo quinque fuerunt copioſæ evacuationes; veſperi, paroxyſmus: tunc incepit tuſſis ſicca clangoſa; die mercurii, mane, pulſus minus frequens, ſed proſtratio virium, jam lingua ſpumeſcens nigra; veſperi, tuſſis contumacior cum inſpirationibus frequentioribus, jam eruptio ſenſibilis ſub larva eryſipelatis, utrumque faciei latus detinens, oculi madidi, ſemiclauſi; die jovis, minor paroxyſmus; die veneris, ſimilis; die ſabbati, minor adhuc; die dominica, ſudores ſupervenerunt: a purgatione nullum ſumpſit medicamentum, niſi juſcula, ptiſanas acidas cum berberide. Die martii, iterum ſudores abſque febre; ab eo tempore, lingua madida paulatim facta; nigredo tamen duravit uſque ad 14; ſquamatim cadebat epidermis in lingua & in : facie cito convaluit, & pinguedo rediit.

Eryſipelas, endemia. Obſerv. 22.

Poſt validam febrem ſupervenerunt apud tres juvenes eryſipelata in facie; unus delirio 3 die fuit correptus, quod ceſſavit poſt eruptionem. Nullo adhibito remedio, fuerunt ſani. Grodnæ.

Eryſipelata. Obſerv. 23.

Eryſipelas, morbus communis in Lithuania, præſertim æſtate. Dormiunt noſtri ruſtici ſub dio: ſaltem centum habuimus a 4 annis; nullus mortuus. Nihil præſcribo, niſi ſanguineis venæ ſectionem prima die in eminenter plethoricis, cum febre intenſiſſima; ptiſana vulgaris ex pane cum cremore tartari, nullum topicum. Vix ex 100 eryſipelata occuparunt decies crura, plerique capite, brachiis, collo, facie, fuerunt correpti.

Eryſipelata. Obſerv. 24.

Eryſipelata frequentia hac æſtate 1778, Grodnæ, in facie, cruribus. Simpliciſſima methodo ſanati omnes, venæ ſectione, diluentibus; ſex novi perfecte ſanatos, nullo remedio ſumpto.

Eryſipelas. Obſerv. 25.

23 Julii, Catharina, puella 18 annorum nata, eryſipelate faciei cum colli inflammatione corri-

pitur propter ulcus fiſtuloſum infra parotidem; erat febris, appetitus proſtratus, dolor capitis, lingua ſordida. Præſcripta fuit purgatio cum uncia una ſalis ebſamenſis, qua decies fuit evacuata. 28, nullum erat eryſipelas nec inflammatio. Contra ulcus præſcripſimus pulpam foliorum chelidonii majoris. Ante applicationem fluebat ſanies ichoroſa; labia ulceris erant cinerea, calloſa. Poſt octo dies, mutata facies ulceris; fundus rubeſcens ſuppeditabat pus laudabile. Præſcripſimus pro potu ordinario decoctum ſcrophulariæ majoris cum melle, purgationes quaque ſeptimana cum ſale ebſamenſi. Die 13 octobris, petiit dimiſſionem. Fiſtula erat ſanata, ſed cicatrix debilis ſæpe ſæpius findebatur, & fundebat guttulas puris. Ex noſocomio Grodnenſi.

Eryſipelas. Obſerv. 26.

17 Septembris, puer 10 annorum, nomine Franciſcus, eryſipelate totius faciei laborabat. Pulſus erat plenus, frequens, dolor capitis vehemens, calor cutis moderatus, frequentiores pulſationes arteriæ temporalis quam in radio, facies inflata, rubra, palpebræ tumidæ, clauſæ. Præſcripſimus ptiſanam nitratam ex hordeo & melle, diætam tenuem, clyſteria emollientia, mane & veſperi. 19, melius, vix febris, vix

dolor capitis, magna diminutio inflationis faciei. 21, nulla inflammatio, pulſus naturalis, appetitus vehemens. 24, iterum eruptio eryſipelatis, antecedente anxietate maxima, ſed vix pulſus frequentior quam in ſtatu naturali, lingua iterum ſordida cum halitu fœtido. Præſcripſimus purgationem cum pulpæ caſiæ unciis duabus pro tribus cyathis de hora ad horam bibendis: quinque fuerant evacuationes limpidæ bilioſæ. 26, vix erat tumefactio, jam epidermis ſquamatim cadebat. 29, ſanus ex noſocomio Grodnenſi, 1778.

Eryſipelas. Obſerv. 27.

26 Octobris 1778, puella 15 annorum nata, nomine Anna, eryſipelate faciei laborabat. Inflatio magna cum phlyctænis tumeſcentibus; clauſi erant oculi; diæta fuit tenuis, ptiſana nitrata cum decocto hordei. 28, pulſus erat naturalis. 30, ſquamatim cadebat epidermis. Oculi erant aperti & lucidi; jam facies erat naturalis. 1 novembris, ſana abiit. Nullum medicamentum ſumpſit. Ex noſocomio Grodnenſi.

Eryſipelas. Obſerv. 28.

25 Octobris, puella 20 annorum nata, nomine Maria, eryſipelate laboravit: tumor tantum obſervabatur in latere ſiniſtro faciei; extendebatur

a vertice ad claviculam, cum rubore, calore, tenſione; oculus ſiniſter clauſus propter tumefactionem palpebræ, pulſus frequens; ſed quod probe notandum, frequentior in latere ſiniſtro, quam in dextro, præſertim in arteria temporali. 26, præſcripſimus mannæ uncias duas, qua tribus vicibus fuit purgata; diæta fuit tenuis, ptiſana nitrata cum melle, enemata veſperi. 29, vix tumor apparebat; pulſus erat naturalis, appetitus vigens. 11 novembris, ſana exiit ex noſocomio Grodnenſi, 1778.

Angina catarrhalis. Obſerv. 29.

Mulier obeſa, 30 annorum nata, angina catarrhali cum febre laboravit. Emetico ſumpto, quarta die ſanata. Erant pulſus frequens, calor cutis, ſiccitas, amygdalæ, uvula, rubræ, tenſæ, dolentes; vix deglutire potuit; ſpaſmi frequentes, dolor vehemens capitis, prima & ſecunda die. Lugduni 1769.

Angina. Obſerv. 30.

Anno 1781 maii 10, Stephanus, famulus meus coquus Grodnæ, angina laboravit poſt frigus ſuſceptum, diebus præcedentibus calidis. Pulſus erat durus, deglutitio impoſſibilis, vox mutata, rauca, ſibilans, reſpiratio laborioſa, accelerata,

dolor urens in gutture, velum palati rubrum; tenſum, tonſillæ inflammatæ, tumefactæ, renitentes. Morbi initio, ſenſit æger horripilationes, laſſitudines ſpontaneas; valida fuit febris a ſecunda die ad quintam; ſudavit ſexta & ſeptima; alvus tota ſeptima die apertus, laxus cum diarrhœa. Vix fuit convaleſcentia, cito floridus vires recuperavit. Poſt criſim vigebat appetitus; plurimum comedebat & digerebat. Bis 2 & 3 die venæ ſectione peracta, quæ ſanguinem cruſta lardacea tectum obtulit; 4 die, hirudines ſex circa laryngem fuerunt applicatæ, enemata ex malva præſcripta, ptiſana hordei nitrata cum melle; 7 die, ſpuit uncias tres puris.

Angina. Obſerv. 31.

Juvenis, 22 annorum natus, angina laborat tam crudeli, ut nec deglutire, nec reſpirare poſſit. Pulſus jam debilis, facies pallida depreſſa, vires proſtratæ, reſpiratio valde brevis & anxia; tumor extus proeminebat, cum rubore, tenſione, totumque laryngem occupabat. Enemata præſcribo, cataplaſmata emollientia cum malva; hirudinum applicationem circa laryngem dirigo; die ſequenti, mollitum tumorem & minutum valde reperio, reſpirationem liberam, vires; tandem ſanus evaſit. Antea tribus vicibus inutiliter vena

fuit aperta. Laborat pro fabrica pannorum, Grodnæ, homo excelſæ ſtaturæ, anno 1777.

Angina catarrhalis. Obſerv. 32.

Homo 40 annorum natus, nomine Sacco, architectus Italus, Grodnæ, poſt ambulationem manet in domo frigida abſque motu. Eadem die, dolorem in ſcapulis, dorſo experitur; die ſequenti, adeſt difficultas deglutiendi cum dolore, aſpectu tonſillæ inflatæ, & rubræ videntur; vox mutata, pulſus celerior, frequentior naturali; ſputa copioſa excernuntur, pituitoſa; creſcit malum cum ſputis copioſioribus; ſexta die, minuitur: bis copioſe ſudavit. Præſcripſi diætam tenuem, potum theiformem. Appetitus, durante morbo, fuit deletus; criſi ſudoribus & ſputis peracta, binas purgationes dedi: ſanus fuit 8 die.

Anginæ catarrhales. Obſerv. 33.

Plurimi in noſocomio Grodnenſi inflatione gutturis cum levi inflammatione laborant. Pendula uvula & tonſillæ ingurgitatæ cum difficili deglutitione, voce mutata, dolore, levi febre. Vomitus cum ipecacuanha, in nonnullis venæ ſectio, diæta tenuis, ſanarunt illos, juvante natura. Anno 1778.

Angina. Obſerv. 34.

22 Auguſti 1779, juvenis 18 annorum, no-

mine Joſeph, angina ſpuria laborabat. Pulſus paulo durior quam in ſtatu naturali, ſed vix frequentior; lingua alba, lutoſa, levis dolor capitis, ſed deglutitio difficilis, ſenſatio caloris in regione laryngis; attamen vix erant tumefactæ tonſillæ: rubicundius tantum apparebat velum palati cum uvula. Diæta fuit tenuis, ptiſana nitrata cum hordeo, gargariſmata ex oxymelle & aceto; 24, deglutitio facilior, nulla ſenſatio caloris; 25, ſanus erat: ſumpſit purgationem ex mannæ unciis tribus, qua 4 vicibus fuit purgatus; die ſequenti, ſanus abiit.

Pleuritis. Obſerv. 35.

Die 15 auguſti, anno 1787, villicus in prædio meo, nominatus Rougemont, poſt refrigerationem calente corpore, horripilatione corripitur, cui ſucceſſit febris, dolor capitis, proſtratio virium; pulſus erat durus, celer, dolor excrucians, præſertim tempore inſpirationis, infra mammam ſiniſtram; die 2 febris validior, tuſſis, ſputa cruenta, reſpiratio difficilior. Suaſi venæ ſectionem: pertinaciter recuſavit ægrotans, dicens jam tali morbo ſanatum fuiſſe, omiſſa emiſſione ſanguinis; die 4, ſputa ſanguinea, copioſiora, delirium nocte; 5, hæmorrhagia narium, ſputa minus tincta; 6, ſudor nocturnus, ſputa jam ſpiſſa,

vix ſanguinea ; 7 , iterum ſudor nocte cum pacato ſomno ; 8 , diarrhœa ; 9 , vigebat appetitus, nullus dolor , vix tuſſis ; 10 , ambulavit in horto ; jam 12 , laborabat , homo quinquagenarius , temperamenti bilioſo-ſanguinei. Nullum verum medicamentum ſumpſit toto morbi decurſu : copioſe bibebat ptiſanam hordei cum melle. 20 fere ſimiles obſervationes invenio in Adverſariis pleuritidum aut peripneumoniarum , ſponte omiſſa venæ ſectione ſanatarum ; ſed in pleriſque hæmorrhagia narium notata 3 aut 4 die.

Pleuritis. Obſerv. 36.

Die 19 januarii 1780 , homo 20 annorum natus , laboravit pleuritide. Pulſus erat durus , dolor pectoris , lateris ſiniſtri , difficultas reſpirandi , tuſſis , ſputa ſpiſſa & ſanguinolenta , lingua alba , alvus ſtrictus ; 23 , pulſus frequentior, ſed minus] durus , dolor pectoris & capitis , ſputa copioſa & ſanguinea ; 24 , lingua minus lutea , pulſus magis evolutus , etiamſi durus , ſputa alba , ſpiſſa , nullo modo ſanguinolenta ; 25 , pulſus mollis , expectoratio facilis , vix dolor inſpirando. Sudavit copioſe de nocte ; ſubſecuta eſt hæmorrhagia narium moderata ; a 26 ad 31 , ſemper in melius erat ; ſanus fuit dimiſſus prima februarii. In noſocomio Grodnenſi.

N. B. Criſis peracta eſt ſputis & hæmorrhagia 7 die ; nam petiit noſocomium 3 die morbi. Diæta fuit tenuis ; ptiſana hordei nitrata & mellita, clyſmata emollientia, pediluvia, venæ ſectio una vice in noſocomio 20 januarii, altera vice ante introitum.

Peripneumonia. Obſerv. 37.

Vir quadraginta annorum natus, athleticæ conſtitutionis, temperamenti ſanguinei, olim febribus intermittentibus obnoxius, ſuper Arar conditione nauta, ideo omnibus aëris injuriis ſubmiſſus, febre acuta corripitur. Chirurgus ſecat venam, emeticum præſcribit ; æger, poſt venæ ſectionem, terrore corripitur, propter filium juſtitiæ ſervis ſubmittendum. 3 die, vidi ægrum : cutis ſub digito calorem mordacem exhibuit ; pulſus celer, plenus, intermittens apparuit ; oculi intenti, reſpiratio difficilis, venter inflatus, elevatus ; triſtis erat æger ; ſequenti nocte, omnia exaſperantur ; urinæ turbidæ, ſaturati coloris ; quarta die, reſpiratio difficilis, cum ſingultu creberrimo : æger nec audire nec loqui poterat ; hypochondria tumida, poſt octo pulſationes æquales intermittens erat pulſus ; ſputa nigra erant ; tribus diebus feſtucas collegit, ſemperque tegumenta trahebat ; veſicatoriis applicatis,

applicatis, omnia in pejus evaſerunt: purgantia ſymptomata exaſperarunt. Diebus ſequentibus, omnia in pejus ruerunt. Poſt longam agoniam obiit. Lugduni 1771.

Pleuritis. Obſerv. 38.

1780 januarii 10 die, Grodnæ, homo, 44 annorum natus, laborabat pleuritide. Pulſus erat durus & frequens, dolor pectoris maximus; tuſſis, ſed propter dolorem vix ſputa ſanguinolenta potuit exſpuere; lingua erat alba, alvus ſtrictus, ſitis maxima, debilitas virium; 11 die, inquietudines, laxitas alvi; 13, pulſus mollis, lingua humectata, alvus laxus, ſputa ſpiſſa, glutinoſa; expectoratio facilior, reſpiratio frequens; 14 die, ſudor copioſus, dolor pectoris diminutus, pulſus mollior, reſpiratio faciliot; a 15 ad 21, quaque die, expectoratio bona, nullo exiſtente dolore pectoris; 25, ſanus dimiſſus. Diæta fuit tenuis, ptiſana nitrata hordei. 10, venæ ſectio. Jam 6 januarii, ſecundo die morbi, fuerat peracta una venæ ſectio. Ante introitum in noſocomium, pediluvia & clyſmata aliquoties fuerunt adminiſtrata; 12, mel commune præſcripſimus in ptiſana.

Pleuritis. Obſerv. 39.

Infans, ſex annorum natus, febre corripitur.

Pulſus celer, frequentiſſimus, pulſationes vix numerandæ; adeſt difficultas reſpirandi cum tuſſi & dolore lateris; inquietudo, anxietas vexant ægrum; delirium apparet ſub æſtu. Mater calefacientia dat, quæ ſudores eliciunt; tuſſiebat infans a quindecim diebus; videtur ſpecies pleuritidis. 3 die, dolor lateris non ſentitur; ſudor pinguis manat; pulſus evolutus, minus tamen celer; infans quietus apparet. 5 die, ſurgit iterum febris cum delirio; ſputa erant ſtriis ſanguinolentis tincta. Præſcripſi tria levia purgantia alternis diebus, diætam, potum cum mucoſis; ceſſavit febris octava die; a tertia die, ſputa erant craſſa, cocta: nunc bene valet. Obſervavi, 3 die, dolorem latentem ad claviculam, & omoplatam aſcendiſſe: quod bonum ſignum ex Trillero. Grodnæ, 1779.

Peripneumonia. Obſerv. 40.

In noſocomio Lugdunenſi, anno 1785, februario, Margarita, 30 annorum nata, femina robuſta, peripneumonia laboravit: erat oppreſſio, tuſſis, febris vehemens, ſputa ſanguinea. Fruſtra bis venæ ſectio fuit præſcripta; 3 die, delirium, orthopnæa, facies cæruleſcens, tumefactio hypochondriorum. Fruſtra veſicatoria ſupra pectus, fruſtra hirudines: mortua 5 die.

Apertura cadaveris, pulmones lividi, nigreſcentes, ingurgitati, denſi; in lobo dextro, qui ſedes erat doloris, plurimi abſceſſus, ſolitarii, quorum major diametri duorum pollicum; glandulæ bronchiales duræ erant & tumidæ; auricula dextra cordis dilatata, mole fere æquabat ventriculum anteriorem dextrum, nec ejuſdem minor erat parietum craſſitudo; in iſta auricula concretio erat polypoſa textus denſi; illius figura quadrangularis cum plurimis appendicibus quæ adhærebant in inteſtitiis columnarum auriculæ; contracta erat auricula ſiniſtra, nec grumum ſanguinis continebat; arteria pulmonalis ampliata valde apparuit, præſertim illius ramus ſiniſter; viſcera abdominis ſana erant præter jecur, cujus pars poſterior molior textu celluloſo adhærebat diaphragmati.

Empieuma fluctuans. Obſerv. 41.

Anno 1788, menſe novembris, in noſocomio Lugdunenſi, miles, 26 annorum natus, Carolus Giraudier, anno præcedenti, lue venerea laboravit, qua frictionibus ſanatus. Sed herpetes duo poſt ſalivationem pertinaciter manſerunt; vix elapſo menſe a ſalivatione, ſenſit dolorem in regione epigaſtrica cum ſenſu ponderis, debili appetitu; ſequenti menſe, febris lenta veſpertina apparuit, ſubſequentibus ſudoribus noc-

turnis ; tuſſis ſicca , ſputa poſtea purulenta ; menſe tertio , hæmopthyſis : una nocte , magnam quantitatem ſanguinis tuſſiendo exſcreavit ; quarto menſe , vehementi pleurodyne fuit excruciatus , quæ profligata veſicatorio ſuper pectus appoſito. Ab iſto tempore incepit fluctuatio iſta in latere dextro pectoris , quæ a ſex menſibus paulatim fuit adaucta. Nunc , quando ſedens ægrotans concutit pectus , impetu volutando illud , audiunt diſtincte aſtantes ſonum ſicut ex utriculo aqua ſemipleno. Quando dormit , cubat ſuper latus ſiniſtrum ; ſæpe diarrhœa adeſt ; aliquoties magna ſupervenit expectoratio mucoſæ ſpumoſæ materiei ; homo macilentus ; poſt tres ſeptimanas dimiſſionem petiit. Quaque viſitatione , ſingularem hunc ſonum audivimus : ipſemet ambulando fluctuationem ſentit cum ſenſu magni ponderis.

Abſceſſus pulmonum a peripneumonia. Obſerv. 42.

Italus , 36 annorum natus , hæmoptyſi obnoxius , laborat febre cum tuſſi , reſpiratione difficili , dolore pectoris , tuſſi , &c. Poſt 14 dies , vomit magno impetu tres cyathos puris : inde augetur anxietas , difficultas reſpirandi , cum tuſſi vehementi ; febris adeſt , facies pallida , luteſcens , depreſſa ; ægrotans quaſi moriens.

Attamen diæta tenuiſſima ex farinaceis, balſamicis minima doſi præſcriptis : ſenſim minuuntur ſputa, pacaturque tuſſis ; ſurgit 17 die. Ab hoc tempore, ſanus vixit & ſat pinguis ; tertio menſe, maritatus prolem obtinuit, vix elapſo integro anno.

Peripneumonia, ſuppuratio pulmonum. Obſerv. 43.

Die 17 februarii 1780, juvenis, 20 annorum natus, nomine Dominicus Kamienski, ex militari collegio tranſlatus fuit in noſocomium, laborans, a quatuor diebus, inflammatione pectoris. Omiſſa fuit venæ ſectio his tribus diebus. Tota nocte 13 ſaltans, bibit aquam, ſudore madidus. Inde cubiculum, ſudans, calefactus, pedetentim male veſtitus petierat. Temperamentum ſiccum, ſanguineum, melancholicum, proſtratio magna virium, pulſus celer, frequens, durus, alvus laxus, diarrhœa ; appetitus nullus, ſitis, deſiderium ingens acidorum ; lingua rubra, ſicca, tuſſis, reſpiratio anheloſa, ſputa ſanguinea, dolor pectoris valde extenſus ; in utroque latere, circa ſternum, calor cutis urens, acer, ſitis magna, debilitas capitis. Præſcripſimus decoctum pectorale cum nitro, ſeu *orgeat* cum ſucco limonum, & nitro, venæ ſectionem brachii ; pro compeſcenda diarrhœa, aliquot grana rhabarbari. 19,

lingua albeſcens, tuſſis de nocte frequens; pulſus durus, ſputa alba, ſpiſſa, cum difficultate excreta, dolor ingens pectoris, comburens, dolor capitis, ſudores recurrentes, fœtidi, phantaſia de nocte, proſtratio virium, vomitus vermis. Veſicatoria applicavimus ſuper pectus, bolos camphoræ præſcripſimus. 20 die, pulſus durus, celer, tuſſis rara, delirium, convulſiones brachiorum. Excrementa liquida involuntarie amittebat æger; ſecunda venæ ſectio modica præſcripta. A 20 ad 26, in eodem ſtatu, ſed lingua ſicca, tumida ſicut corium induratum; ſecundus ſupervenit vomitus vermis, diarrhœa, rubores faciei recurrentes, ſudores nocturni; urinæ deponunt ſedimentum copioſum album. A 28 februarii ad 10 martii, pulſus parvus, celerrimus, cutis ſicca, etiamſi ſint frequentes ſudores; lingua ſicca, dolores atroces pectoris, nullo narcotico ſedandi, diarrhœa. Convulſiones a 10 ad 23, qua mortuus eſt. Jacebat in lecto debiliſſimus, clamans propter dolores pectoris; pulſus celerrimus, parvus; inſcius excrementa mittens; rubores faciei perpetui. Poſt venæ ſectionem ſanguis vere exhibuit cruſtam inflammatoriam. Fœtor erat ingens excrementorum, & ſudores a primis diebus, proſtratio virium ſumma, tanta ut, a prima die introitus in noſocomium, vix potuit una vice ſe ſuſti-

nere, ſedens in lecto : cito macies ſtupenda ſupervenit. Unde pronuntiavi alumnis ſuppurationem 5 die morbi.

Apertura cadaveris invenimus pus corrodens inter pleuram & pulmones. Pulmones erant duri, nigri, ponderoſi, ſolidi : ſecti undique, guttatim pus fundebant. Inculpata erant alia viſcera. Corroſa erat pleura in latere ſiniſtro. Mortuus 40 die a principio morbi.

Pleuritis ſpuria. Obſerv. 44.

Die 12 aprilis 1777, Adamus Dzicdeychowski, juvenis, 20 annorum natus, pleuritide ſpuria laborabat in noſocomio. Pulſus durus & frequens, lingua rubra, humectata, tuſſis rara, ſputa ſpiſſa non ſanguinolenta, dolor lateris, alvus laxus. Præſcripſimus ptiſanam nitratam, diætam tenuem, venæ ſectionem brachii. Erat ſanguis inflammatorius : miniſtrata pediluvia, clyſmata emollientia. 14, lingua rubra, humectata, pulſus fere naturalis, alvus laxus, dolor pectoris nullus. Die 17, ſanus abiit. Pulſus erat vere febrilis, tuſſis magna; attamen vix poteſt dici pleuritis.

Pleuritis. Obſerv. 45.

Paulus Bidnarczuk, 20 annorum natus, ſimili morbo laboravit, die 9 aprilis. Poſt venæ ſectio-

nem jugulata fuit febris 10 die; 12, ſanus abiit; attamen durus erat pulſus & frequens, calor cutis urens, tuſſis, dolor pectoris, ſputa ſpiſſa non ſanguinea, lingua alba.

Pleuritis. Obſerv. 46.

Joſephus Hainowuz, juvenis 18 annorum; die 9 maii 1778, venit in noſocomium. Febre pleuritica laborabat. Pulſus erat frequens, renitens, proſtratio virium, lingua rubra, humectata, reſpiratio difficilis, oppreſſio magna pectoris, ſputa ſanguinea, nullus dolor capitis, appetitus proſtratio, alvus laxus. Decoctum pectorale cum nitro ex tuſſilagine; venæ ſectio brachii. 10 maii, melius ſe habebat. 11, febris minuta, expectoratio ſputorum alborum, ſpiſſorum, facilis, vires recuperatæ. 12, vix febris, appetitus vigebat. 13, vires majores, febris nulla, appetitus evidens, expectoratio copioſa poſt ſudorem nocturnum. Sic melius ſe habuit uſque ad 15, quo ſanus abiit.

Nonnullos alios pleuriticos habuimus in adminiſtratione regia Grodnenſi 1778, ſanatos, criſibus peractis ſputis & ſudoribus.

Pleurites. Obſerv. 47.

Vere iſto, nonnulli a primis diebus martii 1776, pleuritide ſpuria fuerunt afflicti; febres tertianæ

rariores fuerunt quam anno elapſo ; jam nonnullæ febres amphemerinæ.

Pleuritis. Obſerv. 48.

Juvenis, 27 annorum natus, febre laborans, introductus in noſocomium 24 februarii 1779. Dolor capitis recurrens, pulſus plenus, frequens, lingua alba : fuerant ſputa ſanguinea, ſed abſque difficultate reſpirationis, & nullo dolore lateris. 26, lingua alba, appetitus proſtratus, tuſſis magna, frequens, ſputa rara, difficilius exſcreata, alvus laxus, dolor in ſiniſtro latere quando tuſſit. 27, lingua vix albicans, pulſus fere naturalis, dolor capitis nullus ; nondum ceſſavit tuſſis, etſi minus doloroſa, & minus frequens. 1 martii, appetitus vigebat, nulla febris, vix tuſſis per intervalla ; ſputa ſunt frequentia, alba, ponderoſa. Diæta fuit tenuis ; 24, venæ ſectio brachii ; ſanguis cruſtam inflammatoriam exhibens ; decoctum hordei nitratum ; 25, vomitus ex ipecacuanhæ granis decem, ſed abſque effectu, niſi quod die ſequenti laxior alvus. Attamen melius ſe habuit poſt vomitum. 2 martii, ſanus dimiſſus ex noſocomio Grodnenſi.

Pleuritis. Obſerv. 49.

1777, martii die 7, Grodnæ, gallus quidam,

nomine Gallois, annorum triginta natus, temperamenti ſicci & cholerici, poſt calorem ſuſceptum a fornace, ſeſe expoſuit frigidæ auræ. Die ſequenti dominica, laſſitudines ſpontaneas cum cephalalgia expertus eſt; veſperi, dolor pectoris ſupervenit ex latere ſiniſtro. Aucta cephalalgia, venæ ſectio fuit peracta, ſed minima quantitas ſanguinis educitur. Die lunæ, vidi illum: calor cutis, pulſus acceleratus, dolor pectoris, tuſſis, reſpirandi difficultas; facies mutata pleuritidem deſignavit. Jam ſanguis exhibebat cruſtam coriaceam albo-viridem. Iterum ut vena ſecaretur juſſi. Poſt hanc peractam, dolor pectoris minor & cephalalgia diminuta: diætam tenuem, ptiſanam ex oryza cum melle edulcoratam præſcripſi. Die martis, ſat bene ſe habebat; ſputa erant cruenta, ſed levis dolor, tuſſis frequens, pulſus item, parum durus. Die mercurii, recrudeſcebat dolor lateris; ſputa magis cruenta, reſpiratio citatior. Iterum venæ ſectionem præſcripſi, lenimenta cum oleo camphoræ applicanda, inde dolor levis fuit. Die jovis, ſicut in primis. Enemata emollientia præſcripſi, a quibus ſublevatus fuit ægrotans. Die veneris, ſputa cocta fuerunt obſervata; nullus erat capitis dolor, reſpiratio libera. Sic die ſequenti: ſed die Dominica, nox inquieta; dolor lateris iterum vexavit ægrum, cum reſpi-

ratione difficili. Die lunæ, alvus abſque enemate fuit apertus; fæces luteæ liquidæ apparuerunt, cum levamine; ſputa pauca ſunt. Die martis, melius; lingua humida a die lunæ eſſe incepit: nunc ſanus. Adhibito vino, tuſſi fuit vexatus per tres dies; ſed ſuppreſſo, convaluit.

Nephritis ſeu inflammatio renum. Obſerv. 50.

Anno 1767, decima auguſti, homo quadragenarius, temperamenti ſanguinei, baccho & veneri nimium ſubditus, horripilationem ſentit. Sequitur febris cum pulſu pleno, ſubduro, accelerato; vehementem ſentit dolorem in regione renis ſiniſtri; adeſt calor cutis acer, teſticulus ſiniſter retractus. Die ſecunda, vix urinæ fluunt, aut parca quantitate; ventris adeſt intumeſcentia; dolor renis adaugetur; cutis ſiccior; non dormit nocte. Die quarta, minor quantitas urinarum. Die quinta, in eodem ſtatu; non dormiit nocte; leve delirium. Die ſexta, omnia ſymptomata augentur. Die ſeptima, dolor renis atrocior, cui ſupervenit mixtio magnæ quantitatis ſanguinis atri; poſt hanc evacuationem, cutis fit mollis, unctuoſa; ſudores paulo poſt manant copioſi; dolor vix obtuſus in regione renis ſentitur. Secunda & tertia die, larga miſſio ſanguinis fuit peracta; ptiſanam mucilaginoſam radicis althææ cum

nitro bibebat ægrotans; toto morbi decurſu, fomentationes, die ac nocte, ex decocto foliorum malvæ fuerunt peractæ; plenarie ſanus erat 14 die. Hoc anno 1790, ſimilem caſum habui in vicino quinquagenario. 5 morbi die, omiſſa fuerat venæ ſectio; magna erat intumeſcentia abdominis, dolores acerrimi in lumbis, febris remittens, delirium nocte; 10, ſudavit nocte; mane 11, emiſſa urina nigra tanta quantitate, ut duo nocturna vaſa replevit. Diæta fuit tenuis, enemata ex decocto radicis althææ; fomentationes malvæ decocto, ptiſana ex infuſione florum papaveris rhœadis cum melle. Sanum vidi 15 die.

Iſchuria. Obſerv. 51.

Robert, fabricæ rhedarum Grodnæ director, juvenis, triginta annorum natus, nimium per octo dies nocte dieque laborat. Primis laboris diebus, febre intermittente vexatur, quieſcit tantum durante paroxyſmo; vix ab illo liberatus, laborat; propter nimiam debilitatem plurimum vini bibit. Poſt duodecim dies, iſchuria vexatur; dolores atroces experitur cum mingendi deſiderio perpetuo. Diætam tenuem, enemata emollientia, quietem in lecto, ptiſanam hordeaceam præſcribo; ut hirudines

applicentur in margine ani juſſi; erant inflatæ hæmorrhoides. Vix elapſis hirudinibus, minxit copioſe; urinæ ſedimentum album per aliquot dies dereliquerunt. Paroxyſmo pacato, tribus vicibus potiones catharticas præſcripſi, quibus multum fuit purgatus. Nunc ſanus eſt. 1778.

Stranguria. Obſerv. 52.

Nobilis qui dies cum venere vixit, aliquoties gonorrhœa afflictus. Nunc a duobus annis urinas mingit albas quæ deponunt materiam albam, quaſi purulentam; modo facillime mittit urinas, modo difficilius. Nullum ſentit dolorem in regione renum. Sæpe adeſt apparatus hæmorrhoidalis; ſed quod ſingulare eſt & notandum, ſudores pruriginoſi & copioſi in plicatura cruris ſiniſtri a plurimis annis experitur. Vere ſublevatus uſu pulveris & decocti arbutiæ uvæ urſi foliorum. Hoc anno 1779, initio maii mortuus eſt.

Stranguria. Obſerv. 53.

In retentionibus urinæ ſtranguria ſæpe catheteriſmus eſt impoſſibilis; tunc inflammatio colli veſicæ accuſanda eſt, aut ſpaſmus urethræ. In hoc caſu, tribus vicibus, me jubente, venæ ſectio ad animi deliquium præſcripta, tantam relaxionem procuravit, ut mixtio na-

turalis ſupervenerit. Unus ex tribus laborabat vera inflammatione gonorrhœa ſuppreſſa excitata ; duo alii hypochondriaci. O utinam pater meus tali methodo fuiſſet tractatus ! Garrulus chirurgus cathetere ſuppurationem incurabilem excitavit, qua mortuus eſt. Ex relatione ſymptomatum vera inflammatione bulbi urethræ laborabat.

Febris miliaris infantis. Obſerv. 54.

Mulier febre catarrhali laborans, ubera puellulæ concedit; inde infans febre corripitur. Erant conſtipatio, clamores, tenſio abdominis, pulſus crebertimus, plenus : alvo enemate evacuato, ceſſavit febris ; ſed octo diebus languit infans; ante morbum erat pinguis, cellerrime molles fuerunt factæ carnes ; eruptio poſt paroxyſmum febris apparuit ; papulæ rubræ & maculæ fuerunt obſervatæ; ſed vix viginti-quatuor horas durarunt ; an rubeola ? abſque remediis fuit ſanata. Certe non rubeola : ſequenti anno, rubeola laboravit.

Rubeola. Obſerv. 55.

Principiſſæ Ruſſiæ, nomine Daſzkow filius, annorum duodecim natus, triſtis, debilis, & a quatuor diebus nihil appetens, tandem febre

corripitur. Poſt febrem, eruptionem morbiloſam patitur: dolor in dorſo & capite, pulſus celer, leve delirium eruptionis tempore, oculi clauſi cum ſebo manante, inflatio vultus. Diæta tenui, quiete, fuit curatus. Poſt deſſicationem purgatus fuit una tantum vice; nulla vera fuit convaleſcentia; robuſtus erat & bene appetens primis diebus a deſſicatione puſtularum. Grodnæ, 1777, menſe octobris.

Rubeola. Obſerv. 56.

Infans, ſex annorum nata, languebat a plurimis diebus; triſtis erat, alio tempore hilaris; appetitus proſtratus, ſomnolentia; fuit paroxyſmus febrilis abſque eruptione ſubſequente; ſat bene valuit per quatuor dies, etſi ſomnolenta, triſtis, manſerit cum oculorum zona in palpebris cærulea, facie pallida. Tandem, febre ſecunda vice corripitur, eruptione miliari cum maculis rubris terminata, oculi glutinoſi, ſomnolentia; in uno latere copioſiores apparent maculæ. Rubeolæ regnabant in urbe Grodnæ. Die prima eruptionis, delirium leve ſupervenit, diarrhœa terminatum; ſequente die, ceſſavit febris; tertia, fuit ſana, nullo adhibito remedio: debilis fuit tantum prima die convaleſcentiæ.

Rubeola. Obſerv. 57.

Infans mea, duorum annorum nata, hilaris valde, fit cito triſtis; adeſt appetitus defectus, ſomnolentia, ſitis; durat hic ſtatus per quatuor dies; die quinta, febris adeſt cum ſomnolentia; facies tumeſcit, tumefacta paululum, oculi glutinati, palpebræ humidæ; tuſſis adeſt. Plorat languens infans; fit eruptio rubra; tunc febris augetur; a die ſexta ſomnolentia durat, ſitis; alvus ſæpe evacuatur; dejectiones ſunt aquoſæ cum glutine tenaci, quaſi gelatinæ, urinæ copioſæ; ſæpe bibit; nihil comedit; lectum petit; debilis eſt valde; vix caput ſuſtinere poteſt; per quatuor dies adhuc valde languebat, ſæpe dormiens, nihil comedens, aqua panacea contenta; nullum medicamentum ſumpſit. Tuſſis vexabat illam cum reſpirandi difficultate. Ægrotavit viginti diebus: nunc ſana & hilaris; poſt morbum vix ambulare poterat. Grodnæ, 1776.

Rubeola morbilli. Obſerv. 58.

Puella, 20 annorum nata, nomine Andrzcykowiczoivna laboravit morbillis; febris valida ante eruptionem; tribus diebus antea male ſe habebat; appetitus debilis, laſſitudines, dolores capitis; poſt eruptionem vix febris. 4 die, nulla febris; tuſſis

tuſſis levis : diæta præſcripta tenuis , ptiſana hordei ; nullum ſumpſit medicamentum. Grodnæ.

Rubeola. Obſerv. 59.

Puer , quatuor annorum natus , Andrſcykowiez , laborat morbillis. Eruptio bona in brachiis & cruribus , ſed vix notabilis in facie & pectore ; debilis tuſſis , oculi glutinoſi , appetitus nullus , vix ſitis , pulſus frequens : octava die , ſanus. Diæta tenuis , ptiſana aqua cum melle ; nullum medicamentum deglutiit. Grodnæ.

Variola. Obſerv. 60.

Nobilis Polonus , Dombrouski , 14 annorum natus , decima novembris 1777, febre levi, cum dolore capitis, dorſi , laborabat : incepit refrigeratione. Undecima , maculæ rubræ , pulicares , paucæ apparuerunt in facie. Inde duodecima , in pectore , brachiis , femoribus ; tunc ceſſavit febris , puſtulæ varioloſæ proeminentes. Decima tertia , nullus dolor capitis ; lingua erat albicans , vires vegetæ ; vigebat appetitus. Decima quarta , puſtulæ , quæ erant diſcretæ , ſat remotæ , ſuppurationem oſtendebant ; alvus erat laxus , facies nullo modo inflata. Vix triginta puſtulæ in facie , ſed magnæ. Undecima die a morbi initio , ſiccæ erant puſtulæ. Decima quarta , omnes ceciderunt ; nullum

ſumpſit medicamentum ; lectum de die occupavit tantum diebus eruptionis ; ſed juxta uſum erat tectus. Grodnæ.

Variola convulſiva. Obſerv. 61.

Ante eruptionem variolarum duos infantes delirio vehementi correptos vidi. Unus ex his maculas nigras plurimas in pectore & abdomine offerebat : mortuus poſt ſuppurationem : Maculæ depreſſæ erant. Mortuus eſt alter , 15 annorum natus , (non vidi) variolis cum convulſionibus correptus. Grodnæ.

Variola protacta. Obſerv. 62.

Olim infantem variolis detentum tractavi. Confluentes erant cum anomalis ſymptomatibus, præſertim virium debilitate , maculis miliaribus inter puſtulas ; bene reminiſcor ab eruptione ad caſum cruſtarum quadriginta dies effluxiſſe : nulla tamen exhibui vera remedia ; natura ſicut plurimi alii fuit ſanatus.

Variola. Obſerv. 63.

Filia natu major D. Becu , quinque annorum nata , vivens cum ſorore , variolis poſt ſanationem ſororis laboravit. Pro præparatione dederunt emeticum ex tartaro emetico ; variolis

confluentibus laboravit. Febris fuit vehemens, cum remiſſionibus. 4 die, eruptio incepit à capite, facie. 7, jam puſtulæ formatæ. 11, deſſicabantur in facie: propter pruritum intolerabilem cruſtas arripiebat ad effuſionem ſanguinis. 15, ſana jam ambulabat. Appetitus 13 viguit: quod notandum, vix debilis experta eſt duos abſceſſus qui fundunt magnam quantitatem puris. Frater vix biennis, eodem tempore variolis ægrotavit; poſt eruptionem in facie vix per tres dies apparuerunt puſtulæ in corpore. Vere duplex fuit eruptio, cum duplici febre; jam ſiccatæ erant cruſtæ faciei, quando in corpore vix elevatæ erant puſtulæ. Iſtæ depreſſæ ſummitate nigra; tempore primæ eruptionis, colicæ ſpaſmodicæ vexarunt infantem. 11 die, nocte, frigidus fuit ſine ſenſu; poſt evacuationem alvi ſupervenit valida febris. 12, melius ſe habuit, ſed cruſtæ corporis & femorum ſemper depreſſæ. A 12 ad 15, melius ſe habuit, cum appetitu. Veſicatoria, 11 die, applicata, evidenter fuerunt utilia. Grodnæ.

Variola. Obſerv. 64.

Eodem tempore, filia ſcriptoris computorum, delicatula, variolis 12 die mortua eſt. Fuit tribus vicibus retroceſſus obſervatus; debilis erat, macra ab uno anno, 4 annorum nata; fœtorem

ſpargebat intolerabilem. Nigræ erant areolæ puſtularum.

Variola. Obſerv. 65.

Judæus ſeptem habuit infantes, ſimul variolis confluentibus detentos: nullus periit; nullus medicamenta ſumpſit. Eodem tempore, mulier illius puerpera graviter febre lactea maligna decumbebat. Eodem etiam tempore, incendium domus expertus eſt. En exemplum notabile calamitatis fortuitæ humanæ. Grodnæ.

Variola. Obſerv. 66.

Quinque vidi infantes variolis laborantes, ſanos factos, dirigente natura. Bibebant aquam pane cocto temperatam. Grodnæ, 1777, maio.

Hoc anno, aliquot inoculationes variolarum tentavi cum fauſto eventu. Sani erant infantes; nullam admiſi præparationem ante inſitionem; nec purgationem, nec alia remedia dedi; lenis in omnibus fuit febris; omnes diſcretas variolas obtinuerunt; nec poſt caſum cruſtarum catharctica præſcripſi, vigente appetitu. In uno brachio tria aut quatuor vulnuſcula peragebam, elevata epidermide, vix manabat una aut altera guttula ſanguinis: ſæviente febre, diæta fuit tenuis; hac pacata, hi infantes ſub dio ludebant

tota die. Hac methodo, Lugduni, duobus elapſis præcedentibus annis, decem tractavi a me inoculatos pueros aut puellas; omnes ſani evaſerunt, & ſani adhuc vivunt, abſque ſequela. Duarum primarum mater, ridendo mihi his diebus dicebat: purgatio poſt inoculationem eſt neceſſaria; quandonam vis meis puellis unam aut alteram præſcribere?

Variola. Obſerv. 67.

Fine decembris 1777, durant adhuc variolæ, nulli ætati parcentes. Vidi hoc morbo afflictos a primis menſibus nativitatis uſque ad vigeſimum quintum annum; quinque habuimus in noſocomio: ſani omnes evaſerunt; tres a duodecimo ad quatuordecimum annum; duos ad 20mum. Incepit epidemia auguſto. Diæta tenuis, ptiſanæ hordei, ſcorzoneræ radicis.

Variola. Obſerv. 68.

Durant adhuc variolæ, 12 januarii 1778. Quatuor vidi morientes a 10 die ad 20 invaſionis; puſtulæ confluentes depreſſæ, non inflatæ, debilitas maxima, ſtupor, ſomnus, coma, nunciant in hoc caſu mortem.

Variolà. Obſerv. 69.

Variolæ inceperunt in urbe Grodnenſi. Benignæ nec non confluentes obſervantur. Plurimi infantes judæorum mortui, pauci chriſtianorum; pertinaciter Judæi ſequuntur methodum calidam; iugurgitant ægrotantes vino, aromatibus; nimium calefaciunt cubicula; nimium tegunt ægrotos. Anno 1779, martio.

Variola. Obſerv. 70.

Grodnæ, initio januarii 1781, adhuc vigebant nonnullæ variolæ. Tres infantes confluentibus mortui ſunt in una domo: germanæ illorum matres, præjudiciis obcæcatæ, calefaciente methodo illos tractarunt. Decem curavimus, quorum quatuor confluentibus afflicti: omnes ſani methodo ſydenhamiana evaſerunt.

Variola. Obſerv. 71.

Vilnæ, anno 1782, benignæ regnant variolæ ab initio decembris ad finem februarii. Decem tractavi: in diſcretis nullum medicamentum præſcripſi; pauca in confluentibus, ſirupum corticis peruviani, quotieſcumque proſtratio virium aut nimia febris ſecundaria. In initio veſicatorium delirium diſſipavit, eruptionemque pro-

curavit; nonnulli infantes mortui propter nimium calorem hypocauſtorum; duos ſervavi procurando frigidiuſculum aërem: jam erant oppreſſio pectoris, delirium, anxietates, calor cutis magnus.

Januario, anno 1783, Vilnæ, tres infantes mei variolis laborarunt, me abſente, puella 8 annorum nata, filius vix triennis, alter ſex menſium natus: in tribus variolæ mixtæ nec diſcretæ, puræ nec confluentes. Abſens eram, mater, meo conſilio, ſola curationem direxit: aërem in cubiculis temperatum ſervavit; pluribus vicibus infantes ſtrata derelinquebant; ptiſanam mucilaginoſam bibebant. Hac methodo tres ſani evaſerunt, nec cicatricula in facie obſervata. Toto hoc menſe, rigidiſſimum fuit frigus.

Pemphigus. Obſerv. 72.

Lugduni, 1788, die 29 novembris, Joanna Magat, ſutoris uxor, 30 annorum nata, phlyctænas numeroſas aggregatas in dorſo, ventre, exhibet. Veſiculæ, aliæ latitudinis ſex linearum, aliæ minores, ſero luteſcente turgidæ, circonferentia ruberrima cum pruritu. Ante eruptionem, febris ſat vehemens; ante duos annos mammarum inflammatione laboravit, ſubſequente abſceſſu ſponte ſanato. Anno ſequenti, febre quartana anno integro laboravit, quæ, nullo

remedio ſumpto, vernali tempore ceſſavit. Phlyctænæ uno menſe curſum adimplerunt: ptiſanam althææ præſcripſimus. Sana dimiſſa fine decembris ex noſocomio Lugdunenſi.

Febres miliares. Obſerv. 73.

Anno 1783, æſtate, calor vehemens ſæviit Lugduni: hoc tempore, plurimi febribus miliaribus & ſcarlatinis fuerunt afflicti. Vidi ſex tales ægrotantes, duas puellas, quatuor juvenes: eruptio, 2 die morbi, poſt febrem validam; omnes, 7 die, ſani. Nullum remedium præſcripſi; bibebant ægrotantes ptiſanam hordei cum ſucco citrorum temperatam. Ante eruptionem vehemens fuit dolor capitis; poſt, ſingularis cutis pruritus. Sed, hoc anno 1790, auguſto, regnavit altera ſpecies febris miliaris complicatæ cum angina catarrhali: cujus hic duo affero exempla. Dicta Archinard puella, trium annorum nata, robuſta, ſat pinguis, ſanguinea, febre miliari corripitur menſe auguſti 10, ſæviente maximo calore aëris. Erant etiam ſigna anginæ, ſeu deglutitio difficilis cum dolore, vox mutata, vix audienda, tumefactio magna linguæ, tonſillarum, uvulæ; paſſim fluida, deglutitionis tempore, regurgitabant per orificia narium; febris valida, præſertim veſperi; lingua quaſi cruſta alba tota tecta, cutis

ruberrima, præſertim in pectore, dorſo, brachiis, femoribus, tibiis, aſpera, papulis minimis aggregatis, confluentibus, rubris; evidens tumefactio, præſertim in dorſo, brachiis; dolores vehementes circa articulationes manuum & pedum; cephalæa magna, lene delirium 6 die morbi, nocte: eruptio duravit uſque ad quintum diem cum ſignis anginæ; paſſim ſpaſmi, dyſpnœa, tuſſis, vexarunt ægram a 2 ad 4 diem. 6 die morbi, facilior deglutitio, minuta linguæ tumefactio. 8 die, epidermis ſquamatim ſeparabatur; cadebat circa collum: at manus tumefactæ adhuc difficile clauduntur. Auxilia: diæta tenuiſſima, ptiſana hordei nitrata cum melle, enemata aquæ cum malva. 5 die, utilis fuit levis ſinapiſmus ſupra plantam pedum. 6 die, evacuationes ex alvo luteæ. A 5 ad 8, ſputa glutinoſa, copioſa. Eodem tempore, ſeu 1 auguſti, infans meus Staniſlaus, novennis, laboravit angina catarrhali cum febre vehementi, dolore capitis, proſtratione virium, tuſſi: lingua erat glabra, ruberrima, calor cutis urens, pulſus celerrimus, ſubdurus. Die 2, eruptio miliaris, ſeu papulæ minimæ rubræ ſupra pectus, crura, brachia; juxta facies colli, papulæ denſæ, albæ, aggregatæ, diaphanæ, febris evidentes exacerbationes veſperi, dolor vehemens in articulationibus, glandulæ colli ingurgitatæ, dolentes. Una ſeptimana

ante morbum, triſtis erat, cum debili appetitu. Jam 6 die, deglutitio facilis, vox naturalis. A 7 ad 10, epidermis ſquamatim cadebat. A 1 die morbi ad 6, diæta tenuiſſima, ſeu ptiſana hordei cum melle : nullum ſumpſit medicamentum.

COLLECTIO QUARTA.

CONVULSIONES.

Tuſſis. Obſerv. 1.

JAcobus, 33 annorum natus, 26 decembris 1779, laborabat tuſſi vehementi cum dolore gutturis recurrente; aderant refrigerationes, dolor capitis, pulſus vix frequentior: diæta tenui, ptiſana nitrata, enemate tractatus, ſanus dimiſſus 4 die. Ceſſarunt ſymptomata 3 die; tuſſis in pleriſque morbis eſt conamen naturæ intentione ſalutari, quo pulmones, concuſſione repetita, expurgantur; ſit ſtaſis ſanguinis in venis varicoſis, ſit pituita ſtagnans in cryptis glandularum, ſint calculi in bronchiis, ſit pus in cellulis, tuſſis irritatione excitatur: poſtquam evacuatio aut ſanguinis, aut pituitæ, aut puris ſupervenit, ſedatur tuſſis; ſed, pacata tuſſi paregorico, orthopnœæ ſeu ſuffocationis ſigna apparent.

Tuſſis. Obſerv. 2.

Mulieri, tenuioris compaginis, præſcripſi decoctionem boraginis: evidenter expectoravit gluten cum tuſſi. Eidem enema præſcripſi: maxima difficultate illud accepit; hyſterica eſt; an

propter conſtrictionem inteſtini recti ? eadem optime purgata fuit pulpa caſiæ cum ſale rupellenſi, *ſel de ſeignette*. Sæpe in hyſtericis, furente utero, tali modo conſtringitur rectum, ut vix ſtramen introduci poſſit. Lugduni.

Tuſſis ferina (*coqueluche*). Obſerv. 3.

Menſe junii 1775, plurimi infantes tuſſi ferina vexantur; appetitus minuitur; marceſcunt. Tuſſis ſævit, præſertim nocte; pauca ſunt ſputa; durat morbus per plures menſes. In pleriſque ſponte ſanatur. Vidi protractam ad ſex menſes; nonnulli brevi tempore ſanantur, poſt unam aut quatuor ſeptimanas. In nonnullis lichen pyxidatus, ſirupus corticis peruviani, vere utiles fuerunt; in aliis ipecacuanha minima doſi. Lugduni.

Tuſſis ferina. Obſerv. 4.

Joannes Aniſevicz, juvenis 14 annorum natus, 25 julii 1779, tuſſi ferina conquerebatur: lingua albeſcens, pulſus frequentior, ſubdurus: ſanus dimiſſus 2 auguſti. Senſim ſenſimque tuſſis minuitur. Prima die, purgatio levis ex manna; ſequenti, decoctum boraginis, quo ſublevatus, tuſſis minus ferina, minus frequens; oculis cancrorum, ad grana 12, magis ſublevatus 28

julii. Purgatus 31 ſexies, ſalis ebſamenſis uncia una. Ex noſocomio Grodnenſi.

Tuſſis. Obſerv. 5.

Die 9 auguſti, Joannes, 18 annorum natus, tuſſi vexatur cum vehementi dolore dorſi: ſpecierum pectoralium decoctum bibit. Sanus abiit 14 ex noſocomio Grodnenſi.

Tuſſis. Obſerv. 6.

Mathias, 17 auguſti, tuſſi laborabat vehementi: ſanus dimiſſus 29. Decoctum pectorale cum nitro, venæ ſectio, purgatio levis; a 25, grana tria florum ſulphuris in bolo mellis, quo ſanatus fuit.

Tuſſis, calculi pulmonum. Obſerv. 7.

Vilnæ, 1787, profeſſor aſtronomiæ, homo 35 annorum natus, macilentus, anheloſus, determinatis temporibus ſat remotis, poſt tuſſim validam, calculos irregulares, piſi minoris molem æquantes, exſcreat; poſtea ſanus evadit per ſex menſes, plus minuſve, ſed nunquam hæmoptyſi laboravit. In muſeo meo invenio plures tales calculos cretaceos, ad 30, quos hæmoptoicus variis periodis poſt tuſſim projecit. In iſto, anno ſequenti, ſputa purulenta apparuerunt, ſubſe-

quente febre veſpertina, diarrhœa colliquativa; ſudores nocturni: mortuus.

Tuſſis a calculis pulmonum. Obſerv. 8.

Ruſticum ſexagenarium attulerunt in noſocomium meum, qui tuſſi, dolore pectoris laborabat. Poſt tres horas placide mortuus. Diſſecavi pectus: inveni pulmones ſat ſanos, ſed lapides plurimos collegi in divaricatione bronchiorum, nucis avellanæ magnitudine; hepar granuloſum erat, durum. Ex noſocomio Grodnenſi.

Tuſſis. Obſerv. 9.

Femina, quadraginta annorum nata, virago, exhibens barbam nigram, in genitalibus pilos copioſiſſimos, longitudine palmæ, temperamenti ſicci, colore cutis brunneo, ſanguinea, iracunda, ab octo annis tuſſi vehementiſſima vexatur; quaque die, magnam quantitatem purulentæ materiæ exſpuit, ſæpe ſanguinem; eſt macra; dolores pectoris ſentit, paroxyſmo ſuperveniente: attamen adimplet officia ſua, non valde debilis; vox acuta, ingrata: nunc gravida a ſex menſibus. Jam in hac labe pectoris duos peperit infantes robuſtos. Phthiſici, juxta variam idioſyncraſiam cito aut tarde jugulantur. Vidi phthiſim omnes periodos ab origine ad

mortem, ſpatio unius menſis, percurrentem. Vidi phthiſicos omnia ſigna hujus morbi exhibentes a vigeſimo anno ad quadrageſimum; in hoc caſu, calloſa vi naturæ ulcera ſunt quaſi cauteria.

Palpitatio cordis. Obſerv. 10.

Tempore convaleſcentiæ, morbi acuti febris malignæ amphemerinæ cum delirio decem diebus durante, qua laboravi fine maii 1777, inclinatus ad examinandas plantas in horto botanico Grodnenſi, perculſus fui vertigine tam vehementi, ut vix non caderem. Ab hoc tempore, hieme ſequenti, ſæpe ſentiebam motum pulſatorium infra ſuturas, lambdoideam & ſagittalem, de nocte præſertim; primo momento ſomni, expergefactus eram hoc motu: tunc forti inſpiratione involuntaria, ceſſabat motus cum undulatione ex pulſu evidenti in jugularibus. Autumno ejuſdem anni, octobri, bis vertiginem levem expertus fui; toto anno 1778, levi animi motu, cordis palpitationes ſenſi; vix quando eram cum ignotis magnatibus, poteram ſtare pedibus, quærebam ſedile: tunc ceſſabat palpitatio; ſæpe diu ambulare non poteram; de nocte evigilatus, ſæpe ſtuporem in brachio dextro ſenſi, de die in brachio & crure dextro,

ſæpe calores in cute *Bouffées* experiebar. Anno 1779, ſicut in præcedenti; ſed facies melior, pinguior eram. Anno 1780, Varſaviam maio petii propter ingrata negotia. Poſt colloquia cum rege, expertus fui, poſt prandium, verti-ginem levem, ſubſequente palpitatione cordis, quæ duravit per duo minuta. Ceſſata palpita-tione, ſucceſſit tremor, ſicut in initio paroxyſmi febris tertianæ cum refrigeratione pedum ma-nus, facies pallida; duravit frigus ſemihora; ſubſecutus calor, qui, poſt horam, madore cutis finitus fuit. Sic quatuor paroxyſmos expertus fui Varſaviæ, unusquaque ſeptimana; in intervallo paroxyſmorum, eundo timebam ne caderem. Grodnæ, 25 novembris, die ſanctæ Catharinæ, bibi vinum mangoniſatum hungaricum cum vino campanico; plurimum comedi; expertus ſum, poſt quatuor horas, paroxyſmum ſicut Varſaviæ; inde quatuor habui ſenſim minores, quolibet quinto die, eadem fere hora, poſt quartam horam a prandio. Heſterna die ſabbati, mandu-cavi *makaroni*; bibi duos cyathos vini albi hungarici: hora ſexta, magnum expertus fui pa-roxyſmum, æqualem priori, vehementia; ſed, quod ſingulare eſt, poſt finitum quemque pa-roxyſmum, non ſum debilis; appetitus viget; ſum tantum pallidior. Hæc ſcripſi 17 decembris 1780. Quinta die, iterum expertus fui, die mer-curii,

curii, hora quarta pomeridinana, paroxyſmum qui, ſicut priores, incepit palpitatione cordis, ſed levi frigore; ſucceſſit tremor; poſt unam horam, calor qui durat duas horas; inde ſudor levis. In primis paroxyſmis, ſudor copioſus erat; ſed omnes perfecte ſimulant paroxyſmos febris tertianæ, niſi quod motus cordis ſit vehementior duobus primis minutis. Heſterna die, hora 5 veſperi, poſt paroxyſmum expertum, die præcedenti mercurii, legendo minutiſſimas litteras, vidi perturbatas; ſenſi nebulam in cerebro; ſubſecuta eſt palpitatio cordis & reliqua ſymptomata aliorum paroxyſmorum, tremor, frigus, calor, mador cutis; ſemper viget appetitus, ſomnus bonus, excretiones ſuccedunt perfecte, nec ſum triſtis. Sanus plenarie poſt duas horas a paroxyſmo, nec debilior. An febris erratica quintana nervoſa? crederem.

N. B. Poſt paroxyſmos eructationes tres aut quatuor obſervantur puriſſimi aëris, nec amarorem in ore, nec acidum ſentio. Hæc ſcripſi Grodnæ, anno 1780. Sequenti anno, plurimas peregrinationes in Lithuania ſuſcepi, quæ ſanitati utiles fuere. Raro palpitationes ſenſi, niſi nocte, poſt cœnam nimiam. Anno 1782, Vilnæ, ſat valida fuit ſanitas; ſed adhuc macer eram, debilis; laborioſæ digeſtiones, vertigines frequentes.

Anno 1783, patriam petii: ab hoc tempore, priſtinam recuperavi ſanitatem; influxu ſolo aëris nativi, pinguis & floridus evaſi.

Eclampſia. Obſerv. 11.

Infans, poſt quatuor hebdomadas a nativitate, fortioribus convulſionibus corripitur: pallida erat ſicut mortua, frigida: calefacta, ceſſarunt convulſiones: ab hac die ſana fuit abſque ſequela; vivit adhuc, 1790, Lugduni.

Eclampſia verminoſa. Obſerv. 12.

Puer quadriennis, atrocibus convulſionibus tribus vicibus, quaque die corripitur cum febre, torminibus ventris; odor oris ſingularis vermium. Dedi, tempore remiſſionis, quatuor grana ipecacuanhæ pulveriſatæ; ano & cato plurimos vermes ejecit: ab hac evacuatione ſanus fuit. Lugduni, 1785.

Epilepſia. Obſerv. 13.

Noſco nobilem epilepticum. A 30 annis inſultus ſat frequens; triſtis eſt paululum, ſed ſat bene valet. Filius, 20 annorum natus, nondum expertus eſt hunc morbum. Semel expertus erat, ſed a ſeptimo anno ſanus eſt hoc morbo. In Lithuania.

Epilepſia. Obſerv. 14.

Vir nobilis Polonus, ab infantia epilepticus, frequenter expertus eſt paroxyſmos. 15 aprilis, quoque quadrante, novi paroxyſmi ex uno latere, abſque amiſſione ſenſus; muſculi faciei, lateris ſiniſtri, convellebantur, ejuſdem lateris oculus, muſculi palpebrarum; quando vigebat paroxyſmus, muſculi erant duri ſicut lignum; durabat per unum aut alterum minutum; aliquando tantum facies convellebatur lateris ſiniſtri; aliquando totum latus, pes & brachium. Hujus ſcenæ duodecimo die, apoplexia periit, anno ætatis 55. Temperamentum bilioſum, iræ deditum; cæterum ſat ſobrius; data tamen occaſione, plurimum bibebat. Antea, una aut altera vice, paroxyſmus quolibet anno illum vexabat: tunc nullus erat ſenſus. Fruſtra toto curriculo vitæ ſumpſerat ægrotans omnia decantata remedia antiepileptica, præſertim valerianam. In Lithuania.

Epilepſia ab herpete retropulſo. Obſerv. 15.

Juvenis mulier, 26 annorum nata, a ſeptimo, herpete genam dextram obſidente afflicta, hieme præſertim furente, cum cutis prurigine: tandem impatiens mali, tacite cum chirurgo eruptionem curare decrevit; cauterium in brachio

dextro aperire jubet ; cicutæ pilulas vorat ; externe , ſapone præcipitato rubro mercurii acuato , herpetem vexat. Pluribus elapſis menſibus , aeruptio minuitur maculaque tantum vinoſa apparet , ſed quid imprudens mulier lucrata eſt ? Nativitatis die anni 1775 , videt ignes accenſos ; mox ſine ſenſu jacet ; convulſiones adſunt cum oris diſtorſione , ſpuma oris. Paucis elapſis diebus , novus , die purgationis , acceſſus vexat ; tertius aut quartus , 9 aprilis : tunc illam vidi mœſtam , pulſu debili , animi deliquio frequenti ; cauſam morbi ignorans , cognitum herpetem inſpicio ; quaſi curatum videns , quæſivi modum : auditis narratis ſupra circumſtantiis , non dubitavi virus herpeticum repercuſſum omnem ſtragem creare ; applicavi veſicatoria ſupra ſedem herpetis ; præſcripſi pulverem valerianæ ; de novo herpes apparuit ſanioſa , ceſſavitque epilepſia toto tempore quo herpes ichorem fudit. Profectus paulo poſt , ignoro an paroxyſmi novi apparuerunt. Lugduni.

Epilepſia unius lateris. Obſerv. 16.

Mulier , 32 annorum nata , vexata & percuſſa a marito , incidit in affectionem convulſivam unius lateris. Senſit dolorem in pede cum ſenſu formicationis : tunc petit ab aſtantibus ut arripiant & trahant pedem ; ſi non faciunt , cadit : tunc

ſine ſenſu ; convulſione unius lateris arripitur, cum ſpuma oris ; paccatis his, immunis manet a morbo plurimis diebus ; ſuperſunt tantum capitis gravitas, imbecillitas brachii & pedis ſiniſtri ; videtur epilepſia unius lateris, quæ rara valde inter obſervatores.

Epilepſia unius lateris. Obſerv. 17.

Mulier triginta annorum, ab annis duobus convulſionibus unius lateris corripitur. Incipit paroxyſmus digitis pedum ; adeſt mentis alienatio, durante acceſſu ; aſcendit ſpaſmus a digitis pedum ; convelluntur crus, brachium, oculus ſiniſter. Eſt epilepſia unius lateris.

Convulſiones muſculorum faciei. Obſerv. 18.

Anno 1781, Grodnæ vidi nobilem Polonum, qui diu faciem lavabat cum extracto ſaturni aqua Goulardi, ad profligandas puſtulas creberrime recurrentes. Poſt aliquot menſes, varii muſculi faciei, præſertim orbicularis palpebrarum ſiniſtri oculi, ſæpiſſime, quaque die, convelluntur. Anno ſequenti, Vilnæ vidi paululum ſublevatum lenibus fulgurationibus machinæ electricæ. Nunc Lugduni 1789, optimus civis, ingenio valens, nimium ſtudio deditus ; poſt dolorem capitis, fluxum experitur ex aure dextra

materiæ purulentæ ; poſt cathartica & injectiones liquoris albi, probabiliter extracti ſaturni, ſupprimitur fluxus. Paucis elapſis diebus, facies diſtorta apparet ; laxantur muſculi labiorum lateris ſiniſtri, convulſis muſculis dextri. Cauterio aperto, pyrethri radice maſticata, uſu interno valerianæ & arnicæ montanæ, meo conſilio ſanus evaſit. Anno ſequenti 1790, muſculi palpebrarum oculi dextri nec non ſuperciliorum convelluntur repetitis ſpaſmis, ſed vix durant. Eadem methodo ſanus fuit.

Convulſiones. Obſerv. 19.

Mulierem vidi a pluribus annis motibus convulſivis vexatam, cum dolore partis inferioris, occipitis & colli ; macra eſt valde ; olim virus ſiphilitico contaminata fuit : fruſtra tentata fuere remedia, cauteria, purgantia, tonica, balnea, &c.

Convulſiones. Obſerv. 20.

Infans, 10 annorum natus, farinacea pulpa male cocta ſe ingurgitat. Mox ſupervenit dolor atrox ventriculi, anxietas, convulſiones ex omnibus membris ; durat hæc triſtis ſcena per tres horas. Chirurgus ſecat venam ; mortuus eſt miſer poſt ſemihoram.

Nunc infans, ſex dierum natus, offa ſpiſſa

ingurgitatus, convulſionibus oculorum, & extremitatum corripitur; durant ſpaſmi a ſexta hora ad 12, veſperi, cum tenſione abdominis. Applicato cataplaſmate emolliente ſuper ventrem, & datis aliquot cochlearibus infuſionis florum tiliæ, evacuata maſſa fecalis, fœtida, ſed colorem & conſiſtentiam offæ ſervans; ab hac hora, ſanus evaſit infans.

Convulſiones a ſuppreſſione lochiorum. Obſerv. 21.

Mulier, 20 annorum nata, poſt partum graviſſimas convulſiones experta eſt, cum pulſu frequenti, dolore capitis. Præſcripſi venæ ſectionem, ptiſanam nitratam, fomentationes emollientes: ſic fuit ſana. Suppreſſio erat lochiorum, quæ poſt ſectionem venæ fuerunt reintegratæ. 2 die, nulla convulſio. 4, ceſſavit febris. Lugduni, 1774.

Convulſiones. Obſerv. 22.

Clariſſimus chymiſta Margraff, convulſionibus creberrimis laborat, nullo dolore vexatus. Hac occaſione reminiſcor olim vidiſſe piam mulierem, quæ ſæpe de die convulſionem muſculorum capitis ſterno maſtoideorum laborabat; loquens cito movebat caput ſemper uno latere.

Hyſteria. Obſerv. 23.

Anno 1782, Vilnæ, nobilis puella, 20 annorum nata, ſanguinei temperamenti, robuſta, imaginationi impetuoſæ ardenti ſubmiſſa, periodice convulſionibus corripitur. Adeſt primo ſopor, ſenſuum abolitio, cum rigiditate omnium muſculorum, magna oppreſſio pectoris: in hoc ſtatu quadrante horæ patitur. Pedum titillatione evigilata, convulſiones atroces superveniunt; poſt quadrantem, iterum ſopor cum delirio loquaci. Vix elapſa hora, ſenſuum actiones plenarie evolvuntur; exindeque ſana manet per aliquot dies. Initio, quolibet die, experiebatur paroxyſmos. Poſt electricitatis actionem, qualibet ſeptimana, uſu valerianæ ſilveſtris ceſſarunt convulſiones; ſed, hora præcedentium paroxyſmorum, ſopor adeſt cum loquela, oppreſſione: tunc varia loquitur abſurda; paſſim dormiendo ſublimia profert optimi ſenſus. Poſt paroxyſmum ſana mente potitur. Utilis fuit miſſio ſanguinis ſuccione hirudinum in facie interna & ſupera crurum; cauterium utilius. Viget appetitus; a tempore electriciſmi floridior apparuit; pinguis eſt, oculi fulgidi, cutis pulcherrima, alba, florida, natura toroſa; anxietatibus animi, ærumnis propter paupertatem diu

ſubjecta ; catamenia periodice fluebant, ſed minori copia.

Hyſteria. Obſerv. 24.

Puella, 19 annorum nata, pinguis, robuſta, ſpe deſiderati matrimonii fruſtrata, minima data occaſione, convellebatur : poſt validas diſtorſiones membrorum & palpitationes cordis, quaſi mortua manſit ; vix micabat pulſus, ſed facies florida tumida manſerat. Meo juſſu, applicavit octo hirudines mulier præſens ad latera vulvæ : poſt ſuccionem, ſenſus ægrotæ rediit. Abhinc rari & leves paroxyſmi.

Hyſteria. Obſerv. 25.

Mulier pulchra, 30 annorum nata, ſingulari prorſus affectione hyſterica laboravit. A magno motu non præviſo convulſiones muſculorum abdominis per aliquot minuta, quibus ſuccedunt contractiones artuum horrendæ, palpitationes cordis ; ictus ſonant ſicut malleus ligneus ; poſt convulſiones ſomnus profundus per quatuor horas cum ſuſurro & loquela triſti ; paſſim novis convulſionibus ſomnus interrumpitur ; tempore ſomni, ſi quis valde demiſſa voce ſuper regionem epigaſtrii loquitur, reſponſum ad rem dat ægrota, ſicut evigilata. Ipſamet dormiendo

quærebat manum meam & dirigebat varias compreſſiones quæ ſublevabant eam, &, premendo ſuo nutu ſcrobiculum cordis, evigilabatur: tunc acutiſſimi auditus ſigna præbebat; nam placide tantum audiebat, qui valde pacata voce loquebantur: alii voce communi utentes, lacerabant tympanum. Hæc ſenſatio durat ſemihora poſt finitum paroxyſmum. Poſt ſex ſeptimanas ſana evaſit. Quaque die, unum aut alterum paroxyſmum experiebatur: utilia auxilia, ſucciones hirudinum, diæta, mucilaginoſa, glacies.

Venarum pulſatio. Obſerv. 26.

Certe in ſtatu ſano non pulſant venæ; ſed in ſtatu morbi obſervavi aliquoties in jugularibus undulationem, tremorem quaſi pulſationem. Ipſemet ego ſanus, aliquando tale phænomenon expertus ſum in me-ipſo: ſentio ſanguinis motum in jugularibus, pulſumque verum in his vaſis. Plurimi ægrotantes referunt ſenſationem pulſationis juxta tractum ſinuum infra ſuturam, ſagittalem & lambdoideam, ſubſequente undulatione in vena jugulari.

COLLECTIO QUINTA.

DOLORES.

Odontalgia, ſeu dolor dentium. Obſerv. 1.

MUlier defluxionibus ſæpe vexata ſeſe aëri frigido, adverſo vento, exponit: inde dolor dentium. Ceſſavit dolor, qui per quindecim dies duravit poſt inflammationem genæ, quæ per tres dies exiſtit, curata abſque remedio.

In noſtra urbe Lugdunea rari pulchri dentes. Vidi etiam infantes cum carie dentium: plurimæ feminæ quoque geſtationis tempore, odontalgia excruciantur, nonnulloſque dentes amittunt. Peſſima methodo artifices dentiſtæ lima dentes ſe tangentes ſeparant: inde caries nigræ mox apparent; quare etiam carie dentis profunda periodici ſunt dolores, qui aliquot diebus ſævientes ſponte ceſſant, relicto dente carioſo?

Otalgia, ſeu dolor aurium. Obſerv. 2.

Leopold Schendles, 28 annorum natus, venit, 22 febr. 1780, in noſocomium, laborans dolore aurium & capitis. Lingua erat alba & humec-

tata, ſitis magna, alvus laxa, pulſus naturalis. Ptiſanam præſcripſimus hordei nitratam pro temperanda ſiti; purgavimus illum cum drachma ſemi jalapæ, quo ſex vicibus abſque torminibus fuit evacuatus; emplaſtrum veſicans pone aures appoſuimus. 26, bona ſuppuratio; atrox dolor capitis & aurium evanuit; ſuppuratio duravit uſque ad 3 martii: tunc iterum ſiccatis veſicatoriis, purgavimus cum 30 granis jalapæ, quo octo vicibus fuit evacuatus; 7 martii, ſanus abiit, cæterum homo robuſtus.

Otalgia a lapide. Obſerv. 3.

Infanti ſex annorum, lapis piſi magnitudine aurem ſubiit. Varia inutiliter tentata fuerunt; manſit ſex menſibus coactus lapis; tandem ſponte cecidit: ſuſurra cum tinnitu excitabat.

Rheumatiſmus. Obſerv. 4.

Die 12 octobris 1778, homo, 44 annorum natus, nomine Martinus Budrewiez, crapulæ, aquæ vitæ bene deditus, facie rubicunda & puſtuloſa, temperamenti ſanguinei ſat obeſi, tam crudeli rheumatiſmo detinebatur, ut tanquam hemiplegicus lateris dextri, in noſocomium allatus, nullo modo, nec brachium nec pedem movere poterat. Si vi parum movebantur,

atroces dolores ſentiebat ; ſedes ſat profunda apparebat ; nam tactu levi membrorum non augebatur dolor ; nullus rubor apparebat in membris affectis ; pulſus erat plenus, ſed vix frequentior quam in ſtatu naturali ; lingua erat ſordida, reſpiratio fœtida ; proſtratio appetitus, cum eructatione : præſcripſimus diætam mediocrem ex farinaceis & juſculo. Primis diebus, pro potu ordinario, ptiſana cum cremore tartari.

N. B. In genu & crure & brachio erant cruſtæ purulentæ, magnitudine nummi argentei 15, ſumpſit emeticum ex granis tribus tartari emetici ; ſex vicibus vomuit. Die ſequenti, applicavimus veſicatoria magna in brachio & femore lateris affecti. A die 17 ad 24, bibit copioſe ſaltem unam lagenam quaque die ptiſanæ foliorum ſaponariæ. 25, jam poterat movere brachium & pedem ; dolor erat valde minutus. 30, præſcripſimus ſalis ebſamenſis drachmas quatuor, quo pluribus vicibus fuit purgatus. A 30 octobris ad 17 novembris, ſumpſit ptiſanam ſaponariæ, cum ſale Glauberiano. 20 novembris, cauterium aperuimus in brachio. Stabilita bona ſuppuratione, uſum ſaponariæ ſuſtinuimus ad vigeſimam decembris, qua fere ſanus petiit demiſſionem fine januarii. Sanus ambulabat, facie florida & bona. Ex noſocomio Grodnenſi.

Rheumatiſmus. Obſerv. 5.

Die 29 julii 1778, juvenis, nomine Caſimirus, poſt ſomnum ſub dio, nocte frigidiuſcula, rheumatiſmo in brachio afflictus fuit; dolor erat vehemens, pulſus frequens in brachio dolenti. Præſcripſimus venæ ſectionem, ptiſanam hordei nitratam. Sudavit nocte ſequenti. 1 auguſti, ſanus abiit.

Pro rheumatiſmi cum atrophia curatione optimum remedium oleum lini, quaque die, cochlearia quatuor hujus olei drachmas; unde evacutiones lenes cum levamine dolorum. Solo hoc auxilio plures rheumatiſmos chronicos ſanavimus.

Rheumatiſmus. Obſerv. 6.

Homo, triginta quinque annorum natus, poſt coitum impurum ulcus in glande cum tumefactione glandularum inguinalium patitur. Tractatur diu a medico; ab illo tempore, dolores varios experitur, modo in brachiis, modo in femoribus, modo in trunco: nunc dolor lateris inter ultimas veras coſtas, & primas ſpurias vexat ægrum: ſi inſpirat aut tuſſit, vividiorem dolorem ſentit: uſu ſaponariæ fuit ſanatus.

Rheumatiſmus. Obſerv. 7.

Hortulanus Italus doloribus vexatur in latere

ſiniſtro colli : pars paululum tumefacta apparet; acerbi ſunt dolores. Venæ ſectionem præſcribo : ſanguis eductus, cruſtam albam exhibuit; minuitur dolor per aliquot dies ; ſed dehinc recrudeſcens, difficilem deglutitionem reddit, occupatque omnes muſculos capitis : veſicatoria in dorſo applicare curo ; nec exinde ceſſante dolore, ſuper cicatrices antiqui ulceris veſicatorium pono ; cathartica quatuor vicibus exhibeo. Tandem poſt viginti dies ceſſavit dolor.

N. B. affixus in lecto, caput movere non poterat. Temperamentum bilioſum, ætas juvenilis ; 30 annotum natus, libidini deditus homo. Grodnæ.

Rheumatiſmus. Obſerv. 8.

Hominem noſco, nomine Oviſte, ſexagenarium, bis pleuritide curatum, qui quoties fatigatus fuit, toties dolore pectoris vexatur, aliquando cum febre : dolor hic nunquam omnino ſilet ; una vice fortius premebat cum febre valida. Medicus curans præſcribit venæ ſectionem ; die ſequenti, convaluit æger, pieque credidit medicus morbum, veram pleuritidem, jugulaſſe : ſed nulla ſputa ſanguinolenta nec pulſus durus. Credo ego firmiſſime, poſt primam pleuritidem, adhæſionem eſſe in pectore, tum

pleuræ, tum pulmonum, cum debilitate, dataque quaque occaſione, decubitum fieri.

Rheumatiſmus ſcorbuticus. Obſerv. 9.

Mulier, 40 annorum nata, hæmorrhagiis uterinis obnoxia, ſi ſanguis non fluit varios dolores rheumatiſmi patitur: gingivæ molles ſunt, facillimeque, quaque data occaſione, fundunt ſanguinem. Hæc mulier minimam offert ſtaturam; adeſt fœtor oris. Plurimæ feminæ circa quadrageſimum annum rheumatiſmi doloribus vexantur ab irregulari fluxu menſtruo: augentur dolores, quotieſcunque menſtrua parca; minuuntur, quando copioſe fluit ſanguis uterinus.

Rheumatiſmus, plica polonica. Obſerv. 10.

Vidi feminam, 40 annorum natam, quæ plica polonica laborabat. Capilli miro modo torti erant, pingues & oleoſi; rheumatiſmo periodice vexabatur. Breſciæ in Lithuania. 10 octobris 1776.

Rheumatiſmi monialium. Obſerv. 11.

Sæpe vidi hyſtericas mulieres doloribus rheumatiſmalibus excruciatas, præſertim moniales monachas, per plurimos annos his cruciatibus durantibus. Vidi artus immobiles, aut ſaltem difficillime

lime motos. Illæ præſertim rheumatiſmis evadunt obnoxiæ, quæ nocte lectum derelinquunt pro recitandis precibus. In una diarrhœa pituitæ vitreæ ſuperveniente, ceſſarunt dolores membrorum.

Rheumatiſmus iſchiaticus. Obſerv. 12.

Ipſemet quatuor vicibus expertus ſum rheumatiſmum iſchiaticum. Semper ſubito incipit : flecto corpus, pro fibulis diſponendis, ad calceos ; vix, peracto opere, poſſum truncum erigere. Durat malum quatuordecim diebus ſemper in ſiniſtra parte ; in hoc latere, progrediendo, corpus flectitur modo ſingulari : nullo adhibito remedio, ſanus. Supervenit 1779, ſeptembri ; a tribus annis non expertus fueram. An febris remittens, & tertiana, quibus in Lithuania laboravi, focum iſchiaticum deſtruxerant ? Crederem. Vidi plurimos doloribus rheumatiſmi cum febre aut ſine febre vexatos, ſola natura ſanatos. Centum exempla enarrare poſſem ; &, quod probe notandum, plerique qui ſanantur ſub directione medicorum, poſt varia deglutita pharmaca ingrati ſaporis, plerumque non citius ſani fiunt illis qui pacate expectarunt finem mali, ſub regimine bonæ naturæ.

Rheumatiſmus. Obſerv. 13.

Non poſſum retinere riſum, quando ſenes, omnibus libidinibus debilitati, me conſulunt, & medicamenta petunt cum ſpe curationis En exemplum talis hominis: vir nobilis Lithuanus, ſexaginta annorum natus, per totam vitam baccho & veneri ſubditiſſimus, doloribus rheumatiſmalibus, debilitate ventriculi, catarrho perpetuo conflictatur. In vanum multa remedia expertus: omnia viſcera ſunt debilitata: domus vetuſta cadet. Plerumque dolores artuum ſunt ſymptomata labis in viſceribus; qui infartu in hepate, liene laborant, rheumatiſmo vexantur.

Rheumatiſmus, flatus, calculi. Obſerv. 14.

Magnas Polonus, poſt abuſum catharticorum & ſeri lactis, tam flatibus putridis fatigatur, ut quoque momento crepitat; aliquoties calculos, magnitudinem piſorum referentes, cum dolore expulit. Una vice aut bis quolibet anno, autumno, dolore juxta ſpinam dorſi excruciatur. Sexaginta annorum natus eſt; pinguis videtur. Præſcripſi frictiones, motum, diætam, amara; ſanatus fuit uno menſe. Præſcripſi ſaponariam, qua fuit levatus evidenti modo.

Rheumatiſmus vagus. Obſervatio communicata a D. Izaurat. Obſerv. 15.

Femina, viginti ſeptem annorum nata, a ſex hebdomadibus rheumatiſmo vago in cruribus laborans, fruſtra fuit curata, remediis inciſivis, pilulis ſaponaceis adminiſtratis : eruptiones rubræ apparuerunt, quæ, ſuppuratione peracta, ſub forma tumorum pyramidalium, induratorum, cornuum ſoliditatem referentes, increverunt. Tales ſaltem centum erant tumores in toto corpore; etiam in facie pullularunt; baſis tumorum mollior, reliqua pars dura, cornea. Dominus Izaurat tractavit hanc mulierem frictionibus mercurialibus; vix quinta frictione adminiſtrata, nonnulli tumores fuerunt ſeparati, acuti, majores magnitudine piſi minoris; maxima talis pendebat e mento. Poſt caſum tumorum, ulcera ſuperveniebant. Salivatione copioſa, poſt duos menſes a prima frictione, fuit ſanata : duravit ſalivatio uno integro menſe; tribus ſeptimanis vix potuit loqui propter ſtupendum ſalivæ fluxum; quaque ſaltem, ſex libræ ſalivæ evacuabantur. Nulla erat ſuſpicio luis venereæ : maritus ſanus, infantes ſaniſſimi. Gravida erat hæc mulier tempore morbi; infans hujus partus fuit ſanus; temperamenti ſingularis hæc mulier : raro mingit; vix una vice quaque ſeptimana;

nunquam ſpuit nec ſudat, niſi vola manus ex qua perpetuo guttatim fluit aqua. Quando ſudor manus ceſſat, die ſequenti, doloribus rheumatiſmalibus ægrotat; tempore gravis morbi, vola manus non ſudavit. Ipſamet femina ſimilia mihi confirmavit.

Rheumatiſmus arthriticus. Obſerv. 16.

Anno 1781, Grodnæ, julio, ſacerdos Polonus ſexagenarius, plethoricus, ſat obeſus, rheumatiſmo arthritico laboravit, qui pedem ſiniſtrum & manum ejuſdem lateris occupabat. Erant tumefactio, rubor, calor, renitentia. Miſſione ſanguinis peracta, ſanguis cruſtam inflammationis exhibuit. Homo ceterum caſtus, vix vinum bibens; diu ſederat in eccleſia humida. Tempore irritationis, infuſiones malvæ, ptiſana hordei mellita; pacata inflammatione, decoctum ſaponariæ fuerunt præſcripta: inflammatio quimdecim diebus viguit; dolores urgebant adhuc, etſi leves, die 40; attamen paulatim ſanus evaſit fine ſecundi menſis.

Lumbago inflammatoria. Obſerv. 17.

1779, menſis decembris 20, juvenis 17 annorum natus, nominatus Mazurek, temperamenti ſicci, macri, a tribus annis potui aquæ

vitæ, maſturbationi, et coitui plurimum deditus, venit in noſocomium, laborans a plurimis ſeptimanis dolore femoris. Non potuit femur ſiniſtri lateris extendere; leviter tangendo flexuram cruris, aut regionem trochanterum, atrociſſimum experiebatur dolorem; tumefactio aderat levis circa articulum; pulsus erat ſubdurus, contractus, & frequentior quam in ſtatu naturali. Præſcripſimus fomentationes emollientes; die 28, cauterium aperuimus: ſat copioſa ſupervenit ſuppuratio in apertura cum levamine momentanea doloris. 8 januarii, cucurbitas applicavimus; creſcente dolore, venæ ſectionem præſcripſimus; ad 20, adminiſtravimus ſaponariæ decoctum cum ſale glauberiano, pro determinanda materia morbifica colatoriis urinarum, ſed incaſſum: 27, œdema ſcroti cum dolore teſtium ſupervenit, etiamſi applicatum erat veſicatorium, in tibia ab initio morbi; etiamſi vigebat appetitus quaque die major, apparebat macies. 3 martii, ſcrotum aperuimus, unde totaliter ſerum effluxit. Die 6, oedema pedis ſiniſtri, cum plenaria macie brachii ejuſdem lateris. Die 16, inflatio pedis & cruris major, ſuperveniente œdematia, etiam in pede dextro. Die 20, proſtratio appetitus, abolitio motus manuum, debilitas maxima, loquela mutata, muſculi faciei depreſſi, facies pallida, naſus

acutus, oculi exerti, marginibus palpebrarum circulum perfectum exhibentibus, unde aſpectus prorſus ſingularis : jam a plurimis diebus excrementa involuntarie mittebat ; ab aliquo tempore etiam, propter pronum perpetuum ſitum & humiditatem, ulceratio clunium aderat. 24, manente præſentia mentis & conſervato guſtu ſano, placide mortuus eſt hora prima pomeridiana.

N. B. Aperto cadavere, invenimus peritonæum concretum tali modo cum muſculis abdominis, ut difficillime ſeparare potuimus : inteſtinum ileum agglutinatum erat muſculo pſoas, & reni ſiniſtro. Separando inteſtinum, tangendo apice ſcalpelli muſculum pſoas, magna quantitas puris effluxit. Diſſecando articulationem femoris, invenimus ſimile pus in cavitate cotylodea : ligamentum rotundum erat totaliter deſtructum ; caput femoris dereliquerat cavitatem ; cæterum nulla ſigna inflammationis in inteſtinis ; ſplen & jecur erant ſana. Ex noſocomio Grodnenſi.

Lumbago. Obſerv. 18.

Juvenis, nomine Marin, 30 annorum natus, temperamenti ſicci, copioſe cereviſiam bibit ; vaſis plenis hujus liquoris, coitum pluries ce-

lebrat cum uxore; poſtridie difficulter cum ardore mingit, quin etiam adeſt mictus ſanguinis. Præſcripſi ptiſanam althææ cum nitro: ceſſavit 3 die ardor urinæ, ſed enemate frigido aſſumpto, lumbago valde dolens oritur cum febre, pulſu duro. Præſcripſi venæ ſectionem, cum ptiſana nitrata: ſanguis ſicut pleuriticorum apparuit, cruſta alba tectus; videtur inflammatio muſculorum lumborum; femur elevare non potuit ſine dolore. Miſcella petroſelini cum ovis coctis in butyro bulliente applicatur lumbis: pacatur dolor; tartarus emeticus cum manna ano & cato purgavit ægrotantem, qui vomuit vermem lumbicum teretem. Lugduni 1771.

Lumbago. Obſerv. 19.

Famulus meus, nomine Corſelini, ſexagenarius, Italus, macer, robuſtus, anno 1787, martio, lumbagine laboravit: nec erigere nec flectere truncum poterat; curvato corpore progrediebatur; febris erat veſpertina, appetitus diminutus. Poſt magnum laborem ſub dio quieſcens manſerat. Spatio 12 dierum, ſponte ſanus evaſit.

Lumbago a ſuppreſſione fluxus ſanguinis. Obſerv. 20.

Mulier annorum triginta trium, poſt metum,

a tribus menſibus prægnans abortavit : hæmorrhagia ingens per uterum debilitat eam, quæ paulatim diminuitur. Tandem, tribus elapſis menſibus a partu, ſupprimitur; a ſuppreſſione lumborum dolores vexant eam; ſi fluxus ſanguinis adeſt, ceſſant dolores; pacato fluxu, exurgunt iterum dolores.

Pleurodin ſeu dolor lateralis. Obſerv. 21.

31 auguſti 1779, homo 25 annorum natus, nomine Jacob Korynsko, dolore lateris vexabatur: pulſus erat frequens, durus, lingua alba, dolor capitis. Venæ ſectio 1 die, ſuccus boraginis; 3 ſeptembris, nullus dolor. Purgatio cum manna & ſale ebſamenſi; 4, ſanus dimiſſus ex noſocomio Grodnenſi.

Dolor lateris dextri. Obſerv. 22.

Decembris 16 1779, puella, 18 annorum nata, laborat dolore vehementi lateris dextri infra mammam; pulſus erat naturalis, nec erat tuſſis, nec lingua alba. Præſcripſimus diætam tenuem, decoctum pectorale ſeu boraginis nitratum, enema emolliens, fomentationes cum decocto malvæ. 19, diſſipato dolore, purgationem ſumpſit cum manna & ſale ebſamenſi. 20, ſana exiit ex noſocomio Grodnenſi.

Dolor pectoris ab adhæſione pleuræ. Obſerv. 23.

Juvenis poſt balneum, calente corpore, corripitur peripneumonia. Ab illo tempore, ſcilicet a duobus annis poſt hunc morbum, dolor pectoris ſub muſculis intercoſtalibus fatigat hunc juvenem; dolor tamen ſenſibilis parum. Suſpicor hunc effectum eſſe adhæſionis pleuræ & pulmonis dextri lateris. Lugduni.

Dolor hypochondriorum a flatu. Obſerv. 24.

Duos ſimul vidi muſicos ſæpe inflantes luſu (*hautbois*) graviter ſpaſmis in hypochondriis vexatos: tribus menſibus elapſis, recrudeſcit malum. Luſus iſte eſt etiam principium peſſimæ hæmoptyſis, ſicut aliquoties obſervavimus.

Dolor ventris. Obſerv. 25.

Andreas, juvenis quindecim annorum natus, 31 julii 1779, dolore ventris conquerebatur: nulla febris adeſt: diæta tenui, ptiſana cum melle & infuſione chamæmeli ſanatus, dimiſſus 4 auguſti. Colica duravit per tres dies; non erat vehemens; ſolutione alvi ſpontanea terminata fuit. Ex noſocomio Grodnenſi.

Dolor ventris. Obſerv. 26.

4 octobris 1778, Eva puella, 16 annorum

nata, nondum menſtruata, dolore ventris vexata, diæta tenui, potu temperante, cum nitro, poſt tres dies ſana dimiſſa. Ex noſocomio Grodnenſi.

Colica. Obſerv. 27.

Anno 1786, menſe auguſti, poſt prandium ſat copioſum, miſcendo varia vina etiamſi moderate ſumpta, hora undecima nocte, atroci colica fui vexatus, quæ, intercurrentibus quolibet ſemiquadrante paroxyſmis, crudeli modo me afflixit. Tandem, hora 4 matutina aperto ventre, ſubſequentibus copioſis evacuationibus, liberatus fui. Tempore paroxyſmi facies pallida, depreſſa, pulſus celer, contractus, paſſim intermittens : duo clyſteria aquæ tepidæ ſumpſi.

Colica a ſuppreſſis menſtruis. Obſerv. 28.

Virgo, 26 annorum nata, copioſe menſtruata, ultimo periodo, parca catamenia vidit, quæ duabus tantum diebus durarunt, cum antea octo ſaltem ſtabant ; poſtea ſupervenerunt colicæ ventriculi & inteſtinorum, quæ, cum digeſtio alimentorum peragitur, augmentum capiunt. Appetitus diminutus apparet. Præſcripſi venæ ſectionem, potionem catharticam nec non amara. Sequenti periodo, catamenia co-

pioſe fluentia diſſiparunt ſymptomata. Frequenter in praxi obſervavi gaſtrodiniam a refluxu menſtrui ſanguinis ; auxilia quæ efficacia in hoc caſu inveni, ſunt pediluvia , vapores aquæ, ſuccio hirudinum in facie interna femorum. Sæpe tamen natura fluxum menſtruorum adaugendo hanc gaſtrodiniam curat.

Colica ventriculi. Obſerv. 29.

Mulier, gravida duorum menſium, abortum experitur. Lochia parum fluunt ; levis ſanguinis jactura ; vix elapſis decem diebus, colica ventriculi excruciatur; variis incaſſum tentatis, magna doſi laudani liquidi Sydenhami curatur. Uxor mea: anno 1769.

Colica ventriculi ab ulcere. Obſerv. 30.

Legens obſervationem Hildani de ulcere ventriculi, reminiſcor tale ulcus vidiſſe, quod fundum ventriculi occupabat; valde erat fœtidum ; ægrotans diu vomuerat ; labia ulceris erant calloſa ; ſentiebat dolorem urentem in regione epigaſtrica; a longo tempore ægrotabat. Lugduni 1773. Ab hoc tempore, bis ſimilem caſum inveni in praxi cum tali ulcere in ventriculo : atroces dolores vexant ægrotantes cum ſenſu combuſtionis ; ſed quod ſingulare mihi

videtur, non perennes ſunt; excruciatus ceſſant per aliquod tempus, vigente tamen acri irritante.

Colica ventriculi a ſuppreſſis lochiis. Obſerv. 31.

Mulier juvenis, poſt duos menſes a conceptu, abortavit. Febris corripit eam cum anxietatibus coliciſque doloribus; atroces fuere colicæ ventriculi; una ſeptimana durarunt, quia parum fluebant lochia. Dato decocto trium capitum papaveris, ceſſarunt colicæ; ſecutus eſt fluxus ex vagina: inde ſana. Poſt potum decocti, levi delirio correpta fuit, quod quatuor horis duravit. Sæpe tale delirium obſervavi a magna doſi ſirupi papaveris aut ab opio.

Colica. Obſerv. 32.

Ill. comes Tyzenhauzen poſt ingurgitationem vini campanici colica laborat: debilis eſt; refrigerationes ſentit; ſubſecuta eſt febris lenis, cum proſtratione ſingulari virium, dolore capitis; ſic per tres dies; quarta, ſudavit; ſanus evaſit. Robuſtus nihil comedit; bibit ptiſanam citri; nullum medicamentum ſumpſit. Grodnæ.

Colica. Obſerv. 33.

Duo juvenes colica querebantur; die ſequenti;

ſani abierunt, ſumpto rhabarbaro ad drachmam unam, qua bene fuerunt purgati. Auguſto 1779.

Colica. Obſerv. 34.

Nobilis affectioni hypochondriacæ obnoxius, poſt mœrorem a negotiis ingratis, colica ſpaſmodica tam vehementer laboravit, ut torquebatur quaſi convulſionibus. Pulſus erat durus, frequentior quam in ſtatu naturali: venæ ſectione peracta, applicavimus hirudines in margine ani; tumebant hæmorrhoides. Balnea, emulſiones, liquor anodynus Hofmanni, laudanum liquidum Sidenhami, fuerunt tam prudenter miniſtrati propter obſtructionem alvi pertinacem, ut ſanus 5 die morbi, ſcilicet 20 maii, evaſit. Homo erat ſiccus, luteſcens, atrabilaris.

Colica nephretica. Obſerv. 35.

Homo, 40 annorum natus, obeſus valde, parentibus podagricis natus, vitæ ſedentariæ deditus, plurimum comedens, coitui frequenti aſſuetus, menſe ſeptembris 1777, colica nephretica vexatus: primus paroxyſmus fuit validus; dolor erat atrox in lumbo ſiniſtro; tendebat dolor ad veſicam; retracta erat mentula; ſurſum propulſi teſticuli tempore ſpaſmi, frequens urinam mingendi cupiditas; guttatim

reddebat urinam cum ſenſu ardoris in urethra. Jam a 20 ſeptembris ad 4 octobris, octo paroxyſmos expertus erat; ſed, præter tres primos, reliqui fuerant tolerabiles, lenes. In tertio, arenæ copioſæ erant in urinis, rubræ, magnitudinis milii grani: nunc ſanus, 20 die a primo inſultu.

Illius ſoror eodem tempore ſimili morbo laboravit. Poſt atroces renis ſiniſtri dolores, mingit calculum magnitudinem phaſeoli æquantem; ab hoc tempore, doloris immunis: nunc frater ſanus, fine decembris 1780. In muſeo meo aſſervo quadraginta calculos, magnitudine piſorum luteorum, glaberrimorum, ponderoſorum, quos omnes vir, 50 annorum natus, ſpatio duarum ſeptimanarum cum atrocibus doloribus expulit ex urethra.

Huc revocandi calculi minores deaurati aut coloris lutei ſplendentis, quos reperi in urethra bovis, anno 1782, Vilnæ. Similes attulit parochus loci dicti *Taſſin* prope Lugdunum, in congreſſu ſocietatis agriculturæ.

Maxima eſt vis expultrix veſicæ: vidi calculos avellanæ, amygdali longitudine expulſos ex urethra, ſola energia naturæ.

Soda. Obſerv. 36.

Virgo ſoda laborat: ſentit ardorem in regione

hypogaſtrica tanquam carbonis accenſi. Virgo illa valde fuit obnoxia affectioni hyſtericæ. Infantes ſodæ obnoxii ſunt a ſaburra acida in primis viis; in hoc caſu, odor oris ſingularis: decem grana pulveris oculorum cancrorum tuto & cito ſanant morbum. Hypochondriaci ſimilem ſenſum ardoris ſæpe ſentiunt in ſtomacho, quo liberantur eructationibus acidis.

Cardialgia. Obſerv. 37.

Mulier ſexagenaria, ventriculi dolore vexata, uſu ptiſanæ ſaponariæ fuit ſublevata. Erant flatus, eructatio frequens, inflatio ventriculi.

In anorexia, cardialgia, eructationibus cum tumefactione ventriculi, motus frequens corporis, frictiones manu nuda ſuper regionem epigaſtricam, lenia-amara ſunt præſtantiſſima auxilia, addita diæta tenui. Similium curationum centena exempla afferre poſſem. Divites pigri, otioſæ feminæ frequentiſſime his morbis laborant; pertinaciter nolunt mutare regimen vitæ; obſequioſi medici catharticis illos ſaturant: inde major labes ventriculi & inteſtinorum; inde obſtructiones, hydropes, &c. in hoc caſu, celeb. Tronchin pilulas extractis amararum conflatas præſcribebat; ſed ſapientior ſedulo inculcabat pilulas has venena peſſima evaſuras, ſi diæta ſevera,

motus ordinatus frictioneſque non obſervarentur.

Cephalæa eruptionibus ſanata. Obſerv. 38.

Juvenis 30 annorum, etiamſi facie pallidus, ſæpe ſenſit capitis tenſionem, dolorem gravativum. His paucis diebus permanentibus, ſurgunt acuti tumores, unus in facie, alter, die prima, erupit ſub mento prope laryngem: hi tumores avellanæ magnitudinem habent, primo rubri dolentes; paucis, quatuor ſcilicet diebus elapſis, ſuppurantur apice, minuuntur, et evaneſcunt. Præſcripſi unam venæ ſectionem, enemata purgantia; poſt eruptionem tumorum ceſſavit cephalæa.

Cephalæa. Obſerv. 39.

Juvenis, 16 annorum natus, cephalalgiam atrocem expertus fuerat, poſt ſuſceptum frigus calente corpore: dormire non poterat propter cruciatus; tandem pertæſus, jubet frictionem facere pannis rudibus uſque ad ſanguinis effuſionem; his peractis, pacate dormiit, dolore prorſus evanito nec recrudeſcente.

Cephalæa hæmorrhagia narium ſanata. Obſerv. 40.

Puella a pluribus diebus cephalalgia excruciatur. Supervenit hæmorrhagia narium copioſa: inde

inde ceſſavit dolor capitis. Annorum 16 nata; tam ſanguinolenta, ut rubedo cutis fere generalis; non ſufficiunt ergo catamenia pro minuenda plethora. Sæpe in juvenibus cephalæam profligatam vidi poſt hæmorrhagiam narium, & in adultis poſt hæmorrhoidum aut menſtruorum, aut leucorrhœæ fluxum; alii dolores capitis ceſſarunt poſt eruptiones ſeroſas herpetis, &c.

Cephalæa ſcrophuloſa. Obſerv. 41.

Atrociſſimus cervicis dolor in duobus infantibus fratribus obſervatus. Paroxyſmus morte amborum terminatus. Glandulæ, nuclei juglandis magnitudinem referentes, in meſenterio repertæ duræ; erant fere cartilagineæ; attamen facies erat florida, nec alia ſcrophuloſi virus ſigna. Hanc olim obſervationem communicavimus celeb. doctori Cuſſon, qui illam in theſi propoſuit ſub nomine cephalææ ſcrophuloſæ. In duobus iſtis infantibus dolor occupabat partem poſticam capitis a ſyncipite ad originem colli. Tantus erat dolor, ut convulſionibus terminatus fuit ante mortem. Omnia viſcera ſana reperimus præter tumores dictos in meſenterio: ſaniſſimum erat cerebrum & cerebellum.

Chiragra in juvene. Obſerv. 42.

Juvenis annorum viginti natus, dolore genuum

laborat cum inflatione. A quindecim diebus ; validus eſt dolor ; premendo non augetur ; ſed movendo accerrimus fit. Vidi nonnullos podagricos ante trigeſimum annum ; tales nonnullos liberatos per plures annos ſevera diæta lactea, et moderato motu. In omnibus miracula offert natura : non modo maſſam ſanguineam quoque paroxyſmo liberat, materia ſubtili in extremitatibus propulſa ; ſed in ſenioribus crudam, craſſam, tartaream magna quantitate deponit in articulis. Si medicamentis turbatur, ſtagnat hac heterogenea materies in viſceribus, innumeroſque morbos ſimulat, phthiſim, annorexiam, catarrhum ſuffocantem, apoplexiam, atroces colicas ; calculum generat in renibus : horum omnium morborum numeroſa exempla allegare poſſem. Sed, his miſſis, inconcuſſum manet, omnes varietates podagræ, gonagram, chiragram, iſchiadem, &c. motum eſſe depuratorium, quo ſalutari plurimi lethales eventus prævertuntur. Centum novi podagricos, qui ſapienter, pacate, paroxyſmos tolerarunt a 50 anno ad 80, nec una vice conſilia medicorum quæſiverunt. Raro ruſtici dure laborantes ſub dio podagrici evadunt. Igitur qui arcanum contra podagram quærit, fame, motu, aëre puro podagricorum mutare debet humores.

COLLECTIO SEXTA.

FLUXUS.

Abortus. Obſerv. 1.

DUÆ nobiles, ludentes de die & nocte, gravidæ ab aliquot menſibus, poſt luſum ad 5 horam matutinam extenſum, hæmorrhagiam uteri expertæ fuerant. Una maſſam fibroſam, fungoſam exſcrevit ſat ſimilem placentæ alteratæ, magnitudine pugni. Dolores vomitum bilioſum excitarunt. Grodnæ.

Obſervavi abortum a terrore, ſæpius poſt venæ ſectiones, poſt cathartica; frequens eſt in dyſenteria. In his omnibus natura ſola contractionibus uteri fœtum, cujus placenta jam ſeparata excitat hæmorrhagiam, expellere poteſt.

Placenta in utero. Obſerv. 2.

Mulier, domina Magol, annorum viginti quinque nata, teneræ conſtitutionis, parturit: infans educitur, ſed placenta, ceſſantibus doloribus, reſtat in utero. Putreſcit mox; ſed nullam accendit febrem putrefactio: per fruſ-

tula vix ſenſibilia ſoluta fuit. Expurgatio uteri quadraginta fit diebus.

Placenta retenta. Obſerv. 3.

Pulchra mulier duobus partubus retinuit portiunculam placentæ. prima vice, hæmorrhagia quadraginta diebus debilitavit eam, cum febre putrida. Secunda vice, eadem hæmorrhagia; ſubſequentibus illa ceſſante doloribus lumborum, erant debilitates, anorexia, melancholia.

Partus lethalis. Obſerv. 4.

Die 16 januarii, anno 1780, mortua eſt Catharina Leſcoſie: partus dolores ſentit 14, hora nona matutina. Prima exploratione, inveni orificium uteri verſus rectum inclinatum; vix ſex linearum diametri erat apertum, dolores validi, quoque ſemiquadrante; temperamentum ſanguineum, facies rubra; noluit, timore animi deliquii, ut ſecarent venam; vulva tam ſtricta, ut vix duos digitos admitteret; angulus pubis acutus, caput fœtus ingens. Duraverunt dolores 24 horas; vix apertura uteri, 36 hora, diametri nummi argentei: tunc ſumpſi diametrum capitis valde impacti contra os pubis. Dimovi cum forcipe poſt 48vam horam: tunc dolores crebiores cum vomitu, animi de-

liquio, labra nigra, gingivæ nigræ; tandem 60 hora, me juvante, expulit fœtum. Cutis capitis boliformis, proeminente extra vulvam, manente ſupra pubim cranio. Poſt ſex dolores valido conatu adjutos tranſiit caput: tunc obtinui infantem mortuum; placenta adhærebat in oſculo uteri, ſupra pubim, tuſſi poſt ſemihoram fuit expulſa; nulla hæmorrhagia ſecuta eſt. Vix elapſa ſemihora, oppreſſio miſeram feminam vexavit; oculi obnubilati; oppreſſionem ſenſit; dicebat: rupta arteria in pectore, pectus meum ſe replet. Tandem, vix ſemihora elapſa, mortua eſt. Sanguis fluxit ex ore poſt 24 horas a morte: tumidum erat abdomen.

N. B. Os uteri nunquam fuit muco humectatum; ruptæ membranæ poſt 24 horas a primis doloribus; ætatis 32 anno. Præcedenti fœtu ſeptemeſtri liberata, minimæ molis poſt quinque dies a primis doloribus. Grodnæ.

Partus hiſtoria. Obſerv. 5.

Die 15 decembris 1779, domina Ditrict me appellavit, 8 hora laborans doloribus pro partu; explorato utero, jam inveni membranas ruptas; jam caput infantis, utero diametri nummi dilatato, ſentiebatur; dolores experta quoque ſemiquadrante uſque ad primam horam

de nocte, qua, tribus doloribus ſupervenientibus, expulit infantem. Caput maximum habebat, ſed femina lato pelve donata, premebat caput contra oſſa pubis. Digito reduxi in viam; vix quatuor vicibus tetigi partes tempore laboris: copioſe os uteri humectatum glutine; 10 hora, placenta poſt ſemihoram ſuperveniens, dolore expulſa; funiculus pinguis in plurimis locis craſſitudine pollicis: nullo ſumpto remedio, bona diæta convaluit, ambulans 6 die a partu.

Partus hiſtoria. Obſerv. 6.

Mulier, triginta annorum nata, fœtum gerens ab octo menſibus, nixu edito, aquas mittit. Mox dolores urgent. Exploro: jam fœtus in vagina apparet, etiamſi vix elapſa ſit hora a primo labore, cum minimis doloribus una, altera parturit hora: placenta craſſa mihi videtur; veſpertinis horis, pulſus frequens, validus calor, cutis urens ſub tactu. Mox inquieta, dolores in hypogaſtrio. Octava hora matutina, die ſequenti, pulſus pacatus, dolores tamen urgent; nec mingebat mulier; uterus adhuc valde dilatatus. Hora nona premunt dolores, ſucceditque magna eruptio ſanguinis coagulati; mingit, & tunc pacata & quieta manet. Poſt

triginta elapſas horas, febris lactea apparet moderata, mammæ eructant lac; ſed quod bene obſervandum, uterus, etiamſi tribus elapſis diebus, de hora ad horam iraſcitur; mox diſparet, mox cum dolore inflatur, proeminetque tanquam pepo ſupra pubim; menſe vix elapſo, dolores iſchiadici vexant. Timui lactis tranſlationem: purgationem præſcripſi, qua evacuata fuit valde, & his doloribus liberata. Grodnæ.

N. B. Altera mulier, poſt viginti Balnea, duobus elapſis annis a falſa graviditate, vere concepit puellam quam, novem elapſis menſibus, edidit. Ventrem portentoſum portabat; aquæ tamen parum abundantes fuere, placenta non magna. Puella exiguæ molis, pluries tribus primis a partu menſibus, ſanguinem coagulatum poſt dolores expulit; uterus, tertia die, aſcendit ad umbilicum.

Partus pedibus. Obſerv. 7.

Mulier Itala Jouilliot, 25 annorum nata, dolores partus ſentit. Appellat Judæam obſtetricem. Fœtus pedibus oſtia pulſat. Judæa quid faciendum ignorans, me vocat. Poſt explorationem, pedem ſentio, & genu alterius cruris; pello paululum fœtum, remiſſionis dolorum tempore; quæro pedem; adveho ad orificium uteri, nec

dolores expectando extraho fœtum ; pedibus juxta leges artis : nunc, poſt quinque menſes, infans & mater bene valent. Grodnæ.

Partus contra-naturalis. Obſerv. 8.

Initio januarii hujus anni, advocatus fui ad dandum auxilium parvæ mulieri dolores partus a quatuor diebus toleranti. Invenio fœtum prementem oſtia ; unguibus laceratum erat uteri orificium. Prædico mortem infantis & matris ; relinquo chirurgo curam partus ; dico quid agendum, ſcilicet quod fœtus ſit pellendus, & vertendus, tempore remiſſionis. Conſilium utile fuit : ille chirurgus extrahit fœtum mortuum, prius ambrochationibus aliquot horarum peractis : ſed mater, poſt octo dies, periit ex inflammatione uteri cum ſymptomatibus valde dolorificis. Ignara obſtetrix, tentando dilatationem uteri, orificium laceraverat in tribus locis, ſicut patuit apertura cadaveris.

Partus hiſtoria. Obſerv. 9.

Die 12 decembris 1780, mulier, triginta annorum nata, tempore graviditatis hæc experta eſt : 20 die a conceptione magnam quantitatem ſalivæ ſpuebat ; aliquando vomitus pituitæ acidæ.

Erant, quatuor primis menſibus, anxietas, mœror, triſtitia, minima data cauſa; appetitus irregularis. A quarto menſe hæc omnia diſſipata: tunc ſentit motum fœtus; appetitus viguit a quinto menſe; ad 9num ſæpe dolor aderat in facie ſuperiori interna cruris, ſentiebat quaſi funiculum infartum, cum ſenſu ſtuporis (*crampe*); paſſim vertigo aderat; 9no menſe gravis erat; etiamſi vigebat appetitus; vomebat acidam pituitam; ſæpe dolores ſentiebat; ultimis 10 diebus, dolores magis evidentes cum ſenſu preſſionis in pelvi; 11 decembris, hora undecima, nullo majore apparente dolore, cubans ſentit fluxum aquæ circa duas uncias. Fluxus erat albus, ſat copioſus; hæ aquæ erant ſpuriæ; nam, explorato utero, ſenſi caput infantis cum protuberante veſica aquæ plena; dolores quoque quadrante. 12 hora, jam uterus hians diametri floreni; prima hora de nocte, uterus & vagina jam fundebant pituitam copioſam, glutinoſam; quoque dolore, major copia pituitæ cum vehementi contractione uteri: tunc caput fortius propellebatur; a primo dolore, ſentiebatur caput, vix introducto uno digito; jam caput dereliquerat os uteri: tangebat antea oſſa pubis, ſed ſicci adhuc involutum ore uteri: tum diameter oris nummi argentei. A tertia hora ad quartam, crebriores dolores; caput elongabatur;

major copia pituitæ glutinoſæ; facilius vulva admittebat manum. Quarta hora, caput ultra oſſa tendens, propellit vulvam ſuæ longitudinis. Tunc parietes vulvæ emaciatæ ſicut folium corii; tanquam calyptra involvebant fœtus caput. Dolore ſubſequenti, ſuperavit vulvæ marginem: tunc tantum extraxi fœtum, toto labore, non dilatationem tentavi, nec unguento pingui emollivi partes; mulier vix adjuvabat contractionibus dolores, niſi in ultimis. Quinto minuto vix elapſo poſt partum, ſubſecuta eſt placenta, primo dolore propellente. Fœtus erat ponderoſus, capite magno prolongato; non compreſſi caput; ſponte rotunditatem acquiſivit die ſequenti: membranæ ſponte crepatæ fuerunt tertia hora laboris; quoque dolore, botulum elongatum formantes, dilatabant orificium uteri. Infans maſculus jacens ſuper dorſum, inſpiratione vehementi, concuſſionem excitavit pectoris cum elevatione abdominis: tunc clamavit. Mater hac nocte dormivit per tres horas. Die ſequenti, nulla febris. 14, nulla febris; inflatæ, tumefactæ mammæ, tenſæ, duræ; de nocte a partu dolores ventris, qui duraverunt die ſequenti; poſt quemque dolorem, eruptio grumi ſanguinis; die ſequenti a partu, vix uterus æquabat magnitudinem pugni; funiculus craſſitudine digiti minimi, longitudine duorum pedum & paulo plus; placenta

craſſitudine duorum pollicum in centro, diametri octo pollicum; magna lactis fuit quantitas. Viginti dierum ſpatio, non nutriens, experta eſt ſudores nocturnos, acidum olentes, inflammationem mammæ ſiniſtræ, quæ rubra, calens, dolens, valde renitens, cum febre, poſt quinque dies abſceſſum magnum exhibuit: cute ſponte aperta, minimo hiatu prope areolam fluxit puris una libra. Diebus ſequentibus, minor quantitas manavit; lenibus compreſſionibus, appoſito ſimplici defenſivo folio betæ, natura ſola abſceſſum replevit, cicatricemque formavit. Grodnæ.

Partus præmaturus in phthiſica. Obſerv. 10.

Anno 1780, Grodnæ, dicta Duchemin, femina 30 annorum nata, phthiſica a tribus annis, ſputa purulenta exſcreans cum tuſſi repetita, vehementi, ſat bene tamen menſtrua videns, gravida erat ab octo menſibus; jam phthiſica, duos pepererat infantes: doloribus vexatur pro partu poſt inflictum ictum pedis; a tribus diebus incaſſum vexabat miſeram ignara obſtetrix. Inveni os uteri apertum; caput ſentiebatur infantis, ſed facies apparebat; a 12 horis nulli veri dolores. Cum brachio forcipis Levretiani, mutavi ſitum capitis: tunc ſimplici conatu, juvante paululum mea manu, parturiit. Mortuus erat

infans ab aliquot diebus ; nam epidermis ſeparabatur a cute. Die ſequenti, ſtupenda quantitas lactis mammas inflavit ; fuit parca quantitas lochiarum. A partus tempore vehementi tuſſi quaque die fuit agitata, ſicut antea, ſubſequentibus ſputis purulentis ; infans erat minimæ molis, macerrimus : nunc, elapſo anno, phthiſica, ſicut ante partum ; attamen adimplet officia ſua, ſat fortis & appetens ; etiamſi macra, muſculos tamen oſtendit ſat toroſos.

Crepitus ex vagina. Obſerv. 11.

Feminam novi, quæ ſæpe per vaginam crepitus ſonantes edidit. Credidit illa ſe geſtaſſe fœtum quatuordecim menſium : probabiliter erat tantum mola veſicularis.

Mola. Obſerv. 12.

Mulier, 36 annorum nata, hæmorrhagia uterina a plurimis diebus debilitata, tandem, ſurgentibus doloribus, expulit molam magnam, quæ lacerata exhibebat rete fibroſum ac compactum. In areis retis innumeræ veſiculæ hydatides, lympha luteſcente plenæ, magnitudinem acinorum uvarum referentes. Mola tota ſat rotunda, diametri octo pollicum. Poſt illius expulſionem, diebus ſequentibus, dolores recur-

rentes vexarunt feminam, ſubſequentibus grumis ſanguinis coagulati. Vix elapſa hebdomada, ſanam vidi mulierem, & robuſtam. Lugduni.

Mola veſicularis. Obſerv. 13.

Hortulana Itala ſeſe credidit gravidam ab octo menſibus. 7 menſe, experta eſt hæmorrhagiam uterinam, cum timore abortus: vere venter erat tumidus. 9 menſe, ſupervenerunt dolores ſat ſimiles parturientium, fuitque magna evacuatio aquæ ex utero, me tangente & vidente: erat lac in mammis, orificium uteri vix dilatatum, pro introductione apicis digiti; durum erat, ſcirrhoſum; irregularis ambitus. Nulla fuit alia evacuatio, nec membranarum, nec molæ: uterus diminutus antiquam molem recuperavit. Tempore dolorum, a contractione diaphragmatis, ſingulari modo elevabatur globi forma venter; convulſiones obſervabantur manus ſiniſtræ & in faciei latere ſiniſtro; pulſus frequens, durus; ſæpe deliquium animi ad imaginem mortis. Venæ ſectione, liquore anodyno Hoffmanni, tinctura caſtorei fuit liberata ab his malis: nunc ſat bene valet, manente ſemper ſcirrhoſitate uteri. Suſpicatus fui molam veſicularem ex membranis tenuiſſimis conflatam, quæ vi contractionis uteri laceratæ fundunt ſerum quod has diſtendit.

Odor fœtidus. Obſerv. 14.

Plurimæ Lithuanæ, etiam nobiles, ſudorem fœtidum exhalant; etiam non ſudantes, ingratiſſimum odorem ſpargunt, tali modo ut in magno cubiculo difficile eſt eas tolerare. Nonne cauſa quærenda in regimine? Magnam quantitatem carnis comedunt, vix moventes corpus, vixque fruſtula minima panis manducant nec olera.

Sudores poſt morbos. Obſerv. 15.

Sæpe obſervavi ſudores copioſos tempore convaleſcentiæ, præſertim poſt morbos inflammatorios: ſunt ſudores a debilitate, quaque data occaſione, erumpentes.

Sudor ex vola manuum. Obſerv. 16.

Juvenis, 18 annorum natus, ſudores in vola manuum experitur cum pruritu, exſquamatione epidermidis: durat malum ab octo annis; alias ſanus; non eſt herpes in toto corpore, ſudant parum pedes. Nonnullos vidi qui copioſo ſudore unctuoſo ſub axillis aut planta pedum affliguntur; attamen, fluente tali ſudore olido, ſani ſtant: ſi minuitur aut ſupprimitur, eminent graviſſimi morbi. Simili ſudore pulcherrima femina defœdabatur ex pedibus. Ad reprimendum, pediluvia

aquæ in qua diſſolvit ſat magnam quantitatem aluminis ſumpſit : ceſſavit ſudor ; ſed paulo poſt anxietates, oppreſſiones, tuſſis, ſputa purulenta, phthiſis qua jugulata fuit, vix elapſis quatuor menſibus a ſuppreſſione ſudoris. Diminutio ſudoris pedum aut axillarum certus nuncius futuri gravis morbi : hanc obſervationem decies verificavimus.

Hæmorrhagia auris a contuſione capitis. Obſerv. 17.

Ruſticus Grodnæ cecidit ab alto ſuper caput : ſanguis aure ſiniſtra fluebat ; ſtupidus manſit & attonitus ſpatio 24 horarum. Copioſa peracta venæ ſectione, ſenſum recuperavit : nec erant ſigna depreſſionis aut fracturæ oſſium cranii. 4 die, ſanus abiit. Raſo capite, fomentationes aromaticæ fuerunt peractæ.

Hæmoptyſis. Obſerv. 18.

Rector Univerſitatis Vilnenſis, aſtronomus egregius, 55 annorum natus, temperamenti ſicci, biliosi, ſæpe faciem luteam exhibens, doloribus hepaticis a plurimis annis obnoxius, ultra vires ſtudiis variiſque negotiis immerſus, tribus vicibus, me præſente, ſtupendam quantitatem ſanguinis vomuit poſt tuſſim validam & creberrimam. Tali hæmoptyſi a plurimis annis

vexatus, ceſſante ſcreatu ſanguinis, reliquo anni tempore, ſputa emittit purulenta, copioſa; cæterum macer. Ante eruptionem ſanguinis, extrema refrigerantur, pulſus celerior evadit, genæ rubeſcunt, anxietas, oppreſſiones fatigant ægrum. Nitrum, ptiſana radicis conſolidæ majoris ſublevant.

Hæmoptyſis. Obſerv. 19.

Mulier, 60 annorum nata, olim hæmorrhoidibus valde obnoxia, quinta vice quolibet anno, experitur vomitum ſanguinis ſpumoſi, liquidi, roſei, poſt tuſſim. Sexdecies parturiit; macra videtur; ſputa ſunt quaſi purulenta; attamen ſat bene valet. An eſt conamen naturæ ad evacuationem ſuperflui ſanguinis olim conſuetam?

Hæmoptyſis a ſuppreſſione menſtruorum. Obſerv. 20.

Puella, cæterum ſana, florida, quotieſcunque menſtrua minuuntur, aut ſupprimuntur, ſat magnam quantitatem ſanguinis ſpumoſi, poſt tuſſim validam, oppreſſiones, anxietates, ſenſum ardoris in pectore, refrigerationem crurum exſcreabat. Maritata obtinuit quinque infantes, quos lactavit: ab hac epocha ſaniſſima vixit.

Hæmoptyſis

Hæmoptyſis diu tolerata. Obſerv. 21.

Hominem noſco quadragenarium, qui a 18 anno, quolibet anno, 4 aut 5 vicibus, poſt tuſſim, ſputa ſanguinis puri emittit, ſæpe ad quantitatem plurium unciarum. Fluore hæmorrhoidali ſtabilito, hæmoptyſis ceſſavit.

In hæmoptyſi plerumque balnea, pediluvia cum ſinapi, pulvis temperans Stablii, ptiſana conſolidæ majoris radicis ſpem medici adimplent. Sed fatendum plurimos hæmoptyſi obnoxios, nullo præſcripto medicamento, ſponte ſanos. In his non major projicitur quantitas ſanguinis nec frequentius recurrunt paroxyſmi.

Hæmorrhagia narium. Obſerv. 22.

Juvenis 30 annorum natus, ſanguinolentus, promptus ad motus, hæmorrhagiam narium per plurimos dies nocte & die, fatigatus labore aſſiduo, patitur tam copioſam, ut ſpatio duarum horarum, plurimas libras amiſerat ſanguinis, uſque ad animi deliquium. Præſcripſi ptiſanam nitratam, hordeaceam cum citro, clyſterium emolliens. Sic fuit ſanus poſt quatuor dies.

In junioribus certe activæ ſunt hæmorrhagiæ narium, ſalutareſque ſalutandæ. His ſupervenientibus ophthalmiæ, cephalææ, vertigines profli-

gantur. Veriſſima eſt obſervatio : qui infantes ſæpe ex naribus fundunt ſanguinem, poſt pubertatem hæmoptyſi ſunt obnoxii : qua ſuperata, fluxus hæmorrhoidalis poſt trigeſimum quintum annum ſtabilitur, indeque ad ſenectutem ſani & vegeti vivunt.

Hæmorrhoides. Obſerv. 23.

Vir, triginta annorum natus, hæmorrhoidibus obnoxius, dolore vehementi, anxietatibus vexatus, chirurgi examini anum ſuum ſubjecit. Tumor erat dolens valde, extremitate ſua niger; iſte aperuit illum lanceola; grumus exivit ſanguinis, quo elapſo, pacatur dolor, anxietaſque evanuit. Autor hæc paſſus poſt herbationes in montibus Pyrenæis; antea tumentes ſæpe hæmorrhoides toleraverat, ſed nunquam tam dure ſævientes. A 34 ætatis anno periodice fluunt albæ, copioſius æſtate. Si certis periodis non fluunt, anxietates aut anorexiam patitur.

Hæmorrhoides. Obſerv. 24.

In Lithuania hæmorrhoides communes : viri innumeri fluxum hunc periodice, quolibet menſe, cum levamine experiuntur. Si ſupprimitur, vertigines, ſubſequente apoplexia, ſuperveniunt, ſicut aliquoties obſervavi; in aliis, poſt ſup-

preſſum aut diminutum hunc fluxum, ſtranguriæ, iſchuriæ, dolores nephretici, otalgia, odontalgia, &c.

Hæmorrhoides. Obſerv. 25.

Vir nobilis Polonus, ſexagenarius, a viginti annis tales hæmorrhoides patitur, ut minimo nixu corona tumorum protuberat, craſſitudine duorum pollicum: hi tumores cæruleſcentes, varicoſi, tuberculoſi, periodice dolentes; ſed molles facile reducuntur. Tales & ſimiles in parocho ſacerdote, me præſente, ſecavit peritiſſimus chirurgus Lugduni. Magna ſupervenit hæmorrhagia; vir ægrotans erat quinquagenarius; ſat bene valuit ſpatio duorum annorum, poſt quos, quod probe notandum, fulguratus uno ictu apoplexiæ.

Menſtrua tarda. Obſerv. 26.

Plures vidi puellas quæ tarde in hac urbe Grodnenſi menſtrua habent. Puella, decimum ſeptimum agens annum, parvæ ſtaturæ, nondum menſtruata, colicis, cephalalgia, laſſitudinibus, eruptionibus cutis vexatur; vertiginem, patitur. Stabilito fluxu menſtruo poſt aliquot balnea vaporum, ceſſarunt hæc omnia ſymptomata.

Menſtrua cita. Obſerv. 27.

Vidi puellam, quatuor annorum natam, quæ ſanguinem per vaginam fundebat; cæterum ſana, florida, hilaris. Tribus vicibus hanc obſervationem in praxi mea inveni.

Mirabilis labor menſtruorum! vidi ſat copioſa menſtrua poſt acutos morbos in ſubjectis febre tali modo emaciatis, ut vix cogitare poſſumus de plethora generali aut locali. Vidi hunc fluxum poſt alias hæmorrhagias ſupervenientem. Quaque die video poſt leucorrhœam magnam, ſeu copioſum fluxum lymphæ albæ. Vidi in exhauſtis dyſenteria. Ante primam eruptionem in pleriſque ſingularis melancholia evolvitur; contemnunt luſus aſſuetos; cephalæa laborant, lumbagine, dolore in facie interna & ſuperiori femorum; ſuccedunt frequentia ſuſpiria, anhelatio, ardores pectoris: mammæ tument, dolent, dureſcunt. Frequentes ſpontaneæ laſſitudines. Tribus unciis ſanguinis evacuatis ex vulva, hæc omnia ſymptomata evaneſcunt. In pleriſque ſecunda periodus poſt tres aut quatuor menſes revertitur. In nonnullis etiam prima vice, levi tantum cephalæa prægreſſa, menſtrua apparent. Plurimæ in omnibus periodis, doloribus ventris atrocibus cum vomitu vexantur.

nonnullæ convulſionibus hyſtericis cum ſenſu doloris, ardoris in utero excruciantur. In febribus continuis, ſynocha, præſertim primis diebus, menſtrua, etiam copioſe fluentia, utilia ſunt. Talia obſervavimus cum levamine in peripneumonia, variolis.

Vomitus ſanguinis a ſuppreſſione menſtruorum. Obſerv. 28.

Pulchra mulier, temperamenti ſanguinei; menſtruorum tempore, aſpectu fratris ſtulti percuſſa, ſuppreſſione catameniorum laborat cum variis ærumnis: tandem ſanguinem copioſe vomit cum levamine.

Leucorrhœa. Obſerv. 29.

Vidi puellam, vix 13 annorum natam, fluore albo vexatam.

Vidi gravidam, toto geſtationis tempore, fluore albo copioſo correptam. Bis talem inveni caſum.

Quæ fluore albo vexantur, de dolore juxta regionem oſſis ſacri queruntur; ſemper digeſtio eſt vitioſa, dolor frequens ventriculi.

Tres novi mulieres quæ abundanti fluore albo vexatæ, conceperunt, ſanoſque infantes reddiderunt. Hoc phænomenon obverſatur obſervationibus Hippocratis libro de ſterilitate.

Leucorrhœa. Obſerv. 30.

Femina, 36 annorum nata, iracundiæ, affectionibus animæ ſubjecta, a 15 annis, fluorem album experitur; humor acris corrodens ſæpe vulvam excoriat. Quando hoc tempore videt illam maritus, gonorrhœam benignam acquirit; chirurgus emplaſtro & liquore ſaturni deſſicavit ulcera, ſuppreſſit fluxum. Ab hoc tempore, vomit omnia; atroces dolores experta eſt, ſubſequente rheumatiſmo. In iſta uterus a 12 annis, ſcirrhoſus, durus, molis pugni & ultra.

N. B. Ante morbum hilaris erat & bonæ ſocietatis; a tempore ſcirrhi, moroſa facta eſt; quando catamenia, quæ fluunt quolibet menſe, diſponuntur, fit intolerabilis, magiſque atrox, quam erat quando minabatur fluor albus.

Leucorrhœa. Obſerv. 31.

Mulier, triginta annorum nata, a plurimis annis leucorrhœa vexatur. Humor aliquando fit acris, viridis: tunc, ſi coit cum illa maritus, gonorrhœam piſcatur; tribus vicibus, me ſciente, expertus eſt. Levis erat gonorrhœa, cum ſenſu ardoris in urethra: hæc, vix una elapſa ſeptimana, ſponte ſanatur. Ruſticæ feminæ raro leucorrhœa affliguntur, quæ tam frequens in

urbibus, ut ex centum mulieribus vix decem expertes hac lue inveniantur; hanc obſervationem verificavi Lugduni, Pariſiis, Varſaviæ, &c.

Nec virgines poſt vigeſimum annum immunes: ergo ſi quis tuto hunc morbum vult ſanare, præſcribat victum ruſticarum, motum aſſiduum, frictiones, amara, martialia. His auxiliis plurimas ſanavimus. Utiles ſunt lotiones aromaticæ. Quaſi vi ſpecifica agit tetra catechu intus ſumpta.

Dyſenteriæ. Obſerv. 32.

4 ſeptembris 1764, in loco dicto *Chazei*, juvenis 24 annorum natus, a tribus diebus febre laborabat cum diarrhœa cruenta, torminibus, teneſmo: ſaltem vigeſies quaque die alvinæ evacuationes. 6 die, vomuit ex ipecacuanha; 7, lingua minus ſordida, vix febris, vix tres alvi evacuationes: ptiſanam bibebat mucilaginoſam. 12, a morbi initio, ſanus dimiſſus.

Auguſto 1769, Lugduni, juvenis 32 annorum, robuſtus, temperamenti ſanguinei, poſt ſuſceptum frigus, ſudante corpore, diarrhœa corripitur, cum febre, torminibus ventris: ſentit dolores in cruribus, præſertim circa genua, nec non cephalæam; materiæ evacuatæ ex alvo ſunt ſanguine tinctæ, facies eſt pallida, luteſcens, lingua

ſordida; ſponte ſanatus fuit poſt 10 dies. Diæta fuit tenuiſſima; ptiſanam ex infuſione florum malvæ in aqua hordei bibebat.

Anno 1772, Lugduni, auguſto menſe, & ſeptembri, regnavit epidemia dyſenteriæ cruentæ aut ſeroſæ: in noſocomio, quaque die, centum & ultra erant hac labe afflicti. In urbe, plurimorum curam habui, infantum, ſenum, & mediæ ætatis: nullus mortuus. In pleriſque methodum expectationis adoptavi, &, fatendum, præciſe hi tali modo tractati citius fuerunt ſanati. Potiones decocto ſummitatum papaveris albi, ptiſana oryzæ præcipua ſuppeditarunt auxilia; in nonnullis tentavi ſalicariam: ſed hi non citius ſani evaſerunt. In paucis difficultas mingendi obſervata; in paucis oedematia pedum ſponte diſſipata.

Dyſenteria. Obſerv. 33.

Duo fratres, infantes, unus novem annorum natus, alter 10, junior tranquillus & tacitus, alter difficilioris indolis & valde petulans, laborabant dyſenteria, menſe ſeptembris. Pacatus omnia data remedia ſumpſit; ſed decima die exſpiravit: alter difficilior omnia pertinaciter repudiavit; nihil manducans, bibit aquam pane ſaturatam, deliravit per quatuor dies:

atrociſſimi erant dolores, creberrimæ ſanguinis meraci evacuationes; invito medico, ſanus fuit factus 14 die. Nihil mali dereliquit morbus, niſi furunculos quatuor in clunibus & in dorſo, qui diu ſuppurarunt & cicatrices reliquerunt.

Dyſenteriæ. Obſerv. 34.

Dyſenteriæ frequentiores in noſtra adminiſtratione, Grodnæ, 1776: pauci infantes mortui ſunt; plurimi in urbe apud Judæos. Noſtra methodus ſimplex; diluentia, regimen, ſine rhabarbarum.

Dyſenteria epidemica. Obſerv. 35.

Menſe julii 1767, inceperunt dyſenteriæ, ſed benignæ: unus tantum valde ægrotavit, alii parum; cruentæ feces, tormina, laſſitudines: natura curante, ſani, nulla adhibita remedia, præter enemata emollientia: durant adhuc dyſenteriæ, fine auguſti. Infantem unius anni hoc morbo laborantem vidi; ſanus fuit, nullo ſumpto medicamento: in urbe dicta *Chazei*, tribus milliaribus a Lugduno. Utilem inveni infuſionem florum verbaſci cum melle.

Diarrhœa. Obſerv. 36.

Dominus comes Tyzenhauzen, poſt vini in-

gurgitationem, menſe octobris 1778, diarrhœa detentus a 10 diebus cum torminibus : frequentes ad 12 erant evacuationes. Nullo medicamento ſumpto, ſanus evaſit. Fine diarrhœæ bibit tantum vinum *Pontac* aqua temperatum ; poſt 12 dies, recidivam expertus ; alia vice, ſponte poſt ſex dies ſanus evaſit : pruriginem circa radicem mentulæ per aliquot dies ſenſit.

Diarrhœa. Obſerv. 37.

Die 31 martii, Nicolaus Repinski, juvenis 18 annorum natus, diarrhœa cum debilitate laborat : pulſus naturalis, appetitus bonus, ſomnus tranquillus. Præſcripſimus purgationem cum rabarbari noſtro ex horto granis 30, quo ſex vicibus fuit evacuatus. Supervenit tumefactio in dorſo pedum : iterum dedi rhabarbarum, abſque evacuatione ſanus abiit.

Diarrhœa. Obſerv. 38.

Femina, 80 annorum nata, quæ plurimum comedit, poſt ingurgitationem variorum ferculorum, diarrhœa laboravit cum ventris torminibus, & ſponte ſanata. Avia erat mea materna ; decies vidi illam ſimili diarrhœa correptam, ſimilique modo curatam. 1769, tales diarrhœas ſæpe toleravi, quæ ſponte ſanabantur :

centum vicibus ſimiles in aliis abſque remediis profligatas. Si diutius protrahuntur diarrhœæ, rhabarbarum parva doſi ad decem grana, extractum juniperi baccarum, gentianæ, trifolii fibrini vinum abſinthii utilia ſunt medicamenta.

Diarrhœa율 bilioſa. Obſerv. 39.

Auguſto menſe 1768, plurimi diarrhœa bilioſa laborarunt: erant tormina ventris, evacuationes copioſæ liquidi lutei, ſpiſſi ſicut ſirupus; quoque die, evacuationes decem & viginti. Decem vidi: omnes ſponte ſanati; in nonnullis vomitus bilis æruginoſæ, viridis. Præſcripſi ptiſanam radicis althææ, infuſiones florum papaveris rhœadis. Plurimi, his omiſſis, ſani etiam evaſerunt. Lugduni.

Veſicæ hæmorrhoides albæ. Obſerv. 40.

Van-Swieten dicit urinam diu etiamſi ſanum reddidiſſe materia alba onuſtam. Menſibus duobus expertus hoc phœnomenon etiam ego: clara erat mingendo urina; paucis elapſis horis, turbidam videbam, ſedimentumque album deponentem. Hoc ipſo tempore per anum excretionem paſſus eram materiæ albæ, quæ lintea tingebat. Hæc ſcribebam anno 1772: ab iſto tempore, ſæpe ſæpius talem urinam minxi, ut nunc mingo.

An veſicæ hæmorrhoides albæ, ſeu excretio copioſior muci qui ſecernitur in cryptis veſicæ? An liquidum chyloſum?

Effectus æſulæ minoris. Obſerv. 41.

Virgini robuſtæ 15 grana foliorum æſulæ minoris exhibui, nec purgata fuit, nec minorem dolorem experta. Centies hoc remedium præſcripſi: ſcilicet euphorbiam cypariſſiæ, pulverem foliorum miſceo cum mucilagine aut ſirupo. Varia doſi juxta ætates, temperamentum, ſicut jalapa, a 10 granis ad 40 leniter purgat. Mitior eſt euphorbia helioſcopia.

Tænia. Obſerv. 42.

Grodnæ, 1780, nobilis domina Zilenski, a plurimis menſibus obnoxia erat palpitationibus cordis, animi deliquiis, ſpaſmis, minima data occaſione, doloribus capitis periodicis, appetitui vago, irregulari: tandem ſpontanea evacuatione, tænia 6 ulnarum longa ejecta, omnia hæc ſymptomata evanuerunt.

N. B. Tres adhuc ſimiles caſus in Adverſariis reperio. Decies vidi canes ſpontaneis inteſtinorum contractionibus tænia liberatos.

Duos liberavi ſolo uſu interno olei lini fuligine tenui caminorum ſaturato.

Tres ſanavi arcano dicti *Knuffe* ſeu radice filicis, ſubſequente draſtico purgante, pro his contentus ſcammonii juxta vires varia doſi præſcripti.

Tænia. Obſerv. 43.

Monachus Baſilianus, quadragenarius, Grodnæ, 1780, verme tænia laborabat. Appetitus irregularis, modo vehemens, modo ſobrius; ſæpe anxietates circa præcordia, animi deliquia, palpitationes cordis, matutina ſalivatio ſat copioſa, diarrhœæ frequentes vexant ægrum, cæterum pallidum, macrum. Tribus vicibus ſumpſit drachmas duas radicis filicis maris; poſtea purgatus fuit cum jalapæ granis 60, hac die bibendo olei lini plurima cochlearia; eadem die, veſperi, reddidit ano vermem integrum duodecim ulnarum longum. Ab hoc tempore cito floridus & pinguis evaſit.

COLLECTIO SEPTIMA.

PHANTASIÆ.

Commotio ſenſus regionis epigaſtricæ. Obſerv. 1.

Amicus meus, quotieſcumque vehementi animi affectu laborat, ſenſationem experitur evidentem in regione epigaſtrica circa præcordia. Hac die, copioſior adeſt fluxus urinæ. Plurimas feminas & puellas vidi, in quibus verus ſenſus lætitiæ & triſtitiæ ſedet in regione epigaſtrica.

Sympathiæ. Obſerv. 2.

Hyſterica juvenis, 18 annorum nata, juxta phantaſiam ignotos aut bene aut male ferebat. Nonnulli præſentia tranquillam illam reddebant, & ſpaſmos ſolo aſpectu ſedabant; aliis præſentibus, iraſcebatur, convellebatur. Talia phænomena ſingularia decies vidi. Quidquid dicant increduli, mirabiliora tactus, ſympathia gratorum aſtantium, aut ſimplex compreſſio manu regionis epigaſtricæ, excitare poteſt. Hos effectus ſera dies confirmabit, quando odia adverſariorum erunt pacata: ex utraque parte vidi ultra citraque limites veri progredientes. Scepticus

ego, ſi quis unquam, medicus, pacata mente, depoſitis omnibus præjudiciis, ſedulo examinavi ſubjecta magnetiſmi actioni ſubmiſſa. In diſpoſitis effectus varios obſervavi, convulſiones, oppreſſiones, ſomnum, ſomnambuliſmum. In hoc loquebantur ægrotæ, reſponſa dabant quæſitis. Poſt varia omni modo tentata, agnoſco in pleriſque phænomenis effectum imaginationis; ſed vix credam hanc ſolam omnia peragere poſſe quæ ſedulo verificavi.

Antipathiæ. Obſerv. 3.

Novi feminam quæ laborabat odontalgia fugaci, quotieſcumque fricabat aliquis cultellum cum cultello.

Unum ſaltatorem vidi qui amittebat appetitum, ſi quis fricabat cultrum unum ſuper alterum; tali modo fatigatus erat, ut derelinquere tabulam abſolute deberet. Duo fratres, mihi amici philoſophi, inſecta amantes, tali horrore a juventute acceperunt videndo araneas, ut tremunt, pallent, ſi caſu etiam pictam aſpiciunt.

Huc veniunt, averſus animus a nonnullis eſculentis, & qui caſeum tolerare non poſſunt: ſi occultatum in ferculis manducant inſcii, vomunt ſummo conatu, ſicut aliquoties teſtis fui; huc venit averſus guſtus a vino, qui in nonnullis nunquam potuit ſuperari; alii poſt quadrageſimum

annum, vinum, antea odioſum, cum voluptate potarunt ebrioſique evaſerunt.

Vertigines. Obſerv. 4.

Vidi plurimos febre ardente cum delirio correptos tempore convaleſcentiæ, vertigine, palpitationibus cordis vexatos; ſed hæc mala paulatim, nullo adhibito medicamento, evaneſcunt.

Vertigo eſt ſæpe ſignum futuræ apoplexiæ; ſed centies vidi hyſtericas diu vertigine vexatas, abſque ſequela; ſtudioſos novi plures qui poſt diuturnas meditationes frequenti vertigine fuerunt correpti, non ſubſequente apoplexia. Hypochondriaci ſimiles vertigines patiuntur, quæ flatibus ex ventriculo exploſis diſſipantur. Plurimæ feminæ, poſt ſuppreſſionem menſtruorum, a quadrageſimo quinto anno ad quinquageſimum, uno aut altero anno, vertigine affliguntur, abſque funeſto eventu.

Delirium ab inanitione. Obſerv. 5.

Poſt pleuritidem ſanatam vidi hominem delirantem inanitione; quod probatum fuit curatione delirii, quæ tota conſiſtit nutritione appropriata : quando comedebat, ceſſabat delirium; peracta digeſtione, iterum delirabat : manducando ſapiens fiebat.

Delirium in febribus apud nonnullos nullum funeſtum eventum promittit. Novi hominem qui,

qui, etiam ſimplici ſynocha detentus; furente febre, delirat. Infantes, tempore paroxyſmi febrium intermittentium, ſæpe delirio corripiuntur abſque ſequela. Plures vidi peripneumonia laborantes, poſt delirium ſanatos. Delirium a narcoticis, a vino, natura ſola plerumque diſſipat.

Hydrophobia. Obſerv. 6.

Duos vidi rabioſos, horrorem aquæ & lucis exhibentes. Vix a vero acceſſu quadraginta horas vivebant. Fruſtra mercurialia fuerunt adminiſtrata.

Hydrophobia. Obſerv. 7.

Juvenis Judæus, ſexdecim annorum natus, in urbe a cane rabido ante duos menſes circa labium ſuperius vulneratus, hydrophobia corripitur. Adſunt convulſiones, delirium, ſpuma oris: mortuus poſt 24 horas ab invaſione primi paroxyſmi. Grodnæ.

Sex homines, eodem tempore, rabioſis canibus fuerunt morſi: is Judæus ſolus virus rabioſo fuit contaminatus. Aliis vicibus ſimilem obſervationem peregi. Noviſſime circa Lugdunum, anno 1786, canes rabie infecti plurimos momorderunt: duo tantum rabioſi fuerunt in noſocomium Lugdunenſe allati. Juſſu adminiſtratorum rectorum tentatum fuit experimentum

noviter decantatum, ſcilicet morſus viperæ; poſt illum vere hydrophobia ceſſavit, biberunt ambo affatim aquam, ſed, paucis elapſis horis, convulſi mortui ſunt, etiam deglutita magna doſi alkali, *eau de luce*.

Stultitia. Obſerv. 8.

Nobilis Polona, ſtulta ab aliquot annis cum indiciis furoris uterini, raro malitioſa, ridebat, lacrymabatur abſque ratione, raro ſana mente loquebatur. Marito perſuaſi poſt venæ ſectionem, balnea, & antihyſterica, ut cum illa coiret. Inde gravida; ſana mente vivit, etiam poſt partum; adhuc ſanæ mentis anno 1780. Minimæ ſtaturæ, fere nana, quatuor pedum altitudine, cæca a variolis; corneæ lucidæ opacæ ſunt margaritæ. Grodnæ.

Moniales maniacæ. Obſerv. 9.

Tres noſco ſtultas in monaſterio Brigittarum Grodnæ. Vivit una in hoc ſtatu a quindecim annis, in pleriſque monaſteriis olim nonnullæ maniacæ in carceribus occluſæ, propter maniam completam. Quot ſpecies phantaſiarum apud moniales obſervavi a fruſtrato coitu ortas!

Mania. Obſerv. 10.

Juvenis 24 annorum natus, robuſtus, mania

laborans, adducitur in noſocomium Lugduneum, anno 1787; furioſus, lintea omnia lacerabat; manſit per duodecim dies in carcere nudus, clamans die & nocte: toto hoc tempore nec potum nec eſcam ullo modo accipere voluit. Tandem, 13 die, non audivimus tempore veſitationis aliorum ſtultorum; credidi mortuum; aperto carcere, pacatum vidi ſedentem; placide juſculum enixe petiit; poſtea offam avidus manducavit: ſic paulatim reſtauratus, plenariam recuperavit ſanitatem & mentem acute judicantem. Centum ſaltem exempla enumerare poſſem ſpontanearum ſanationum in mania: vidi ſponte curatos poſt annum, poſt tres, quinque, decem.

Inſania à mœrore. Obſerv. II.

Judæa juvenis, 20 annorum nata, conflictatur a morte infantis; luget diu; tandem affectione hypochondriaca vexatur; inſana fit; loqui non vult, nec comedere. Adſunt dolores circa regionem hypogaſtricam; ſublevata fuit applicatione ſanguiſugarum; poſt annum elapſum, natura curante, fuit ſana; nunquam fuit menſtruata: nunc 1780, ſana ab hoc tempore; etiamſi amiſerit cariſſimum maritum, non fuit inſana. Grodnæ.

Inſania. Obſerv. 12.

Die 25 auguſti, juvenis 15 annorum natus, nomine Andreas Boraſonicz, inſania laborabat, ſed nec erat febris, nec furor: morbus dignoſcebatur tantum inepta loquela & moribus mutatis; pulſus durior erat quam in ſtatu naturali, ſed non frequentior; oculi ſtupido modo erant fixi, ſed non coruſcantes, facies depreſſa ſublutea. Incepit morbus ab una ſeptimana ante introitum noſocomii. Præſcripſimus diætam tenuem ex bonis juſculis, cum farinaceis, copioſam venæ ſectionem ex ſaphena; ſedulo commendavimus ut nullo modo fatigarent ægrum verbis aut actionibus quæ iram commovere poſſent. 29, ſana mente loquentem invenimus, & quietum ſervavimus in noſocomio, uſque ad 5 ſeptembris: quo temporis ſpatio, nullo dato inſaniæ ſigno, ſanum dimiſimus. Ab hoc tempore ad finem januarii 1780, ſanus vivit. Grodnæ.

Inſania. Obſerv. 13.

Nobilis Polona, variolis laborans, tempore deſiccationis puſtularum, metaſtaſi puris varioloſi, mania laboravit; delirium integro anno duravit. Die purgationis, paroxyſmus apparuit: in monaſterio incluſa, ſponte ſanata fuit.

Inſomniæ. Obſerv. 14.

Ægrotans Prat, qui plurimis diebus inſomnia laboravit, cum doloribus capitis, pacate quievit ac dormivit, uſu capitis papaveris albi: poſt ſomnum non ſentiebat dolorem capitis.

Femina, 45 annorum nata, mœrore ab amiſſo filio correpta, tribus integris menſibus ſomni delicias ignoravit. Cariſſimus profeſſor meus Venel, poſt laborem intenſum, quando articulos encyclopædiæ redigebat, per duos menſes ſomnum amiſit. Vix una aut altera hora dormiebat, quaque nocte, ultimis annis, immortalis J. J. Rouſſeau, philoſophus, ſicut mihi narrabat anno 1773.

COLLECTIO OCTAVA.

DEBILITATES.

Cæcitas. Obſerv. I.

ANno 1782, Vilnæ, infans Judæus, 8 annorum natus, ſaniſſimus, floridus, manducando uno momento cæcus, nullo præcedente dolore capitis: vidi conjunctivam ſeu adnatam tunicam vaſis ſanguineis turgentibus tinctam; pupilla erat contractilis. Applicui ad angulum externum oculorum quatuor hirudines; fluxit ſanguis per tres horas: inde puer ſenſim viſum recuperavit. Status varicoſus venularum retinæ plurimorum vitiorum viſus eſt principium. Virum hæmorrhoidibus obnoxium novi, qui debili viſu vix diſtinguebat objecta, quotieſcumque fluxus ſanguinis ani languebat, vehementique dolore capitis excruciabatur. Alium noſco qui, poſt febrem remittentem, cæcus factus eſt, comitante ophthalmia chronica ſeu ingurgitatione vaſorum conjunctivæ. Jam debiles oculi a juventute poſt toleratos morbillos.

Nyctopia. Obſerv. 2.

Jam ſex juvenes Lithuanos vidi, qui, veſpertino tempore, ſub ſolis occaſu viſum amittunt; quorum alii fere plenarie tota nocte nihil vident, & qui mane & die optime diſtinguunt objecta: ſuperveniente hæmorrhagia narium, tres ſponte ſanati.

Surditas. Obſerv. 3.

Parochus loci dicti *Myons* in Delphinatu, tribus milliaribus a Lugduno, a plurimis annis tam ſurdaſter, ut officia ſua, præſertim pro confeſſione, amplius adimplere non poſſet. Varia tentaverat remedia ex conſilio celebrium medicorum, ſed fruſtra. Cum perſpicillo aures trutinando, inveni obſtaculum cum dolore: ex utraque aure extraxi obturaculum durum ſeu cerumen ſpiſſatum. Ab hac hora, acuto auditu ſicut juvenis lætus fruitus eſt anno 1787. Mortuus eſt, anno 1789, peripneumonia catarrhali prorſus neglecta.

Virginem annorum 30 natam noſco, quæ ſurdaſtra evadit, quotieſcumque coryza laborat. Sanata coryza, diſſipatur ſurditas.

Surditates obſervavi aliquoties poſt ſolutionem febrium acutarum: quæ, recuperatis viribus, ſponte evaneſcunt.

Poſt otitim ſuppuratione terminatam, ſurditas inſanabilis ſupervenit, quam ſæpe obſervavimus.

Anorexia. Obſerv. 4.

Vir 40 annorum, ruſticus, laboribus nimis debilitatus, temperamenti ſicci ac cholerici, vexatur inappetentia cum diarrhœa, doloribus coli, laſſitudinibus : macer eſt valde, cutis faciei ſublutea, etſi conjunctiva alba ; lingua nitida apparet ; rariſſime vomit. Diarrhœa ſubſecuta eſt, poſt duo draſtica a chirurgo data. Æger dicit ſemper fuiſſe macrum valde : pulſus durus plenuſque apparet. Suaſi frictiones, ſtomachica, terram catechu, cum extracto juniperi, potum chocolatæ, ptiſanam ſaponariæ. Quid ſit morbus difficile eſt aſſerere : videtur tamen anorexia ab obſtructionibus incipientibus. Sanatus eſt, vix uno elapſo menſe.

Anorexia. Obſerv. 5.

Juveni annorum 30 nato præſcripſi jalapæ grana 18, panaceæ mercurialis grana ſex; nullam expertus alvi evacuationem. Iterum hoc remedium ſumpſit : nullam expertus fuit evacuationem ; anoxeria laborabat, languebat appetitus, erant ructus. Frictionibus ventris nuda

manu peractis, extractis amaris gentianæ, diæta tenui ſanus evaſit.

Anorexia. Obſerv. 6.

Mulieri anorexia, laſſitudine, vomitu vexatæ dedi 20 grana jalapæ cum ſaccharo : optime abſque doloribus purgata, & ab omnibus malis liberata. Bis pulverem noſtrum voravit.

Anorexia ophthalmiæ chronicæ ſanatæ ſuperveniens. Obſerv. 7.

Virgo, annorum viginti nata, diu ophthalmia cum lacrymatione vexata, cauterio ſanata : nunc anorexia cum anxietatibus, mœrore afficitur; digeſtionis tempore, inflatur ventriculus. Extracto juniperi cum bolis extracti ſaponariæ ante elapſum menſem fuit ſanata. Frictiones ventris manu nuda fuerunt mane & veſperi peractæ.

Tremor a nimio uſu ſpiritus vini. Obſerv. 8.

Plurimos vidi juvenes in Polonia trementes abuſu aquæ vitæ, &, quod ſingulare eſt, ut ceſſet tremor, debent bibere hunc liquorem; ſed, peracto illius effectu, iterum tremunt. Miles mihi fuit præſentatus, tremens valde hoc principio. Dato cyatho magno aquæ vitæ, ceſſavit

tremor, vixque hora una elapſa, iterum rediit. Vivit adhuc miſer, 1780. Fine anni, fortius & perpetuo convellitur: attamen ambulat.

Apoplexia lactea. Obſerv. 9.

Pulcherrima mulier, 18 annorum nata, poſt partum laborioſum tertia die, ſubito poſt atrocem capitis dolorem manſit attonita ſine ſenſu, quaſi profundo ſomno detenta. Carnes erant molles, floridæ, membra flexibilia, pulſus plenus, evolutus, reſpiratio frequens, mammæ depreſſæ, flaccidæ, quæ ante paroxyſmum erant tenſæ, ingurgitatæ; lochia ſuppreſſa; nec audiebat, nec loquebatur. Præſcripſi venæ ſectionem, veſicatoria, enemata cathartica, ſed fruſtra: pertinaciter manſit in hoc ſtatu ægrota, quatuor integris diebus. Omnes tanquam mortuam dereliquerunt; ego autem non prorſus amiſi ſpem. A 3 die ad 4, perpetuo applicavi ſuper mammas & prope vulvam in femore cucurbitulas ſiccas. Die 4, parum fluxerunt lochia; 5, mammas turgefactas lætus vidi, lacque fundentes in cucurbitula; movit pedem ſiniſtrum; veſperi, brachiorum motus fuit peractus; clamavit 6 die, agnovit amicam & nominavit; 7, manducavit cum appetitu. Sumpſit catharticum; lac fluebat ex mammis & cum lochiis, & urinæ ſedimentum

copioſum album deponebant: tunc vivebat, ſed adhuc omnes facultates animi erant obliteratæ. Immemor erat ſtatus præcedentis; amiſerat plenarie memoriam, nec cognoſcebat nomina rerum vulgatiſſimarum, nec unam litteram legere poterat; quos amabat, tantum nominabat; ſed calceos, veſtimenta nomine proprio deſignare non poterat; iterum per ſex integros menſes nomina rerum ediſcere coacta fuit; erat quaſi fatua, imbecillis; paulatim evolutæ fuerunt animi facultates: prima imaginatio, cum affectionibus cordis; ſecunda memoria; tertia judicium; ſenſim priſtinam ſanitatem recuperavit: nunc viva & robuſta, anno 1790. Ægrotavit 1774.

Apoplexia. Obſerv. 10.

Homo ſexagenarius apoplexia mortuus eſt, paucis horis ab inſultu: die ſequenti, examinavimus cerebrum; pia mater quaſi injecta erat, dura fortiter oſſibus cranii adhærebat; ventriculi cerebri erant abſolute infarti ſanguine conglomerato, nigro, ſpiſſo; nullum ſerum apparuit.

Alium hac hieme vidi apoplecticum: valde erat pinguis; ſtertor erat; reſpiratio profunda, cum molimine; pulſus plenus, facies inflata, rubra: mortuus eſt. Aperto cadavere, ſimilia vidimus, ſeu ſanguinem coagulatum in ventriculis.

Apoplexia. Obſerv. 11.

Strenuus potator, 60 annorum natus, apoplecticus poſt quaſdam debilitates factus. Facies erat rubicunda, pulſus plenus, ſtertor: poſtridie moritur.

Apoplexia. Obſerv. 12.

Mulierem, 45 annorum natam, temperamenti obeſi, vidi 20 aprilis, ore diſtorto, brachio dextro quaſi reſoluto, difficillime loquentem, dolorem capitis maximum patientem. Hæc omnia, vix elapſis duabus horis, poſt ſumptionem tartari emetici ſine conſilio potati, propter oris amarorem, appetitum dejectum, curata fuit feliciter. An apoplexia incompleta? Venæ ſectione, enematibus draſticis, aromatibus, veſicatoriis fuit ſanata.

Puella, 18 annorum nata, poſt atrocem dolorem capitis a ſuppreſſione menſtruorum, mortua in lecto reperta. Facies erat livida, cærulea, tumefacta. Aperto cranio, ventriculus ſiniſter cerebri plenus ſanguine coagulato. Grodnæ, 1778.

Decem annotationes apoplexiarum ſanatarum in Adverſariis invenio. Uno exemplo pateat methodus noſtra. Dominus Martin, Lugduneus, 48 annorum natus, a 4 horis ſine ſenſu apoplexia

ſideratus : pulſus plenus, evolutus, reſpiratio diffi-cilis, ſtertoroſa. Ampla miſſione ſanguinis peracta, hirudines applicavimus decem in collo ; ſyna-piſmos præſcripſimus in planta pedum, enemata purgantia. Die ſequenti, loquebatur, ſed parum diſtorto ore ; maſtichando ſæpe quaque die ra-dicem pyrethri & infuſionibus arnicæ montanæ potis, ſanus plenarie evaſit, ſanuſque vixit abſque recidiva a 6 annis. Alius mihi vicinus leviori apoplexia fulguratus, hæmorrhagia narium liberatus : ſupervenit paralyſis faciei unius la-teris ; varia præſcripſi quæ neglexit. Sanus tamen fuit & manſit.

Paralyſis. Obſerv. 13.

Anno 1782, Vilnæ, ſuperior Miſſionariorum, homo pius & ſobrius, 55 annorum natus, diu ſtudiis minium fatigatus, labe ſcorbutica af-flictus, vix dyſenteria ſanatus aſtringentibus lenioribus, poſt vehementem iram hemi-plegia ſeu paralyſi dextri lateris percutitur, prægreſſis vertiginibus repetitis : vox impedita diu manſit, ſpatio duorum menſium, electriza-tione evidenter ſublevatus : nunc poteſt movere pedem & brachium paralyſi relaxatum. Ambulat baculo innixus. Sed quando prima vice locutus eſt, rem digito indicatam alio nomine deſig-

nabat. præſcripſimus valerianam ſilveſtrem quaque die ad quatuor drachmas, maſtichationem radicis pyrethri.

Paralyſis; cæcitas intermittens. Obſerv. 14.

Puella, ſex annorum nata, quaque data occaſione, quovis novo objecto præſente, luget; tumidus ac durus ſtomachus apparet; brachium ſiniſtrum, ejuſdem lateris crus difficile moventur; appetitus non viget: an paralyſis imperfecta ex obſtructione glandularum meſenterii? brachium & crus ægrotantia frigidiora ſunt ſanis; eadem puella, hora octava poſt meridiem, nihil videt. Hoc ſymptoma durat per unam horam; pupilla dilatata valde; dolor adeſt capitis ante cæcitatem: veſicatoria curarunt cæcitatem.

Paralyſis. Obſerv. 15.

Mulier, ſexaginta ſex annorum nata, a duobus annis ſemiparalytica in lecto jacet, appetitu valido; vere præſente, minuitur appetitus; adeſt febris lenta; bis purgata fuit; ſed nec evacuantia, nec roborantia & ſtomachica appetitum moverunt: debilitas augetur; ſupervenit difficultas reſpirandi, oedema pedum: mortua eſt. Prædixi mortem eminentem ex deglutitione: liquida cadunt quaſi in puteum; hæc eſt imbecillis,

memoria nulla, ultimis diebus cæca. Apertura cadaveris, in ventriculis magnam quantitatem ſeri luteſcentis invenimus. Simile in baſi cranii; totum cerebrum molle, quaſi maceratum ſero.

Paralyſis ſponte ſanata. Obſerv. 16.

Puella, 18 annorum nata, temperamenti ſanguinei, poſt ſuppreſſionem menſtruorum a terrore, anorexia cum anxietatibus laborabat. Chirurgus emeticum præſcribit: magno conatu aquam epotam bibit; eadem die, vertiginibus creberrimis vexatur, ſubſequente hemiplegia lateris ſiniſtri. Diu in hoc ſtatu manſit; tandem, poſt ſex elapſos menſes, menſtrua ſponte reſtituta fluxerunt copioſe. Ab hac die, motus brachii & femoris reſtitutus. Vidi eam anno ſequenti floridam & ſanam. Lugduni 1769.

Debilitas crurum in infante. Obſerv. 17.

Infans, duorum annorum & ultra natus, tam debilis cruribus, ut nullo modo ſuper ea ſuſtineri poſſit: facillime convellitur ac ſudat. Eſt debilitatis ſpecies communiſſima Lugduni apud infantes; non eſt paralyſis, quia ſi cubant, facillime movent crura & femora. Pallidus eſt

& macer ; cutis parum calida. Mortuus eſt. Apertura cadaveris, plurimos tumores in meſenterio invenimus a mole avellanæ ad molem pomi : durus erat venter & tumidus.

COLLECTIO NONA.

CACHEXIÆ.

Phyſconia. Obſerv. 1.

PUellula, nomine Delphin, quatuordecim menſium, male nutrita a nutrice prægnante, ventrem exhibet durum; pedes, brachia, et facies œdematoſa, color vultus pallidus, & luteus; adeſt ſumma virium proſtratio; nullo modo ſuſtineri poteſt pedibus; dolens ſæpe clamat. Præſcripſi purgans ex jalapæ granis ſex cum ſaccharo, quo optime evacuatus: poſt hæc, dedi pluribus vicibus grana quatuor nitri, quibus copioſe minxit. Inde evacuatis ſeroſis aquis, bis quaque ſeptimana mane in juſculo ſumebat ſalis rupellenſis drachmam unam; diætam indicavi lacteam, ambulationem ruſticam; balnea præſcripſi: unde convaluit. Conſtipatæ ſæpius enemata ſuaſi. Lugduni 1775. His diebus vidi puellam robuſtam 1790.

Phyſconia purulenta meſenterica. Obſerv. 2.

Anno 1779, 25 auguſti, in noſocomio Grod-

nenſi, homo, 30 annorum natus, exhibuit tactui tumorem renitentem verſus hypochondrium dextrium. Infra cartilaginem xiphoidem alter tumor ſentiebatur, ovi gallinacei magnitudinis. Vomitus erat frequens; vix vigebat appetitus; gaſtrodiniæ poſt eſcam frequentes, diarrhœæ continuæ, mane præſertim, chyloſæ feces, macies magna; nullum expertus erat dolorem in parte affecta, ſeu tumores indolentes. Fruſtra aperientes ptiſanæ præſcriptæ: poſt 15 dies ab ingreſſu in noſocomium placide expiravit. Cadavere aperto, vidimus nullum vitium in hepate; tumores duo meſenterium occupabant, unus major diametri ſex pollicum. Inciſione peracta, pus ſpiſſum emanavit; parietes tumoris craſſitudine trium linearum, denſi, duriſſimi.

Phyſconia. Obſerv. 3.

Anno 1782, Vilnæ, vidi Judæam phyſconia laborantem, 40 annorum natam. Portentoſum eſt abdomen, durum; nulla ſentitur fluctuatio: macra, ſed viget appetitus. Poſt partum laborioſum ſic paulatim, a ſex annis, crevit abdomen ad circumferentiam trium ulnarum. Urinæ fluunt; non eſt conſtipatio alvi. Similem ventrem, ante viginti annos, vidi in monaſterio Bernardinarum Lugduni: monacha illa portabat

talem a 25 annis. Nunc analogum video Lugduni : iſta a 12 annis ſat florida, pinguis. Anno 1786 juvenis mulier, 30 annorum nata, phyſconia laborabat, poſt ſuppreſſionem menſtruorum : tumor mole caput referebat ; ſic crevit ſpatio unius anni ; vix erat dolor tempore incrementi ; ſed ſupervenerunt colicæ atroces, poſt quas e vagina fluxit magna quantitas ſeri purulenti : ſic ſponte ſana evaſit.

Epiploon oedematoſo-ſcirrhoſum. Obſerv. 4.

Die 2 novembris 1778, coquus comitis Tyzenhauzen, ebrioſus homo, tali modo ebrius erat, ut ſe ſuſtinere non potuit ; cecidit altitudine octo pedum, in foſſa madida, mane mortuus repertus, in noſocomium tranſlatus. Exenterationem peregi. Erat homo pinguis ; inter cutem abdominis & muſculos pinguedinis ſtratum vidi craſſitudine duorum pollicum, omentum valde pingue, globulos pinguedinis innumeros, nucis magnitudine, exhibuit ; parte infima adhærebat in dextro latere cum inteſtino, ſcirrhoſa parte craſſitudine ovi ; carnoſus erat hic tumor ; inteſtina quaſi pulchre injecta, fuſcum exhibebant colorem ; bene vaſa lactea apparebant etiamſi non numeroſa, unum vas inter duo vaſa ſanguifera repebat inter la-

minas meſenterii ; hepar maximæ molis multum extendebatur , quam ſolito in hypochondrio ſiniſtro ; fiſſura profundior erat quam in ordinariis ſubjectis ; cordis lacerti innumeri cum tendinibus auriculæ ſiniſtræ ſaccum ſpecialem formabant ; magna quantitas adipis involvebat baſim cordis , & extendebatur ad apicem ; in hoc ſubjecto major erat capacitas ventriculi ſiniſtri quam dextri ; numeroſiores lacerti in dextro , ſed tenuiores.

Scirrhus lienis. Obſerv. 5.

Nobilis Polona, poſt partum hæmorrhagiam uteri experta : fluxus aqua frigida ſuper hypogaſtrium inſperſa fuit ſupreſſus : ab hoc tempore doloribus in hypochondrio ſiniſtro excruciatur ; ſunt dolores intermittentes ; lien mole auctus & durus tactu apparet ; adeſt etiam tuſſis , facies tamen florida ; bis ab hoc tempore paturiit. Mortuam his diebus nunciarunt poſt tertium partum , tribus annis poſt hanc obſervationem. Grodnæ.

Tumor inguinis. Obſerv. 6.

Juvenis annorum triginta natus , tumorem durum offert in regione hypogaſtrica lateris ſiniſtri prope os ileon : premendo ſentitur tumor

infra muſculos magnitudinem mali referens. An ſcirrhus textus cellularis peritonæi.

Obſtructiones. Obſerv. 7.

Anno 1784, dominus Pernetti, advocatus in urbe *Villefranche*, 4 milliaribus a Lugduno, a me conſilium petiit: vir, 40 annorum natus, temperamenti bilioſi, macilenti, magnæ ſtaturæ, lateris ſiniſtri debilioris, brachio & femore tenuioribus, meditationibus, ſedentariæ vitæ aſſuetus, cæterum baccho & veneri nimium favens: nunquam febricitavit; anno ætatis 6, variolis laboravit; hæmorrhagiis narium a 15 ad 20 frequentibus obnoxius, præcedente cephalæa, præſertim apertura narium ſiniſtra; a 20 anno ad 30, hæmorrhoidibus fluentibus afflictus; quibus ſuccedit fiſtula ani, qua, operatione peracta, liberatus fuit anno ætatis 36. Paulo poſt, ſequentia expertus eſt ſymptomata: appetitus languet; borborygmis, inflationibus ventris vexatur; vertigines, vigente ventriculi tumefactione, qui evaneſcunt poſt eructationes; anxietates præcordiorum; pulſationes arteriarum in regione epigaſtrica frequentes; palpitationes cordis initio digeſtionis & nocte, dolores recurrentes in regione umbilicali; a menſe uno, ſudores nocturni; laſſitudo magna poſt levem am-

bulationem; anhelitus, dolores pectoris frequentes, niſi ſummo labore cubans ſuper latus ſiniſtrum; plerumque etiam, furente canicula, pedes frigidi, ſpeciatim femur ſiniſtrum; facies pallida, depreſſa; oculi colore luteo tincti, præſertim ad angulum internum. Celebris medicus Lugduneus irritabilitatem nimiam unice perſpiciens, anodyna & mucilaginoſa, nec non balnea præſcripſit; alter cataplaſmata oryzæ ſuper ventrem: enulæ campanæ morſulos, juſcula pulli gallinacei: nos mortem futuram certam pronunciantes, cardiaca lenia, aromatica, amara commendavimus. Vix elapſis duobus menſibus, hunc in urbe *Villefranche* viſitavimus: invenimus œdematia univerſali detentum cum anhelatione maxima, pulſu celeri intermittente, parvo: eadem die mortuus eſt: viduam juvenem cum octo infantibus relinquens, quorum junior vix biennis.

Obſtructio. Obſerv. 8.

Fumus tabaci cum exceſſu nocet Polonis; tres jam vidi eodem morbo correptos; dolor in regione lienis cum ſenſu ponderis; tuſſis ſicca abſque ſputo; reſpiratio difficilis.

Obſtructio. Obſerv. 9.

Frequens malum in Lithuania malum hypochondriacum, obſtructionibus præſertim lienis

ſtipatum : principium futuræ aſcitis, qua plurimi moriuntur Lithuani.

Obſtructio. Obſerv. 10.

Nihil frequentius Lugduni morbis a viſcerum obſtructionibus ortis; centum ſaltem in noſocomio ſecavi, aut ſaltem adfui ſectioni cadaverum hominum morbis chronicis mortuorum; ſemper invenimus jecur granuloſum, arenoſum, durum, aut lien ſcirrhoſum aut pancreatem induratum. In obſtructionibus recentibus utiliora medicamenta aut auxilia ſunt frictiones ventris, pilulæ ex foliis chelidonii majoris cum mucilagine. Numeroſos hoc remedio ſanavi ægrotantes: in hoc caſu, diæta ſit levis; manducent ſæpe ſæpius fercula cum taraxaco, cichoreo; moderatus ſed continuus motus corporis. Vix unum ruſticum inveni obſtructionibus laborantem : tales morbi ſequelæ certæ vitæ ſedentariæ.

Leucophlegmatia. Aneuriſma cordis. Obſerv. 11.

28 ſeptembris 1785, Lugduni, mortuus fere ſubito dominus Knafouſſe, 35 annorum natus, affectione hypochondriaca a duobus annis laborans. Temperamentum ſanguineo-bilioſum, facies pallida, triſtis, vita ſedentaria; ſpaſmodicis motibus obnoxius. Aprili 1785, dolor

atrox capitis, dolor pertinax in hypochondrio dextro; a menſe aprilis facies luteſcens, reſpirandi difficultas, oppreſſio minimo motu, anxietates, dolor obſcurus in regione cordis, ſæpe ponderis ſenſatio in regione epigaſtrica, appetitus diminutus, ſitis nulla, ſat pacata digeſtio, excrementa dura, conſtipationes frequentes, pulſus renitens, durus, ſæpe intermittens, arteriarum frequentes pulſationes in regionibus hypochondriacis & epigaſtrica; ſæpe dolor magnus in regione epigaſtrica cum tumefactione; proſtratio magna virium, macies, ſubſequente œdematia faciei, brachiorum, præſertim crurum. Gravia ſymptomata evoluta a menſe aprilis ejuſdem anni. Stans prope feneſtram 28 ſeptembris, lypothymia correptus, vix tranſlatus ſuper lectum, placide expiravit.

29, apertura cadaveris peracta, ſequentia obſervavimus: inteſtina tenuia, rubra quaſi phlogoſi affecta, tectus celluloſus epiploi, meſenterii, ventriculi, bullis innumeris aëris turgidus erat, ſeu emphyſematoſus; in ventriculo vaſa numeroſa valde dilatata apparuerunt craſſo ſanguine infarta; nulla ſeroſitatis extravaſatio in capacitate imi ventris; lien mollis, major, in cellulis aërem elaſticum includens; pancreatis ſtatus naturalis; jecur volumen ſervans ſani, tota facie convexa, cum diaphragmate adhæ-

rebat fibris breviſſimis, rubris, vix dilacerandis; veſicula hepatis in textu celluloſo œdematoſa, ochraceo colore tota tincta, innumeras aereas bullas continebat; pulmonis lobus dexter tota ſuperficie cum diaphragmate, pericardio mediaſtino, pleuræ adhærebat laminis adnexis textus cellularis denſiſſimis, & cum pericardio filis breviſſimis rubris: unde in latere dextro corporis jecur, lobus pulmonis, maſſam contiguam conſtituebant; pulmonum lobus ſiniſter ſuperiori tantum parte cum pleura adhærebat; duo lobi denſi, nigri, tumefacti, quaſi infarti; apex pericardii veſiculis aëre turgidis onuſtus; in cavitate pericardii uncia una ſeri caſtanei coloris; in capacitate pectoris inter pleuram & lobum ſiniſtrum pulmonum libræ duæ ſeri fœtidi, luteſcentis, emanarunt; auricula cordis dextra, ſeu anterior valde dilatata apparuit; ventriculus dexter, ſeu anterior duplo major quam in ſtatu ſano, ſeu dilatatus; parietes illius ſero ingurgitati, molles erant, & tenuiores; vena cava aſcendens maximi diametri ſeu dilatata valde; arteria pulmonalis diametri ſextuplo majoris quam in ſtatu ſano: in cerebro nihil contra naturam.

Œdema pedum. Obſerv. 12.

Die 13 maii, Jacobus Kondratowiez, juvenis 14 annorum natus, laborabat in noſocomio tu-

mefactione pedum oedematoſa ; tibiæ ad genua erant inflatæ ; tactæ , ſervabant impreſſionem digitorum ; cæterum ſanus ; appetitus vigebat : purgatus fuit ſex drachmis ſalis ebſamenſis , quo ſeptem vicibus fuit copioſe evacuatus , bibitque ptiſanam nitratam abundanter , quæ evidenter fluxum urinæ adauxit. Sanus dimiſſus 16 maii 1778 , ex noſocomio Grodnenſi.

Œdema infantis. Obſerv. 13.

Infans quatuordecim menſium natus , pallidus oedematoſus ſcroto & cruribus ; nullo modo ſuſtinere poteſt pedibus corpus. Victima malæ nutricis. Centum tales obſervationes proponere poſſem.

Œdema poſt febres. Obſerv. 14.

Nonnulli poſt febres intermittentes œdematoſi fuerunt : ſed œdema ſolo motu , nullo adhibito remedio , diſſipatum fuit.

Leucophlegmatia. Obſerv. 15.

Lugduni , anno 1786 , homo excelſæ ſtaturæ , 30 annorum natus , poſt diu toleratam febrem tertianam in Delphinatu , petiit Lugdunum. Erat proſtratio virium , appetitus nullus , œdematia faciei , brachiorum , femorum , evidens

fluctuatio in ventre, minimo motu peracto, reſpirario anheloſa. Frictiones præſcripſi cum linteis, infuſo aromaticarum plantarum in vino; ſex vicibus quaque die bolum trifolii febrini extracti vorabat; tot vicibus vini abſinthii cyathum parvum bibebat; præterea, lagenam unam potavit ptiſanæ ex radice pimpinellæ albæ cum ſale glauberiano; mane & veſperi bolum ex ſex granis æthiopidis mineralis cum conſerva roſarum. Poſt 12 dies, febris paroxyſmi recruduerunt: ſeptem tales toleravit, non intermiſſis remediis recenſitis. Toto hoc tempore urinæ copioſæ, diarrhœa frequens, ſudores poſt quemque paroxyſmum. A 3 ad 4 paroxyſmum, jam nulla œdematia; ſanum dimiſimus poſt 40 dies. Vidimus anno ſequenti robuſtum & hilarem. Natus in Flandria, director erat fabricæ in urbe dicta *St Vallier*.

Hydrops. Obſerv. 16.

Nobilis, ebrius ſemper, annorum 50 natus, hydrope laborat; a menſe uno adeſt difficultas reſpirandi; nunciavi mortem: mortuus poſt octo dies a conſultatione. Grodnæ.

Hydrops purulentus. Obſerv. 17.

In noſocomio noſtro Grodnenſi homo per ſex menſes ſicut hydropicus tractatus fuit. Venter

erat tumidus, facies pallida, ſed extremitates ſiccæ; umbilicus ſponte aperitur; octo libræ ſinceri laudabiliſque puris evacuantur; die ſequenti, palpebræ tumidæ apparent, oculi inflati; vix 7 diebus elapſis ab hac inflatione, moritur æger. Apertura cadaveris, agglutinata inteſtina ſtriis rubris invenimus in magna quantitate puris ſpiſſi, macerata, rubra.

Hydrops pectoris. Obſerv. 18.

Mulier, 72 annorum nata, obeſa valde, vitæ ſedentariæ dedita, cubiculum humidum habitans, brachium ſibi fregit. Elapſo proximo anno fracturæ, optime convaluit: nos, quatuor medicos, menſe maio, conſulit. Facies eſt pallida, flaccida, tumidula; manus œdematoſæ parum; pedes tumidi, frigidi; cutis in his membris impreſſionem digiti præmentis ſervat; anhelat, adeſt difficultas horizontaliter cubandi, oppreſſio pectoris, minimo motu oppreſſio ſuffocativa vexat ægrotam; pulſus celerrimus, etiamſi parvus & intermittens, ſingulari modo; urinæ parum fluunt. Videtur hydrops pectoris: cathartica, diuretica fuerunt præſcripta. Sed urget mors; jam oſtia pulſat, juxta noſtra obſervata. Urina ſpumoſa, feces bilioſæ & putridiſſimæ. Mortua eſt, vix elapſa una ſeptimana a conſultatione. Lugduni.

Hydrops pectoris. Obſerv. 19.

Vir, ſeptuaginta annorum natus, ruſticus, laborat difficultate reſpirandi, oppreſſione valida quando ambulat, aut horizontali ſitu decumbit; pedes ſunt œdematoſi, facies ſublutea. Hydrops pectoris, morbus frequens in hac urbe Lugdunea, ſicut patet ex obſervationibus noſtris.

Hydrothorax. Obſerv. 20.

Nobilis ſexagenarius, poſt febrem acutam, difficultate reſpirationis affligitur; vix quieſcere poteſt inclinato corpore: tunc oppreſſio ſuffocans, cum palpitatione cordis, cogit erigere truncum; pedes inflati, œdematoſi. Hydrops pectoris. Fruſtra cauterium apertum, fruſtra diuretica præſcripta: ſupervenit oedematia manuum, deliquia repetita animi: mortuus. Grodnæ, 1776. Apertura cadaveris, invenimus pulmones lividos, maceratos, in magna quantitate aquæ ſeri flaveſcentis; polypus craſſus, magnitudine nucis, infixus erat in ventriculo ſiniſtro; arteria pulmonalis dilatata valde.

Leucophlegmatia. Obſerv. 21.

Dominicanus, 40 annorum natus, ſanguinolentus & robuſtus, abuſui ſpiritus cereviſiæ de-

ditus, a pluribus menſibus hydrope laborabat. Non ſolum venter repletus erat inter cutem & muſculos abdominis, ſed ſcrotum, penis, brachia, femora, pedes, miro modo erant oedematoſa; cæterum vera ſentiebatur fluctuatio in abdomine, anxietas maxima, ſed facies nec oculi infartum viſcerum nuntiabant. Præſcripſi & ſuaſi inciſiones; fuerunt peractæ in tibiis, pedibus, pene; ſentit dolorem atrocem ægrotans, quando cutis penis fuit ſcarificata; die ſequenti, aquæ tanta quantitate fluxerunt, ut diminutio viſibilis anaſarcæ apparuit: ſcilla cum ſale alkali tartari fuit præſcripta, poſt cujus uſum urinæ fluxerunt. Sic ſanatus ægrotans, jam deſperatus: ſed, ſicut prævidimus, ſupervenit gangræna in digitis pedum, quæ fuit cito decocto abſinthii profligata. Nunc plenarie ſanus æger. Grodnæ, 1779.

Aſcites purulenta. Obſerv. 22.

In noſocomio Lugdunenſi 1784, ſeptembris 5, Eliſabetha Fontanel parturiit in urbe, ante duos menſes; poſt partum lochiæ ſuppreſſæ, febris vehemens, tormina ventris, tumefactio ventris, leucophlegmatia, oppreſſio pectoris. Mortua 34 ſeptembris. Aperto cadavere, invenimus vermes ſex lumbricos in capacitate abdominis extra inteſtina, quæ duas aperturas eſchara gangrænoſa

peractas oſtendebant ; natabant inteſtina in fluido albo, puriformi ; epiploon putrefactum, jecur ſanum, uterus mollis, flaccidus, nigreſcens.

Hydrops. Obſerv. 23.

Anno 1781, Vilnæ, Judæa, 25 annorum nata, poſt partum languebat : vix erat appetitus ; proſtrationem virium magnam ſentiebat ; ante partum crurum oedematia magna vexata fuerat ; pallida erat ; ventris ſat magna tumeſcentia ; fluctuatio ſentiebatur ; ſpatio trium ſeptimanarum mane & veſperi ſumebat oxymellem ſcilliticum ; poſt quamque eſcam tincturæ gentianæ cochlear unum bibebat ; bis quaque die frictiones cum lanis infuſione aromatica in vino imbutis, ſuper crura, brachia, ventrem peragebantur : ſic poſt menſem plenarie ſana evaſit.

Icterus. Obſerv. 24.

Juvenis qui diu inter mœrores pulcherrimam puellam amavit, tandem obtinuit illam a parentibus. Vix a paucis diebus potitus : dolor erupit in hypochondrio dextro ; huic ſuccedit icterus, oculos etiam tingens. Medicus quidam, uſui cæcus potius obediens quam genuinis praxeos principiis, nihil ſpaſmodici ſuſpicans, ſaburram accuſat, emeticum præſcribit, purgantia alternis pluribuſque

diebus concedit; omnia in pejus ruunt. Tandem, poſt varias ærumnas vomit æger hydatides, avellanæ magnitudinem referentes, lympham continentes: juxta medicorum allegata, centum tales, tum ano, tum cato, dejicit. Nunc bene valet.

Icterus. Obſerv. 25.

Vice-adminiſtrator œconomiarum in Lithuania, dolorem ſentit in regione hypochondriaca: luteus eſt faciei color, appetitus proſtratus, macies, temperamentum bilioſum obſervatur; vir erat ſedentarius. Mortem nuntio: medicus farraginem præſcripſit medicamentorum. Melius ſe habet æger; ſubridet clinicus. Iterum pronuntio decretum mortis. Poſt menſem apparet abſceſſus in occipite, abſque prævio dolore, cum dolore atroci brachii hujus lateris ſiniſtri; ſperat criſim medicus ordinarius. Iterum nuntio mortem, roganti attamen obtemperans, abſceſſum aperio. Suppuratio inter pericranium & os occipitale, invenitur; poſt 15 dies ab operatione, dolores vexant circa clunes. Nuntio mortem ante 24 horas, mortuus eſt pacate, hora octava veſpertina hujus diei. 1776, Grodnæ.

Icterus. Obſerv. 26.

Juvenis 15 annorum natus, melancholicus a plurimis

plurimis menſibus, tandem ictero laboravit: facies & tota cutis ſaturate luteæ, albugo oculorum etiam erat tincta; duravit icterus per duos menſes: abſque remedio fuit ſanus, curante ſola natura. Sæpe ſæpius hic morbus mere ſpaſmodicus. Vidi Lugduni, 1787, hominem, quadraginta annorum natum, ictero laborantem: facies, nec non cutis totius corporis, cum albugine oculorum, ſaturati erant coloris lutei; urinæ eodem tingebant lintea; dolor recurrens in regione hypochondriaca dextra, excrementa cinerea, nullus appetitus, ſed vix debilitas virium: cataplaſmata ex oryza cocta, die & nocte ſuper ventrem apponere juſſi; ptiſanas mucilaginoſas, enemata ex foliis malvæ præſcripſi. Hac ſimplici methodo perfecte ſanus, vix elapſo uno menſe.

Eruptio a menſtruis ſuppreſſis. Obſerv. 27.

Puella, tredecim annorum nata, jam menſtruata poſt intermiſſionem fluxus, capitis & manuum inflationem experta fuit cum rubedine: durat quaque die inflatio per quinque horas; poſtea ſubſedit rubor, vixque apparet tumefactio. Cito menſtruata propter luxuriam.

Virginem nunc video, viginti annorum natam, temperamenti ſanguinei, quæ quolibet fere menſe poſt menſtrua tales inflationes eryſipelatoſas in

facie, brachiis, tibiis experiebatur, quæ poſt aliquot dies ſponte ſanabantur. Suaſi ut poſt menſtrua hirudines applicaret ſuper faciem internam ſemorum. Conſilium ſecuta, ab hac applicatione una tantum vice, levem inflationem rubram labiorum experta eſt, ſcilicet poſt elapſos duos annos.

Icterus a calculis veſiculæ hepatis. Obſerv. 28.

Domina Blanc, Lugdunea, annorum 37 nata, a duobus annis gaſtrodine atroci cum vomitu, ſpaſmis, anxietatibus vexata, ictero ſaturati coloris tribus menſibus ante mortem defœdata fuit. Tumor ſentiebatur in regione epigaſtrica, macies ultimo menſe ſtupenda, dejectiones nigræ, aſcites, fluctuatio aquæ. Apertura cadaveris, ſerum copioſum fœtidum in imo ventre ad ſex lagenas effluxit; veſicula fellis magnitudine pyrum hibernum referebat, nigræ bilis cyathum continens, includens quinque calculos magnitudine nucis, anguloſos, luteos, leves propter concamerationes interiores. Ventriculus ſcirrhoſus in tota ſuperficie, cujus parietes craſſitudine unius digiti, præſertim prope pilorum; duo ulcera fœtidiſſima nigra prope pilorum, meſenterium ſcirrhoſum, tuberculis planis totum obſitum, quorum plurimi craſſitudinis pollicis. Lugduni, auguſto 1787.

Calculi fellei. Obſerv. 29.

Dominus St Ion, 50 annorum natus, diu gaſtrodinia, ſeu potius colicis hepaticis excruciatus, tumorem tactui offert parvi melonis magnitudinem referentem, ab imis ſpuriis coſtis ad criſtam oſſis ilei dextri. Fluxus urinæ naturalis, tumor indolens, melancholicus a plurimis annis, facies luteſcens : ab uno, macies gradatim major apparet; crebriores doloris in hypochondrio dextro paroxyſmi; diarrhœa colliquativa ultimo menſe: tandem animi deliquia, mors. Aperto cadavere, in veſicula fellis invenimus calculum oliva paulo majorem, denſum, ponderoſum, diaphanum, totum minimis cryſtallis inclinatis formatum; veſicula contracta, undè minima parietibus tegebat, calculum involvebat; tumor tactu cognitus erat & ren dexter ſtupendæ molis, irregularis, cultello variis ſenſibus inciſus, ſubſtantiam albam quaſi goſſypium contortum carminatum (*cardé*) referebat : expreſſus, fundebat liquorem ſpiſſum album.

Scorbutum. Obſerv. 30.

Die 23 julii, juvenis 20 annorum natus, nomine Theodorus, ſcorbuto laborabat : facies erat ſordida, gingivæ molles ſanguinolentæ,

dolores rheumatiſmales recurrentes ; pulſus frequentior quam in ſtatu naturali. Præſcripſimus præter diætam infuſionem naſturtii pro potu ordinario , gargariſmata cum oxymelle & ſpiritu cochleariæ , decoctum ſaponariæ. 30 die ; petiit dimiſſionem : dolores rheumatiſmales erant diſſipati , gingivæ in meliori ſtatu ; ſed nondum ſanus a ſcorbuto. Ex noſocomio Grodnenſi.

Scorbutum. Obſerv. 31.

Die 24 julii , juvenis 16 annorum natus , nomine Romanus , ſcorbuto laborabat : febris ſat valida cum pulſu frequenti , reſpiratione fœtidiſſima ; plurimæ maculæ nigreſcentes in ſuperficie corporis obſervabantur. Poſt unam purgationem ex manna , moderata febri uſu ptiſanæ nitratæ , præſcripſimus ſuccum naſturtii dilutum cum oxymelle , gargariſmata ex ſpiritu cochleariæ. 31 auguſti , petiit dimiſſionem : maculæ deletæ , gingivæ ſolidiores vix fundebant ſanguinem ; halitus oris vix fœtidus. Ex noſocomio Grodnenſi , 1779.

Scorbutum. Obſerv. 32.

In Lithuania plurimi gingivis ſanguinolentis mollibus laborant. Externi etiam hanc ſcorbuti ſpeciem patiuntur. Iſti brevi tempore amittunt magnam partem capillorum.

In ſcorbuticis variolæ, febres continuæ, & remittentes periodos ſuas percurrunt, & evacuationes criticas regulares exhibent. Sæpe poſt hos morbos labem ſcorbuticam emendatam vidi.

Saliva muriatica. Obſerv. 33.

Mulier ſexagenaria a quinque annis ſalivam habet vere muriaticam; ſalem marinum pro condimento reſpuit; calor oris ac pruritus vexat. Febris putrida hoc incommodum non ſuſtulit.

Saliva ſaccharata. Obſerv. 34.

Novi puellam, 18 annorum natam, cujus ſaliva ſemper omni tempore, præſertim matutinis horis, ſacchari puri ſaporem evolvebat; iſta tamen vix ſaccharum deguſtabat.

Plica polonica. Obſerv. 35.

In noſocomio plica magna, quatuor libras ponderans, fuit amputata. Secti capilli, tali modo contorti & agglutinati, ut nidum picæ referebant; nullum ſymptoma ſubſecutum eſt; etiam poſt ſex menſes ſanam vidi puellam.

N. B. Simplex erat plica ab immunditie; nec rheumatiſmi dolores, nec cephalæa, nec

oſteocopus præceſſerant, bulbi capillorum nullo modo ſanguine nigro fœtido infarti. Sæpe ſæpius hanc ſpeciem plicæ amputavi. Poloni majorem oleoſi humoris ad radicem capillorum fundunt: unde plerumque exhibent faſciculos pilorum agglutinatorum. Quinimo præjudiciis obcæcati, in hoc caſu, cum oleoſis illiniunt capillos: unde facilius intricantur.

Plica polonica. Obſerv. 36.

Prope urbem Brzeſc vidi mulierem nobilem, quadraginta annorum natam, plica laborantem: erat levis capillorum conglutinatio, dolores erant in artubus, leucorrhœa, tuſſis; credidit eſſe phthiſicam. A tribus menſibus affixa in lecto manebat. Diſſipatis ratiocinatione mea terroribus, poſtridie dereliquit ſtratum, & ſat vegeta fuit. In eadem femina, periodicis temporibus, digiti lutei fiunt; durat color per aliquot dies, poſteaque ſponte evaneſcit.

N. B. Fere ſemper cum plica polonica conjunctos rheumatiſmi dolores invenio.

Plica polonica. Obſerv. 37.

Vidi Grodnæ, 1779, virginem, annorum viginti natam, a tribus annis plica polonica laborantem: ſæpe rheumatiſmum dextri lateris

paſſa eſt. Ab iſto tempore vix pedem movere poteſt ; hujus lateris vere capilli agglutinati unam maſſam conſtituunt. In iſta bulbi capillorum vere tumefacti & infarti ſanguine atro fœtido ; plicæ odor ſingularis , proprius.

N. B. Raræ ſunt nunc plicæ in Polonia ; ſedulo ſpatio octo annorum percunctando , ſex tantum veras invenire potui.

Phthiſis ſanata in caſtrato. Obſerv. 38.

Juvenis caſtratus , viginti annorum natus , libidini , vino paululum deditus , cholericus , etiamſi temperamenti ſanguinei , ex Italiæ Neapoli , a duobus annis in Lithuaniam tranſlatus , curis variis propter mores loci vexatus , tuſſi corripitur , dolore pectoris ſtipata ; adeſt oppreſſio , reſpirandi difficultas ; durant iſta tribus menſibus : tum poſt tuſſim , horis præſertim matutinis poſt ſomnum , ſputa exſpuuntur rotunda , craſſa , luteo-alba , ſaporis ſalſi & fœtorem redolentia ; macies parum augetur cum debilitate artuum & melancholia : omnibus examinatis , diætam tenuem , lacteam præſertim , determino , fugatis ferculis , vino , caſæo , ptiſanam pectoralem cum opiatis & balſamicis commendo ; cauterium in brachio aperio. His rite per ſex menſes obſervatis , cum equitatione ,

ſanus fuit : voxque antiqua redit ; pingueſcit juvenis ; nec tuſſis, nec ſputa obſervantur ; vires ſunt validæ. Hæc anno 1776. Adhuc ſanus abiit 1779. Olim eadem methodo bis ſanatus fuit.

Dominus Baudot, eodem morbo excruciatus, cum hæmoptyſi ſæpius repetita, eadem methodo, etiamſi frequentes recidivæ, fuit ſanatus. Prima ſymptomata apparuerunt anno 1767. Nunc ſanus, 1790. Huic, ad avertendam hæmoptyſim, frequentes neceſſariæ ſunt venæ ſectiones lenes.

Phthiſis. Obſerv. 39.

Mulier, quadraginta annorum nata, quæ decies parturiit, ultima vice, vix quinque elapſis menſibus, tuſſi laborat, oppreſſione, ſputis glutinoſis, coloris lutei virideſcentis, laſſitudine, ardore faucium, debilitate vocis, diarrhœa pertinaci a quatuor menſibus. Una vice tantum a partu menſtruata. An Phthiſis a lacte ?

Phthiſis. Obſerv. 40.

Virgo, triginta annorum nata, coryza diu laboravit : neglexit eam ; nunc adeſt calor urens in pectore, cum dolore inter omoplatas ; ſputa, matutinis horis, ſunt copioſa, glutinoſa, viridia, cum tuſſi ; adeſt poſt aſcenſum oppreſſio notabilis ; pallida eſt, macra ; laſſitudines ſpon-

taneæ vexant eam ; duabus vicibus ſputa ſanguinea exſcreavit.

Phthiſis. Obſerv. 41.

Plurimi in Lithuania phthiſi pereunt, & novi aliquos rapide necatos ; tuſſes ex frigore ſuſcepto, derelinquendo cubicula, fornacibus nimirum calefacta, negligunt incolæ. Ardores pectoris tuſſimque tanquam coryzam tractant. Mox poſt duos menſes ſuppuratio ſupervenit, cum doloribus in pectore, anhelatione, macie, febre, veſpertino tempore, &c. nunquam hæmoptyſim vidi in hac ſpecie.

Phthiſis. Obſerv. 42.

Mulier nobilis, triginta annorum nata, a tribus annis, tuſſi cum ſputo copioſo laborabat. In hoc ſtatu duos peperit infantes robuſtos, & pingues. In ultimo gradu phthiſeos, ſecundum peperit robuſtiſſimum ; quolibet partu, ulcus aperiebatur in una mamma ; clauſo ulcere, oppreſſio major, febris lenta, fortior. Noviſſime mortua eſt.

Phthiſis. Obſerv. 43.

Miles, 25 annorum natus, proceræ ſtaturæ, in noſocomium tranſlatus, 8 octobris. Poſt ictus gladii plani ſuper dorſum inflictos a tribuno,

ſpuit ſanguinem anno præcedenti : ſæpe rediit hæmoptyſis. Tandem a ſex menſibus ſputa purulenta, fœtida, exſcreat ; macer, debilis, veſperi calor cutis, pulſus frequens, genæ rubræ, volæ manuum ardentes, oppreſſio minimo motu, ſputa luteo-viridia de mane : deſperatum judicavi ; nihil niſi decoctum ſummitatum pini præſcripſi, quo ſublevatus, ſputa facilius exſcreabat. Dimiſſus poſt unum menſem, vivit adhuc 1780, ſed quaque die debilior.

Phthiſis. Obſerv. 44.

1780 12 januarii, homo, ſexaginta quinque annorum natus, laborat phthiſi ; ſputa difficillime exſcreabantur ; tuſſis erat magna, pulſus debiliſſimus, proſtratio virium maxima, facies jam depreſſa, oculi extincti : mortuus eſt eodem die. Cadavere aperto, invenimus pulmones corruptos ſanie purulenta infartos ; jecur ſubluteum, granis ſcirrhoſis totum repletum ; ſplen mollis, facillime labens ; etiamſi apertura fuit peracta duodecima hora a morte, omnia viſcera abdominis teterrimum ſpargerunt odorem.

Phthiſis. Obſerv. 45.

Vidi mulierem, triginta annorum natam, phthiſi confirmata ægrotantem : pulſus frequens & parvus, macies magna, reſpiratio minimo

motu laborioſa : mortem nuntiavi proximam. A ſex menſibus ægrotat iſta. Poſt octo dies mortua eſt. Grodnæ.

Eodem morbo mortuus eſt opifex pannorum, in Horodnzia laborans ab uno anno, morbus coryza incepit ; neglexit illam ſicut omnes. Sputa luteo-alba, craſſa, fœtida, ſudores colliquativi, diarrhœa, reſpiratio frequens, profunda, cum molimine, nuntiabant mortem pulſantem oſtia. Poſt ſex dies mortuus eſt. In his duobus ægrotis fruſtra tentata varia decantata remedia contra phthiſim.

Phthiſis. Obſerv. 46.

Hominem diſſecavimus ſexagenarium, lento morbo laborantem : nec ſputa fuerunt ante mortem, nec querebatur de tuſſi, nec de dolore pectoris : ruſticus erat, miſer ſicut omnes in Lithuania, labori, fami, frigori quaque die expoſitus. Jecur durum erat & granulatum ; nullum invenimus calculum in veſicula fellea, ſed ſepto tranſverſo ſeu diaphragmate aperto, fluxit magna copia puris albi ; pulmo ſiniſter fere erat totus conſumptus ; frequentes adhærentiæ pleuræ erant cum membrana externa pulmonum.

Phthiſis. Obſerv. 47.

Julio 1785, puella 22 annorum nata, nomine

Marina, Lugduni, labe phthiſica laborabat ab uno integro anno : ſentiebat dolores vehementes in pectore ; macies erat magna, febris vehemens veſpertina, ſudores nocturni, diarrhœa frequens, anorexia, defectus appetitus, anxietates, palpitationes cordis, frequens ſenſus ſuffocationis, minimo exercitio dyſpnœa. Ante duos annos poſt anomalias menſtruorum, dolores acerbi in regione hypochondriaca dextra cum pallore ; variæ ſpaſmodicæ affectiones vexarant ægrotam. Medici tres hoc anno integro ſicut obſtructione hepatis laborantem tractarunt illam, ſcilicet catharticis aperientibus, ſaponaceis, martialibus, ſalinis. Videns illam fine julii, phthiſicam confirmatam judicavi ; mortem futuram imminentem prædixi : mortua eſt 4 ſeptembris, poſt repetita animi deliquia. Die ſequenti, apertura cadaveris peracta : lobum pulmonis dextrum cum pleura adhærentem juxta totam longitudinem inveni, non niſi lacerando ſeparandum ; magnum ulcus in eodem lobo, cujus paries externus ſola adhærentia conſtituebat ; iſtud ovum anſerinum involvere potuiſſet ; calloſum erat, pure floccoſo parva quantitate imbutum ; communicatio cum altero minori ; flatus propulſus in iſto cum murmure bronchia percurrebat. In lobo ſiniſtro ulcus erat, cum aliis minoribus communicans tam numeroſis ut iſtius lobi ſola fere craſſa membrana integra manebat ; in his parva

quantitas ſpiſſi puris parietes illinibat : qui, tuberculis obſiti, calloſi, craſſi, ſectioni reſiſtentiam ſat magnam afferebant. Ex pericardio ampliato valde, invenimus octo uncias ſeri limpidi; cor parvum apparuit ; pancreatis major moles, ſed nullo modo ſcirrhoſum ; epiploon rubrum, nullo tamen alio modo alteratum ; jecur ſanum, cujus veſicula diſtenta erat bile glutinoſa, atra, ſpiſſa, odoris experte ; nec in pectore, nec in imo ventre notabilis ſeri quantitas effuſa. Pus omne ſtagnabat parva quantitate in ſinubus ulcerum ; fœtorem proprium ſpargebat ; muſculi omnes tali modo emaciati, ut craſſiores in ſtatu naturali ſicut laminæ tenues diſſecti apparebant. Anno ſequenti & altero, & ſoror & mater labe phthiſica conſumptæ perierunt.

Phthiſis. Obſerv. 48.

Anno 1781, julii 15, in urbe Vilna, juvenis nobilis Polonus, viginti annorum natus, veneri deditus, patre phthiſico natus, poſt ſuppreſſam aſtringentibus gonorrhœam, tuſſi, frequenti hæmoptyſi, ſubſequente macie, affligitur. Sputa ſunt purulenta, halitus oris fœtidus. Sic ab uno anno bis hæmoptyſicus, ſeu exſcreavit ſanguinem purum, cum tuſſi, ad unam libram. Nunc 10 auguſti, anno 1782, ſat bene valet; floridus

& pinguis evaſit, ſanatus mercurialibus ſalibus intus ſumptis, balſamicis maritatis; ſed latebat anguis ſub herba. Septembri, vidi Varſaviæ cum peripneumonia luctantem, qua ſpatio 5 dierum fuit jugulatus.

Phthiſis. Obſerv. 49.

19 octobris 1787, hora prima pomeridiana, cadaveris aperturam peregimus juvenis 18 annorum nati. Statura corporis 5 pedum & quatuor pollicum; emaciatio magna erat: aperto pectore, pauca quantitas ſeri fœtidi fluxit; lobus pulmonum dexter adhærebat pleuræ juxta totam longitudinem, nec non pericardio & diaphragmati; liber erat lobus ſiniſter in parte inferiori, ſed nonnullis punctis adhærebat pleuræ ex parte ſuperiori; pulmones tumefacti, denſi, erant tuberculis ſub membra externa obſiti. Variis inciſionibus peractis, numeroſa ulcera invenimus, pus fœtidum, albo-luteum, fundentia; ulcerum parietes duri, calloſi erant, præſertim majorum. Cætera viſcera ſana; ventriculus contractus vix duas libras aquæ continere potuit. Filius magnatis Moſcovitæ, die præcedenti, Lugdunum ſalutaverat moriens. A duobus annis poſt hæmoptyſim, tuſſi frequenti, ſubſequentibus ſputis purulentis, vexabatur; erat anhe-

latio ; ultimis diebus , ſudores nocturni , diarrhœa colliquativa.

N. B. Hora ſecunda noctis , dixit amico : *moriar ſeptima hora* ; quod evenit præciſe.

Conſumptio dorſalis. Obſerv. 50.

Mulier , annorum 20 nata , temperamenti vivacis , a duobus menſibus nupta cum juvene annorum 30 , queritur de dolore dorſi juxta longitudinem ſpinæ vertebralis , cum pandiculationibus & laſſitudine. Maritus fricat eam duabus horis ante ejaculationem. Credo laborare conſumptione dorſali ab hoc novo raroque concubitu.

Conſumptio dorſalis. Obſerv. 51.

Duas puellas Grodnæ vidi , 1787 , unam octo , alteram undecim annorum natam , quæ maſturbationi deditæ , macræ ſunt , pallidæ : lente progrediuntur. Dololes ſentiunt juxta longitudinem dorſi ; macula cæruleſcens infra oculos in palpebris ; anorexia laborant. Hæc turpiſſima conſuetudo frequentior in puellis etiam juniotibus , quam vulgo creditur : novi tali conſpurcatas vix ſex annorum natas ; vidi a maſturbatione puellam 12 annorum vera phthiſi , cum ſputis purulentis ſævientibus , crudelibus dolo-

ribus in pectore conſumptam; vidi ſæpe ſæpius hæmoptyſes poſt diuturnas maſturbationes.

Tabes dorſalis. Obſerv. 52.

Juvenis pulcherrimæ ſtaturæ, amœniſſimæ faciei, verus apollo, nimio veneris uſu amiſit capillos, qui antea longi erant & copioſiſſimi. Floridus antea, pallidus evaſit, macer, debilis, nihil appetens; facie depreſſa, oculis cavis, extinctis, dorſo curvato, ſcapulis alatis, lente, tremendo, progreditur; doloribus juxta longitudinem dorſi, præſertim in regione lumbari, excruciatur; triſtis eſt valde, memoria debilis. Noluit obtemperare conſiliis meis: etiam debiliſſimus amaſiam iterum amplexus eſt, repetito coitu. Diarrhœa colliquativa ſupervenit, lypothymiæ frequentes, palpitationes cordis: mortuus eſt anno ætatis 19, in Lithuania, 1781.

Macies, brevitas cruris. Obſerv. 53.

Infans trium annorum, crus & femur ſiniſtrum minus pingue habet quam dextrum, ambobus cruribus approximatis; ſiniſtrum membrum brevius dextro; claudicat puer: ſic nutrix tradidit eum matri.

Hectica infantis. Obſerv. 54.

Infans, 15 menſium natus, bonæ conſtitutionis,

tionis, floridus, ſenſim languet: venter durus, inflatus; macies paulatim ſupervenit, pedes œdematoſi, vomitus. Mortuus poſt unum menſem; ab initio morbi: nutrix plurimum ſpiritus cereviſiæ bibebat; triſtis ſemper erat a diſceſſu hominis amati. An cauſa morbi infantis?

Gonorrhœa. Obſerv. 55.

Annis 1778 & 1779, in Noſocomio Grodnenſi centum & ultra gonorrhœas ſimplices tractavimus; ſi vehemens inflammatio, venam ſecavimus, aut hirudines applicavimus ſupra partem internam & ſuperiorem femorum; præſcripſimus ptiſanas mucilaginoſas, præſertim ex radice althææ, fomentationes emollientes; pleroſque ſanos dimiſimus, rariſſime ſub finem, præſcripta panacea mercuriali.

Lues venerea. Obſerv. 56.

Quolibet anno, tum in noſocomio Grodnenſi, tum in urbe, numeroſos lue venerea ſimplici afflictos; ſanos uno aut altero menſe elapſo, dimiſimus, ſola præſcripta panacea mercuriali, cujus uſus fuit protractus plus minuſve ad ſalivationem. Ægroti, toto curationis curriculo, plurimas lagenas ptiſanæ xanthii ſtrumarii potabant; pilulæ noſtræ paratæ erant cum panacea mercuriali, gummi ceraſi & pulvere radicis glycyrrhizæ.

Lues venerea , herpes. Obſerv. 57.

Nobilis quidam Polonus lue venerea laborabat. Male curatus : ſupervenit herpes latiſſimus , qui totam regionem hypogaſtricam occupat , & partem ſuperiorem ſcroti ; rubor adeſt ; pruritus perpetuus ; fluit humor acris & limpidus. Præſcripſi extus ſuccum glycyrrhizæ ; intus , panaceam mercurialem. Poſt menſem elapſum media pars eruptionis evanuit. Nunc , poſt duos menſes , fere ſanata eſt eruptio. Iterum virus venereo deſœdatus , poſt ſex elapſos menſes herpes recrudeſcit ; ſed minori furore eadem methodo curatus.

N. B. Herpes quæ mercurio ſublimato non ceſſerat , ſolo uſu glycyrrhizæ fuit profligatus.

Lues venerea. Obſerv. 58.

Novi nobilem Polonum , qui poſt curationem luis venereæ diu exhibuit ulcera circa coronam glandis , & tubercula rubra in hac parte. Uxor ipſius hoc tempore concepit ; nec infans illius , nec ipſa , fuerunt lue venerea contaminati.

Lues venerea. Obſerv. 59.

Juvenis 25 annorum natus , temperamenti bilioſi , phimoſi , cancris , & bubone inguinum laborat. Sublimato corroſivo 60 diebus ſanus.

Lues venerea. Obſerv. 60.

Die 13 auguſti , 1778 , homo , circiter 30 annorum natus , miles , laborabat lue venerea :

ulcera ichoroſa obſervantur in velo Palatino; carcinomata minima numeroſa numerabantur circa coronam glandis; ficus & rhagades aderant in margine ani; magna ulceratio calloſa ad latus pubis. Pro potu præſcripſimus decoctum guajaci; ſumpſit liquorem Swietenii a 14 uſque ad 8 ſeptembris: tunc purgavimus propter ſalivationem; loco ptiſanæ ligni ſancti, præſcripſimus decoctum xanthii ſtrumarii; iterum ſumpſit liquorem Swietenii uſque ad 30 ſeptembris.

Jam ulcera erant deſſicata 19; ſanus abiit, 10 octobris, ex noſocomio Grodnenſi.

Lues venerea. Obſerv. 61.

Die 26 julii, juvenis circiter 20 annorum natus, laborabat lue venerea; erat phimoſis cum inflammatione, numeroſa ulcuſcula in glande, ex quibus manabat ichor fœtidiſſimi odoris. Præſcripſimus purgationem cum jalapa, cataplaſmata emollientia ex foliis malvæ, ptiſanam ligni ſancti cum glycyrrhiza. Prima auguſti, ſecavimus præputium ad avertendam ſtrangulationem glandis. Tunc incepit uſum liquoris Swietenii; ſalivatio apparuit. A 17 ad 18 præſcripſimus purgationem, ſupprimendo per aliquot dies liquorem antiſiphiliticum. 20, jam ulcera laudabile pus fundebant. 1 ſeptembris, ulcuſcula deſſicata. 16 ſanus abiit.

Tali methodo tractavimus plurimos alios ægro-

tantes, aut vere lue venerea, aut gonorrhœa.

Lues venerea. Obſerv. 62.

Famulus, lue venerea laborans inveterata; gangrænam in glande & ſcroto expertus eſt: febris aderat vehemens; poſt venæ ſectiones, & uſum corticis peruviani, gangræna diſſipata, regeneratum ſcrotum; ſed amiſit glandem. Frictionibus ſanatus.

Lues venerea. Obſerv. 63.

Nobilis Polonus, lue venerea laborat inveterata, cum carie in latere dextro maxillæ inferioris. Uſu ſublimati corroſivi pars maxillæ carie corrupta a reliqua parte ſeparata, longitudine duorum pollicum, cum dentibus molaribus; reintegrata callo prolongato maxilla, ſanus fuit, permanente tantum difformitate. Habeo fruſtulum maxillæ longitudine pollicis cum dentibus: eſt nigreſcens, leve.

Siphilis. Obſerv. 64.

Famulus principis Adami a tribus annis lue venerea laborabat: dolores oſteocopi nocte excruciantes, tubercula, porri circa anum, puſtulæ faciei; caries magnam partem laminæ exterioris oſſis frontalis, nec non parietalium exederat. Diuturno uſu ſublimati corroſivi, ſeu liquoris Swieteniani, ſpatio unius anni plenarie ſanatus fuit. Huic cicatrix ſolida æquat magnitudinem manus. Hunc ægrotum, me præſente, direxit

doctor Golze, vir eloquens & peritiſſimus.

Lepra. Ungues monſtroſi. Obſerv. 65.

Anno 1775, cæmentarius, nomine Franciſcus, 36 annorum, poſt decubitum in taberna inter lintea immunda, poſt aliquot dies, pruritum in cute ſenſit, poſt quem ſubſecuta eruptio cutanea, ſequentibus ſignis ſtipata. In articulationibus membrorum cruſtæ ſquamoſæ, craſſæ, cinereæ creſcunt; cruſtæ formæ herpetis uno integro menſe, ſponteque ſeparabetur: macula rubra, pruriente relicta. Iterum a tribus annis revertuntur; in articulationibus carpi cum primis phalangibus fungi piſiformes duriſſimi creſcunt lentius ſponteque ſeparantur. Ungues elongantur; creſcunt ad molem ovi columbini: longitudo unguis digiti indicatoris, quem ſervavi in muſeo, unius pollicis & dimidii, craſſitudio in centro quinque linearum. Poſt tres menſes ſponte cadunt ungues, novique creſcunt ejuſdem naturæ; tota cutis ſquamoſa apparet; ſquamæ quaque die ſeparantur. Hic æger ingratum proprium ſpargit odorem; pruritus præſertim veſperi ingratus. Cæterum viget appetitus; homo eſt pinguis, robuſtus. Incaſſum diu præſcriptis antipſoricis, ſulphure, &c. Præſcriptum ſublimatum corroſivum, ſeu liquor Swietenii: hujus ſolo uſu poſt duos menſes integre fuit ſanatus.

ANNUS MEDICUS,

ſeu

SERIES ÆGROTORUM,

Quos in Noſocomio Lugduneo tractavimus, anno 1785.

Dimiſſi, laborantes:

I.

FEBRIBUS.

Febribus ephemeris, ...	320
Febribus ſynochis ſimplicibus, ...	426
Synochis cauſo, ...	3
Synochis inflammatoriis, ...	46
Synochis a mercurio, ...	3
Synochis putridis, ...	39
Synochis verminoſis, ...	11
Synochis catarrhalibus, ...	173
Febribus intermitt. quotidianis, ...	122
Febribus intermitt. tertianis, ...	793
Febr. intermitt. duplic. tertianis, . . .	79
Febr. intermitt. quartanis, ...	125
Febr. amphemerinis & hemitritæis, . .	123
Febr. lacteis ſynochis aut remittentibus,	95
SUMMA.	2358

Mortui, laborantes:

I.

FEBRIBUS.

. . . .

. . . .

, ...

Synocha inflammatoria, . . . 1

. . . .

. . . .

Synocha verminoſa, ... 2

. . . .

Febre quotidiana, ... 1

. . . .

. . . .

. . . .

Febre amphemerina aut hemitritæa, . 72

. . . .

SUMMA. 76

II.

INFLAMMATIONIBUS.

Rubeolis , ...	11
Variolis , ...	74
Miliaribus , ...	8
Scarlatinis , ...	10
Pemphigo , ...	3
Eryſipelatibus , ...	59
Cephalitide , ...	3
Otitide , ...	2
Inflammatione gingivarum , . . .	12
Angina , ...	19
Pleuritide aut peripneumonia , . .	188
Gaſtritide , ...	2
Enteritide , ...	3
Iſchuria ab inflammatione , . . .	3
Rheumatiſmo inflammatorio , . .	40
SUMMA.	437

III.

DOLORIBUS.

Cephalæa , ...	6
Cephalalgia , ...	9
Otalgia , ...	5
Pleurodine , ...	15
Summa.	35

II.

INFLAMMATIONIBUS.

. . . . .	
Variolis, ...	16
Miliari, ...	1
. . . . .	
. . . . .	
Eryſipelate, ...	2
Cephalitide, ...	1
. . . . .	
. . . . .	
. . . . .	
Pleuro-pneumonia, . . .	37
. . . . .	
Enteritide, ...	1
. . . . .	
Rheumatiſmo inflammatorio, . .	1
SUMMA . . .	59

III.

DOLORIBUS.

. . . . .	
. . . . .	
. . . . .	
. . . . .	
. . . . .	

Ex altera parte, ...	35
Podagra, ...	13
Rheumatiſmo chronico, . . .	29
Lumbagine, ...	11
Gaſtrodinia aut colica, . . .	230
SUMMA	318

IV.

SPASMIS aut CONVULSIONIBUS.

Hyſteria, ...	40
Hypochondriaſi, ...	4
Palpitationibus cordis, ...	2
Epilepſia, ...	3
Eclampſia, ...	7
Scelotyrbe, ...	3
Crampo, ...	2
Convulſionibus, ...	4
Tuſſi, ...	17
Tuſſi ferina, ...	9
Aſthmate, ...	6
Dyſpnœa aut orthopnœa, ...	16
SUMMA	113

. . . . .
. . . . .
. . . . .
. . . . .
. . . . .

. . . . .

I V.

SPASMIS aut CONVULSIONIBUS.

. . . . .	
. . . . .	
Anevriſmatibus, . . .	2
. . . . .	
Eclampſia, ...	3
. . . . .	
. . . . .	
Tetano, ...	1
Convulſionibus, . . .	1
. . . . .	
. . . . .	
Aſthmate, ...	1
Orthopnœa, ...	1
SUMMA. . . .	9

V.

EVACUATIONIBUS.

Vomitu , ...	9
Diarrhœa , ...	78
Dyſenteria , ...	21
Cholera morbo , ...	6
Rachialgia , ...	3
Leucorrhœa , ...	60
Narium hæmorrhagia , ...	3
Menorrhagia , ...	5
Hæmoptyſi , ...	13
Hæmorrhoidibus , ...	6
Hæmaturia , ...	2
SUMMA	206

VI.

DEBILITATIBUS.

Aſthenia , ...	9
Aſphyxia , ...	2
Lypothymia , ...	3
Paralyſi , ...	4
Vertigine , ...	2
Mutitate periodica , ...	1
Nyctalopia , ...	2
SUMMA	23

V.

EVACUATIONIBUS.

Vomitu atræ bilis, . . .	1
Diarrhœæ colliquativæ, . .	2
Dyſenteriæ, ...	10
. . . . .	
. . . . .	
. . . . .	
. . . . .	
Menorrhagia, . . .	1
. . . . .	
. . . . .	
. . . . .	
SUMMA. . . .	14

VI.

DEBILITATIBUS.

. . . . .	
. . . . .	
Apoplexia, ...	3
Paralyſi, ...	1
. . . . .	
. . . . .	
. . . . .	
SUMMA. . . .	4

VII.

Cachexiis.

Uteri infartu, ...	2
Ovariorum ſcirrho, ...	1
Jecoris ſcirrho, obſtructionibus, . . .	2
Scrophulis, ...	6
Lienis obſtructionibus, ...	7
Meſenterii obſtructionibus, ...	8
Glandularum colli infartu, ...	7
Parotidum infartu (*oreillons*), . . .	6
Atreta, ...	2
Phyſconia, ...	3
Herpetibus, ...	3
Tinea, ...	8
Scabie, ...	92
Lepra, ...	5
Siphilide, ...	7
Ictero, ...	12
Chloroſi, ...	15
Scorbuto, ...	7
Phthiſi, ...	34
Leucophlegmatia, ...	30
Aſcite, ...	4
Summa.	261

VII.

CACHEXIIS.

. . . . .	
. . . . .	
. . . . .	
Maraſmo a ſcrophulis , . .	1
. . . . .	
. . . . .	
. . . . .	
. . . . .	
. . . . .	
Phyſconia , ...	1
. . . . .	
. . . . .	
. . . . .	
. . . . .	
. . . . .	
Ictero , ...	3
. . . . .	
Scorbuto , ...	7
Maraſmo ſenili , . . .	26
Phthiſi , ...	93
Hydrothorace , . . .	22
Aſcite , ...	37
SUMMA. . . .	190

RECAPITULATIO.

Anno 1785.

ÆGROTI SANI DIMISSI.

Febres, ...	2358
Inflammationes, ...	437
Dolores, ...	318
Convulſiones, ...	113
Evacuationes, ...	206
Debilitates, ...	23
Cachexiæ, ...	261
SUMMA ſanatorum. . .	3716
SUMMA mortuorum. . .	352
SUMMA TOTALIS	4068

Ergo mortui $9\frac{1}{2}$ pro 100.

ANNO 1785.

Ægrotantes introducti in noſocomium Lugduneum, ...	15820
Mortui, ...	1345

Ergo circiter $8\frac{1}{2}$ pro centenario.

Inter hos in cubiculis vulneratorum, .	4431
Mortui inter vulneratos, ...	223

Ergo circiter $5\frac{1}{3}$ pro centenario.

RECAPITULATIO.

Recapitulatio.

Anno 1785.

Ægroti mortui.

Febres, ...	76
Inflammationes, ...	59
. . . .	
Convulſiones, ...	9
Evacuationes, ...	14
Debilitates, ...	4
Cachexiæ, ...	190
Summa, ...	352

Unde inter alios ægrotantes dicti febricitantes, ſeu omnes alii qui nec vulneribus nec tumoribus, ulceribus, fracturis, &c.

Sunt dimiſſi ſani, ...	11389
Sunt mortui, ...	1120

Seu circiter decem pro centenario.

In noſtris cubiculis ægroti admiſſi, .	4068
Dimiſſi ſani, ...	3716
Mortui, ...	352

Ergo circiter $9\frac{1}{2}$ pro centenario.

N. B. Inter mortuos ſequentes, morbis per ſe lethalibus erant afflicti, ſeu

Aneuriſmatibus internis, ...	2
Aſthmate a polypo, ...	1
Diarrhœis colliquativis ſenilibus, . .	2
Apoplexiis, ...	3
Paralyſi, ...	1
Maraſmo a ſcrophulis, ...	1
Phyſconia, ...	1
Ictero a ſcirrho hepatis, ...	1
Diſſolutione ſcorbutica, ...	7
Maraſmo ſenili, ...	26
Phthiſi inveterata, ...	93
Hydrothorace, ...	22
Aſcite ab obſtructione viſcerum, . .	37
SUMMA, ...	197

Ergo ex ſumma totali mortuorum, . .	352
Deductis his per ſe inſanabilibus, . .	197
MANENT, ...	153

Seu $4\frac{1}{6}$ pro centenario.

ANNOTATIONES.

I. Febres.

1°. IN febribus ephemeris nullum præſcripſimus medicamentum; diæta fuit tenuis, ptiſana vulgaris ex hordeo cum melle. In pleriſque ſecunda aut tertia die, ſudor unctuoſus obſervatus; in paucis vomitus aut hæmorrhagia narium.

2°. Febres ſynochæ ſimplices vix diſtinguuntur ab ephemeris: ſimilia fere ſymptomata, ſimiles criſes; ſeptima aut decima quarta die, aut ſudor aut diarrhœa; in nonnullis ſputa copioſa; in plurimis juvenibus hæmorrhagia narium quarta aut quinta die; in paucis ſigna evidentia turgeſcentiæ materiæ in primis viis tempore irritationis.

In paucis, primis diebus evacuantia: plerique ſola natura ſanati. Raro venæ ſectio præſcripta.

3°. Synochus ardens, cauſus. Tres noſtri juvenes ſeptimo die judicati ſudoribus: in uno, copioſa hæmorrhagia narium 3 die; in aliis, bis venæ ſectio præſcripta, enemata emollientia, creberrimæ fomentationes, diæta tenuiſſima, ex ſola ptiſana oryzæ cum acidis. Speciales caſus proponemus in ſubſequentibus Adverſariis.

4°. Synochæ inflammatoriæ affines ſynochis ſimplicibus: ſed in his pulſus durus, calor cutis intenſior, ſanguis miſſus exhibet corium pleureticorum; in pleriſque una venæ ſectio, ptiſanæ hordei nitratæ, enemata ex herbis mucilaginoſis; plerumque 7 aut 14 die, ſudoribus aut diarrhœa judicata hæc febris; in junioribus hæmorrhagia narium 3 aut 4 die: tunc omiſſa fuit venæ ſectio.

5°. In ſynochis putridis fœtor halitus, ſigna ſaburræ in primis viis, proſtratio major virium, conatus vomendi. Duplici modo tales ægrotos tractavimus, pleroſque cum fauſto eventu, ſolis ptiſanis mucilaginoſis acidis affatim epotis; in aliis, leniori emetico primis diebus ex ipecacuanhæ granis decem.

6°. In febribus verminoſis infantum utilis ipecacuanha cum manna; in duobus, ſolis naturæ viribus, vermes cum magna quantitate pituitæ evacuati fuere.

7°. In febribus catarrhalibus quæ præter tuſſim, veſpertinam plerumque exhibebant exacerbationem, ſolam diætam tenuem, ptiſanaſque ex farinoſis cum melle præſcripſimus.

8°. Eodem tempore vigebant intermittentes quotidianæ, tertianæ, & remittentes. Unde quoad principia, vix agnoſco diſtinctionem: ſaltem media pars, præſertim vernali tempore, ſola

energia naturæ profligata fuit; in aliis, præſcripto cortice peruviano, plerique ægroti ſani tantum poſt toleratos ſeptem aut quatuordecim paroxyſmos. Sexaginta ægroti, ſola radice caryophyllatæ curati, etiam ſani eodem tempore evaſerunt; in plurimis, poſt judicatum morbum, œdematia frictionibus & amaris diſſipata fuit.

9°. Quartanæ autumnales, etiam optimo præſcripto cortice peruviano, in non paucis ad 20 & ultra paroxyſmos ſævierunt; plurimi quartanarii ſolis amaris vulgaribus ſani fuerunt; decem ſola præſcripta diæta poſt ſeptem paroxyſmos ſanati fuere.

10°. Remittentes amphemerinæ & hemitritææ hoc anno peſſimi eventus plurimæ, forte propter inopiam boni corticis peruviani: nam, in ſequentibus annis, invenio mortuos paucos relative ad ſanatos, quando habuimus optimum iſtum corticem peruvianum luteum. In nonnullis tentavimus antiquam Germanorum methodum, ſeu, miſſo cortice peruviano poſt irritationis tempus, vigente proſtratione ſumma virium, vinum amarum aut aromatibus ſaturatum dedimus cum fauſto eventu. Ex decem ſic tractatis octo ſani evaſerunt.

11°. In lacteis febribus nullum conſtantem typum conſervat natura: modo heterogeneam lactis maſſam aggreditur, forma febris ſynochæ;

modo forma intermittentis, plerumque ſub forma debellat ephemeræ : in pleriſque caſibus diæta tenuis & ptiſana hordei ſuffecerunt; in paucis cathartica lenia ſub finem morbi utilia fuere.

II. INFLAMMATIONES.

1°. In Rubeolis, nullum verum præſcripſimus remedium, nec in fine morbi cathártica; diæta fuit tenuis, ptiſanæ mucilaginoſæ.

2°. In variolis diſcretis, ſolam diætam & ptiſanas ex farinoſis; in confluentibus, vigente plethora, in duobus venæ ſectionem præſcripſimus; in nonnullis utilia fuere veſicatoria & cortex peruvianus, quando erat nimia proſtratio virium. Certe in noſocomio plurimi moriuntur propter aëris contaminationem; non pauci variolis corripiuntur ſcrophuloſi aut alio virus infecti. In orbe minor eſt proportio mortuorum cum ſanis. Raro ſub finem morbi cathartica præſcribimus.

3°. In febribus miliaribus, nullum verum dedimus remedium præter ptiſanas hordei nitratas & diætam tenuiſſimam.

4°. In febribus ſcarlatinis, veſperi exacerbationes obſervavimus; in duobus ægrotis propter proſtrationem nimiam virium corticem utili effectu peruvianum dedimus.

5°. In pemphigo febrili, nulla gravia ſympto-

mata fuere : ſola diæta præſcripta, tres noſtri ſani evaſerunt.

6°. Eryſipelata omnia noſtra caput occuparunt, aliis ægrotis ſimili morbo afflictis, in cubiculis vulneratorum ſingulari præjudicio admiſſis. Raro in hoc morbo remedia vera præſcripſimus: una venæ ſectione peracta, ptiſanam hordei nitratam affatim bibebant ægroti; in triginta, non valde furente febre, omiſſa fuit miſſio ſanguinis.

7°. In otitide, ſeu inflammatione aurium, omiſſa aut peracta venæ ſectione, abſceſſus evolutus in cavitate, ſicut obſervavimus, hoc anno, apud ſex ægrotantes, quorum duo in noſocomio.

8. Frequens inflammatio gingivarum a mercurio. Diæta tenui, ptiſanis mucilaginoſis pacantur cito ſymptomata.

9°. Inflammatio meringum ab inſolatione in tribus ægrotantibus obſervavimus : venæ ſectio bis præſcripta, enemata emollientia, pediluvia, ptiſanæ hordei nitratæ : tres ſani evaſerunt; in uno, copioſa narium hæmorrhagia tertia die.

10°. In anginoſis, una venæ ſectio; poſt hanc hirudines circa laryngem, enemata emollientia quaque die, ptiſana oryzæ cum melle. In octo ægrotantibus omiſſa fuit miſſio ſanguinis, levi exiſtente febre. In ſex aliis, etiam miſſo ſanguine, abſceſſus.

11°. Rara pleuritis vera : vix ſex ex 188 ægrotis; ex his ſanatis viginti petierunt noſocomium poſt aliquot dies ab initio morbi ; omiſſa fuerat venæ ſectio ; in aliis, vix duobus, tribus vicibus ſanguinem miſimus, una aut altera venæ ſectione contenti. Toto curriculo morbi ptiſanas hordei cum ſirupo boraginis ; una altera die, enemata emollientia, expectoratione languida, boli camphoræ, parva doſi ; viribus proſtratis, veſicatoria ſuper pectus. Ex triginta ſeptem mortuis undecim, ſuppurati, noſocomium intrarunt; ſed ex noſtris, etiam poſt repetitam miſſionem ſanguinis, tres ſigna ſuppurationis exhibuerunt.

12°. Duo gaſtritide, ſeu inflammatione ventriculi laborantes, ſani evaſerunt, una miſſione ſanguinis peracta, fomentationibus ex emollientibus, diæta tenuiſſima, ex juſculo vitulinæ carnis.

13°. Tres enteritide, ſeu inflammatione inteſtinorum laborarunt. Fomentationes ex emollientibus, enemata ſimilia, infuſiones papaveris rhœados florum mellitæ ; una aut altera venæ ſectio fuerunt præcipua auxilia.

14°. Tres iſchuria ab inflammatione laborarunt : in his fomentationes emollientes, ptiſana althææ radicis, ſuccio hirudinum circa perinæum.

15°. Rheumatiſmo inflammatorio 40 laborarunt ; in nonnullis, venæ ſectio neceſſaria fuit ;

in aliis, ſolæ ptiſanæ hordei nitratæ, diæta tenuis, fuerunt præſcriptæ; elapſo tempore irritationis ægroti, infuſiones ſaponariæ aut juniperi baccarum mellitas affatim biberunt.

III. DOLORES.

1°. In cephalæis plerisque nullum remedium præſcripſimus: lapſu temporis ſanati ægroti; in uno applicatio hirudinum pone aures utilis fuit.

2°. Omnes noſtri cephalalgici ſponte ſani evaſerunt.

3°. Otalgici noſtri nullum remedium ſumpſerunt; paucis diebus ſani ſponte.

4°. Pleurodinici noſtri omnes ſponte ante unam ſeptimanam elapſam ſanati fuere, nullo præſcripto vero remedio.

5°. In podagricis noſtris, præter diætam, nullum verum remedium ſcripſimus, niſi ptiſanas ex lenibus aromaticis melle edulcoratas: omnes lapſu temporis ultimum terminum paroxyſmi pacate expectarunt.

6°. In rheumatiſmo chronico varia tentavimus enarrata in noſtris Adverſariis; ſed, omnia computando, præſertim enucleando viginti caſus ægrotantium, actioni ſolius naturæ commiſſorum, qui ſani evaſerunt, eadem epocha ac illi qui medicamenta decantata deglutierunt.

Credere fas eſt hos etiam vi ſola naturæ ſanos.

7°. In lumbagine detentis nullum verum præſcripſimus medicamentum.

8°. Omnes gaſtrodinia aut colica laborantes, ſuæ ſorti commiſimus, præſcripta tantum nonnullis infuſione florum papaveris rhœados mellita.

IV. Spasmi, convulsiones.

1°. Hyſteria laborantes, lapſu temporis omnes ſane dimiſſæ. Quando levis erat paroxyſmus, infuſiones tantum menthæ dedimus; quando fortior, liquor mineralis anodynus Hoffmanni; in paucis laudanum Sydenhamii.

2°. In affectione hypochondriaca motus corporis, vita ſobria, martialia, amara lenia paulatim utilia evadunt: ſed quot novi qui, medicamentis omnibus omiſſis, poſt unum aut alterum annum ſponte ſanati!

3°. Palpitationes cordis in hypochondriacis paulatim ceſſant: quando a polypo aut aneuriſmate originem ducunt, ſymptoma inſanabile.

4°. In epilepſia, utilem bis inveni valerianam magna doſi præſcriptam; in altera, flores zenci.

5°. Eclampſiæ noſtræ a pituita aut vermibus originem ducebant. In quatuor ægrotis ſponte, poſt convulſiones, vidi evacuatos vermes cum pituitæ vitreæ magna quantitate. In aliis, pacatis

convulſionibus, ſimiles evacuationes obtinuimus, parva doſi radicis ipecacuanhæ.

6°. In ſcelotyrbe, ſeu chorea Sti Viti, utilia probavi arnicam, corticem peruvianum, valerianam, flores zenci: ſed quod movet dubium, duo ſuæ ſorti derelicti, eodem fere tempore ſani evaſerunt, nullo deglutito remedio.

7°. In crampis periodicis nullum præſcripſimus remedium.

8°. Noſtris convulſis potiones ex infuſione menthæ cum liquore minerali Hoffmannano dedimus: ſed alios ſanatos vidimus, his potionibus omiſſis.

9°. Plurimos tuſſi laborantes, die & nocte, creberrima, ſponte ſanatos vidimus, etiam qui tali fuerunt vexati per aliquot menſes.

10°. In tuſſi ferina, (*Coqueluche*), dubia efficacia ipecacuanhæ, lichenis Iſlandici, ſirupi corticis peruviani; quia plerique hi qui talia deglutierunt non citius ſani aliis ſuæ ſorti derelictis.

11°. Aſthmaticis noſtris nullum verum dedimus remedium. In hoc morbo ſponte ceſſant paroxyſmi. Centum & ultra notavimus tali vexatos, qui ad ſenium pervenerunt, nullo medicamento cognito.

12°. Anheloſi, ſeu dyſpnœa, aut orthopnœa laborantes, periodice vexantur oppreſſione; in

his labes organica adeſt in ſyſtemate vaſculoſo pectoris; plurimi tamen diu vivunt.

V. EVACUATIONES.

1°. Vomentes noſtri nullum ſumpſerunt remedium.

2°. Plerique noſtri ægroti, diarrhœa afflicti, ſponte ſani evaſerunt: in paucis aut rhabarbarum aut extractum juniperi, aut theriaca, quando diutius ægrotabant, concedimus.

3°. Hoc anno, paucos habuimus dyſentericos: ſed qui noſocomium petierunt, graviter ægrotabant. In urbe numeroſos tractavimus, aut potius, ſub regimine naturæ dereliquimus, præſcriptis ptiſanis hordei cum melle, aut potionibus ex infuſione florum rhœados.

4°. Qui cholera morbo ſanati, ptiſanam althææ radicis, infuſiones papaveris, enemata emollientia, fomentationes ex malva obtinuerunt.

5°. Tres rachialgia, aut colica pyctonum occupatos, anodynis, oleoſis, mucilaginoſis tractavimus.

6°. Leucorrhœa laborantes, ſublevatas, ſed non ſanatas, dimiſimus: martialia, terram catechu, amara dedimus.

7°. Qui hæmorrhagia narium laborabant, omnes ſuæ ſorti dereliquimus; ſponte ceſſat hic fluxus.

8. Etiam in noſtris menorrhagiam, ſeu uteri hæmorrhagiam ſponte diſſipatam vidimus.

9°. Noſtros hæmoptyſicos pleroſque, non præſcripto ullo medicamento, ſponte ſanos vidimus. Aliis ptiſanam radicis conſolidæ majoris, nec non pulverem temperantem Stahlii dedimus. Hi non citius aliis ſalvi fuere.

10°. Hæmorrhoidarii noſtri vix regimen obſervantes, finem fluxus, omiſſis remediis, viderunt.

11°. Qui hæmaturia, ſeu mictu ſanguinis erant ocupati, ptiſanam conſolidæ majoris bibebant: ſed unus, hac omiſſa, ſanus eodem fere tempore fuit.

VI. DEBILITATES.

1°. Miſeri aſthenia, ſeu debilitate virium a defectu alimentorum plerique laborabant: vino aromatico, cibis eupeptis paulatim refocillati, robuſti fuerunt dimiſſi.

2°. Unus aſphyxia poſt ſubmerſionem detentus, frictionibus, venæ ſectione intermittente, ſeu miſſione ſanguinis quoque minuto ſecundo, clauſa vena preſſione digiti, potionibus aromaticis reſtitutus.

3°. In lypothymiis plerumque ſolum principium vitale ſat reagit, ut vires reſtaurentur: excitandum frictionibus & aromaticis.

4°. In paralyticis noſtris utiles fuerunt arnica, flores zenci, aromata, urticatio, veſicantia, ſinapiſmi, maſtichatio radicis pyrethri.

5°. Vertiginoſi noſtri ſani evaſerunt, conciliato robore ventriculi amaris aromaticis. Hi præſertim vertigine premebantur ventriculo flatibus diſtento.

6°. Qui periodice mutus erat juvenis plethoricus, applicatis bis hirudinibus circa collum, ſanus.

7°. Qui nocte non videbant ab occaſu ſolis ambo veſicatoriis, valeriana, arnica, ſani.

VII. CACHEXIÆ.

1°. Duæ quæ infartu uteri laborabant, repetita applicatione hirudinum ad margines vulvæ, vapore aquæ bullientis, balneis, pilulis ex ſapone & gummi ammoniaco ſanæ.

2°. Quæ ſcirrho ovarii laborabat, nec ſublevata, dimiſſa fuit.

3°. Qui induratione hepatis laborabant, ſimili malo laborantes abierunt.

4°. Scrophuloſis decocto foliorum fraxini aut radicis ſcrophulariæ cum ſale glauberiano ſublevati.

5°. In lienis obſtructione pilulæ gummi ammoniaci cum ſapone utiles fuere.

6°. In meſenterii obſtructionibus morbo infantum dicto *carreau*, millepedes vivi, ſal rupellenſis, terra foliata tartari, ptiſana radicis petroſelini mellita utilia fuere.

7°. Glandularum colli infartus in infantibus, etiam magnus, paulatim ſponte evaneſcit. Utilis in hoc caſu frictio lenis & repetita tumorum, ſal rupellenſis ad drachmas duas quaque die.

8°. Parotidum & colli infartum (*les oreillons*) plerumque ſponte ſanatum vidi.

9°. Phyſconia laborantes, nec ſublevati, dimiſſionem petierunt.

10°. Herpetici noſtri uſu glycyrrhizæ, ptiſana cum dulcamara ſanati.

11°. Tinea laborantes, repetitis doſibus ſalis ebſamenſis ad drachmas tres, cum ptiſanis ſaponariæ, lapſu temporis ſanati. Alios novi qui, nullo remedio ſumpto, diæta præſcripta tenui, etiam ſponte curati.

12°. Qui lue venerea laborabant, uſu liquoris Switeniani, ſeu ſublimati corroſivi, omnes ſani evaſerunt.

13°. Tres icterici, nullo remedio ſumpto, ſanos dimiſimus. Aliis præſcripſimus pilulas ex extracto chelidonii majoris, ptiſanam radicis chærephylli mellitam.

14°. Plurimæ chloroticæ paulatim ſponte ſanantur. Aliæ motu, frictionibus æthiope mar-

tiali, ptiſanis ex radicibus umbellatarum, ſanitatem obtinuerunt: ſed quod dubium movet, poſt longas moras.

15°. Scorbutum in noſtris regionibus rarus morbus; plerumque ſequela aliorum morborum. Utilia amara, plantæ cruciformes.

16°. Phthiſici noſtri omnes qui dimiſſi fuere ſublevati; ſed nec unus ſanus abiit. Varia incaſſum tentavimus decantata remedia, veſicatoria, exuſtoria, balſama, corticem peruvianum, acida mineralia.

17°. Qui ſani evaſerunt, leucophlegmatia detenti, amaris, aromaticis, ſalibus neutris fuerunt tractati; plerique œdematoſi poſt toleratas febres intermittentes.

18°. Quatuor hi aſcitici eadem methodo ſanati: tales fuerunt poſt febres intermittentes.

19°. Scabioſi noſtri ſimpliciſſima methodo ſanati: primo, uſu interno florum ſulphuris; ſub finem, frictionibus unguento ſulphuris. In pleriſque omiſimus venæ ſectionem, cathartica; in paucis tentavimus liquorem Swietenii.

20°. Leproſi noſtri, ſeu qui exhibebant cruſtas latas, cinereas, ſiccas, prurientes, brachia, femora, pectus, &c. occupantes, uſu liquoris Swietenii ſani fuere.

LUDOVICO

LUDOVICO VITET,

CLARISSIMO MEDICO,

JOANNES-EMMANUEL GILIBERT,

MEDICUS,

EPISTOLA NUNCUPATORIA

DE PRÆSTANTIA DOCTRINÆ

HAENIANÆ-HIPPOCRATICÆ,

SEU

DE NATURA MEDICATRICE.

SI quandoque verum effatum, nullum Auctorum Medicinæ undique omnibus placere poſſe, certe ſtatuendum de HAENIO. Vidi

Nota. Hæc epiſtola ante aliquot annos typis mandata fuit, cum inſtitutionibus pathologicis clariſſ. Haenii: attamen ad calcem hujus opuſculi apponere placuit paulo correctiorem, ut pote corollarium præcedentium obſervationum.

hunc egregium practicum adhuc Vindobonæ docentem anno 1775. Talem inveni ſicut ex operibus ſuis judicaveram, præjudiciis non paucis obcæcatum, atra bile, minima data occaſione movenda, ingurgitatum quotieſcumque loquebamur de inimicis ſuis; quadam zelotypia combuſtus, nec SWIETENIUM, nec COLINUM, nec STŒRCKIUM libenter laudantem audiebat; Gallos Medicos, præſertim ſectæ BORDUSIANÆ addictos, vero odio dure proſequebatur: cæterum artem medicam & Medicos veri cupidos ſincere amabat. Dogmatibus BOERHAAVIANIS tanquam ſacris addictus, nec minimam objectionem contra Præceptoris aſſerta ferebat; priſcos Auctores centies legerat, ſtupendaque facilitate in colloquiis, illorum plurimos textus integros ad verbum recitabat. In practicis ſuis eruditione non vulgari pollebat, ſed in anatomicis vix audiendus tanquam autoptes, proſector; in Chymicis, præter BOERHAAVIANA, ſat rudis; in Hiſtoria Naturali & Botanica fere hoſpes. Theologicis ſpeculationibus addictus, Metaphyſicas inductiones quærebat. Talem vidi HAENIUM mecum tribus vicibus colloquentem, talem inveni in ſcriptis variis, quibus orbem medicum ditavit, talem veri artis judices HAENIUM judicarunt. Quoad animi dotes, certe in illo ignem vividum accenderat natura: acris

mens erat HAENII, ſtylo utebatur proprio, paſſim duro, incompto, ſed plerumque nervoſo: plurimi vero culpant imaginationis fulgoribus abreptum non raro vanis & vacuis plurimas paginas onerare; fatendum eſt hoc vitium ſat frequens obſervari in ultimis tomis rationis medendi. Quidquid ſit, tamen inconcuſſum manebit egregium fuiſſe Profeſſorem HAENIUM, limiteſque artis ad plurimas orgias protuliſſe; nonnullos etenim medicinæ Practicæ nodos primus enucleavit, numeroſas novas obſervationes circa diagnoſim & principia morborum proprio marte indagavit; quaſdam novas & tutas rationes medendi aut inveſtigavit, aut novis periculis firmas reddidit. Hæc ſunt vera HAENII merita: veri amantes omnes ambabus amplexi ſunt ulnis varias diſſertationes, in ratione medendi evulgatas. Anxii artis amaſii prælectiones practicas HAENII deſiderabant; poſt fata tanti viri, inventus eſt codex nitide ſcriptus, quem videram apud Auctorem, cujus aliquos paragraphos legeram: hunc codicem notis numeroſis & vere pretioſis onuſtum typis mandavit Vindobonæ clariſſimus VASSERBERG, vir ſtupendæ eruditionis, jam egregiis operibus utiliſſimis orbi erudito commendatus, qui, etiamſi non paucas reſecuerit digreſſiones Anatomicas, Phyſiologicas, Theologicas aut

Polemicas incurſiones, quinque grandia tamen volumina forma *in*-8° exhibet. Hoc opus nactus, aſſerta Auctoris ad bilancem ſcepticiſmi ponderavi, numeroſa nova inveni, antea cognita propriis Auctoris obſervationibus confirmata vidi, HIPPOCRATIS effata, tum prognoſtica, tum therapeutica rationibus validis, nec non experimentis repetitis, ſumma cum lætitia creberrime ſuffulta reperi. His momentis abreptus, nævis non raris libenter condonans, amicis meis typographis ſuaſi, ut cito typis ſuis egregium hoc opus ſubmitterent : ne regionum Europæ meridionalium alumni diutius tam numeroſis, pretioſis, aſſertis orbarentur. Hi annuerunt libenter, tum nomine Auctoris ſeducti, tum conſilio egregiorum medicorum noſtræ civitatis. Nonnulli tamen diſſuadebant : alii *Sauvageſii* diſcipuli, ut pote ſectæ Stahlianæ addicti, vix optimum judicabant Auctorem Mechanicæ doctrinæ fautorem ; plurimi principiis *Fizii* ſeducti, vix amplectebantur Profeſſorem qui ex praxi morborum acutorum emetica & cathartica, ſaltem alternis diebus præſcripta, duro animo & iracundo impetu eliminaverat ; vix Profeſſorem ſuum agnoſcere poſſunt *Haenium*, quaque pagina ſolam *Hippocraticam* Doctrinam veram & inconcuſſam alta voce clamantem ; vix vere doctum agnoverunt Doctorem, iſtum Batavum

qui, ſub variis climatibus Auſtriæ & Hollandiæ, criſes creberrimas obſervavit; nunquam utilem Auctorem declarabunt qui naturam veram morborum medicatricem, tanquam tutæ Therapeiæ cardinem & fundamentum, agnovit, qui pauca in chronicis deſiderat medicamenta, qui in acutis, præter alimenta ſelecta, diſpoſitionem lecti, temperiem aëris, ptiſanas acidas aut farinoſas, omnia moliminibus naturæ committendo, nec emetica, nec purgantia, raro venæ ſectiones præſcribit.

Stahlianorum præjudicia evellere non placet, ut pote praxim veram non perturbantia: etenim mechanici *Boerhaaviani* & animiſtæ organici, pari veneratione naturam ſalutant. Sit hæc natura virium mechanicarum concurſus, aut ſit ens activum immateriale! nihil ad nos refert; ſufficit ut clinici utriuſque ſectæ agnoſcant obſervationibus innumeris, ratum eſſe & inconcuſſum iiſdem organorum motibus qui vitam conſervant, etiam cauſas morborum eliminari: hi motus ſint effectus immediati principii vitalis cæci aut cogitantis, aut ſint actiones mere mechanicæ! dummodo ſimiles obſerventur effectus, ſcilicet vitæ conſervatio, morborumque ſanationes ſponte peractæ, nihil mutabitur in exercitio Medicinæ; ſed aliud evenit ſi natura non eſt morborum medicatrix,

ſi criſes nec non coctiones nullo tempore morborum obſervantur, ſi ſolis & numeroſis compoſitis ſæpe adhibitis medicamentis ſanantur morbi, ſi in acutis, præter regimen, venæ ſectiones, emetica, cathartica quaque die, evadunt neceſſaria, ſi, his omiſſis, ſicut aſſerunt medici, hi ſemper agentes, aut ægroti certe moriuntur, aut diutius ægrotant miſerrime.

Ampliſſima noſtra civitas Medicos omnium ſectarum nutrit: video *Sauvageſii* Diſcipulos qui ſemi-Stahliani evaſerunt; inter hos eminet clariſſimus *Raſtius*, amicus meus, facundia multifariaque eruditione celebris, qui, nec criſium nec coctionum oſor, naturæ ſæpe ſæpius obtemperat; ſed propriis periculis convictus, in plurimis circumſtantiis illam medicamentis aut alterantibus aut evacuantibus adjuvandam firmiter credit: noſco *Bartheſii* alumnos alio nomine Doctrinam *Stahlianam* proponentes, ſcilicet principium quoddam heteroclitum, nullo modo cum anima confundendum, principium agens tamen, ſed inſtinctu movens omnia, fineſque ſibi propoſitos agnoſcens & obtinens; hi etiam mixtam methodum ſequuntur, agnoſcunt criſes, agnoſcunt coctiones; ſed in acutis ſicut in chronicis, quotieſcumque experientia medicamenta invenit etiam activa, miſſo ſcrupulo, hæc concedunt & audacter miniſtrant.

Præter hos paucos, numeroſi ſunt *Fizii* diſcipuli aut aſſeclæ qui *Hippocratis* doctrinam, triſtem & ſtupidam meditationem mortis appellantes, nihil a natura medicatrice expectant, fauſtoſque eventus unice creberrimis ſuis evacuantibus aut alterantibus concedunt; hos Medicos, quorum plurimos amo, cum *Gedeone Harveio* duris nominibus non deſignabo; ſtercoriarios illos nec aſinarios appellabo, ſed pacata mente egregiorum totius orbis Medicorum obſervata referens, quamnam doctrinam in tanto opinionum conflictu amplecti debeant alumni, aut *Hippocraticam* expectantem aut *Fizianam* agentem determinare juvat.

Duplici modo intricatam hanc quæſtionem de præſtantia doctrinæ *Hippocraticæ* ſeu *Haenianæ* ſolvere poſſumus, auctoritate aut obſervatione: Auctoritas in eo tantum valebit in quantum obſervationibus numeroſis propriiſque noſtris ſtabilitam inveniemus; igitur monumenta antiſtitum evolvendo, antiquiſſimum lego Coüm ſenem, ubique in veris ſuis ſcriptis naturam medicatricem, neglectis ambagibus theoreticis, in aphoriſmis & ſpecialiſſimis obſervationibus ſtatuentem. Divi *Hippocratis* ſedulo omnia effata hanc veritatem exhibentia in pathologicis inſtitutionibus collegit *Haenius*. Præter hæc axiomata quæ vim & methodos na-

turæ confirmant, plurimos ægrotantes, nullis adhibitis medicamentis, in epidemiis *Hippocratis* ſanatos invenimus; in his omnes fere ſpecies criſeos ſeu evacuationum ſpontanearum, quas noſtri temporis ægroti offerunt, enunciatæ fuere; in his dies critici præciſe iiſdem temporibus morborum evenientes, ſicut apud nos obſervantur.

Poſt *Hippocratem*, ſimilem doctrinam, etiamſi peripateticis ſcholis enutritus, *Galenus* numeroſis ſuis obſervatis ſtabilivit: vidit ſpontaneas curationes, nuntiavit ſuo tempore criſes, has ipſemet febre detentus expertus eſt. Reſtauratis ſcientiis, ſcholæ Gallicæ principes medici, *Hippocraticam* doctrinam amplexi, novis plurimis obſervationibus locupletarunt. Huc ſummo cum honore *Hollerium*, *Duretum*, *Ballonium*, nominare ſufficit, præſertim *Duretum* qui, graviſſime ipſemet ægrotans, coctionem criſimque ſalutares non a remediis aſtantium medicorum, ſed a Natura medicatrice ſperavit & obtinuit. Poſt *Hollerios* & *Duretos* diſputandi audacia, Chymicorum præſertim, jactantia Medicorum, animos a tramite naturæ deflexerunt. Paucis exceptis, plerique *Carteſianorum* funeſto pruritu vexati, omnia explicare tentantes, obſervata adaugere negligentes, vanas theorias aut condere aut amplecti unice cogitarunt, uſquequo

tres ſummi viri nova argumenta pro medicina *Hippocratica* ebore & ferro firmiora nobis ſuppeditarunt : *Stahlium*, *Hoffmannum*, *Boerhaavium* dico, qui, etiamſi diverſa principia moventia agnoſcentes, naturam tamen ſolam, veram morborum medicatricem declararunt. Res certe ſtupenda, nam *Boerhaavius* mechanicam doctrinam proponebat ſicut *Hoffmannus*; *Stahlius* nullas functiones modo mechanico adimpleri firmiter credebat : tres tamen hi viri ex unico fundamento praxeos regulas propoſuerunt, ſcilicet Naturam medicatricem, tres agnoverunt, plurimos graviſſimos morbos ſponte curatos viderunt : fatendum tamen in ſpeciali praxi *Stahlium* conaminibus naturæ faventiorem fuiſſe.

Plurimi recentiores, etiamſi diverſis ſectis addicti, eamdem praxim ſeu *Hippocraticam* laudarunt & promulgarunt : *Pringlium* appello, *Huxhamium*, *Swietenium*, *Hallerum*, *Borduſium*; nec minus huic doctrinæ noſtris temporibus addicti fuere clariſſimi *Cullen* & *Tiſſot*. Hi omnes & plurimi alii mox ſuo loco nominandi, nihil ſperandum in praxi, reluctante natura, una voce ſtatuerunt; hi omnes coctiones criſeſque ſuo tempore & noſtro obſervarunt & deſcripſerunt. Quomodo igitur alii plurimi, aliunde doctiſſimi Medici, nihil ſimile agno-

verunt? Reſponſum ſuppeditant duo artis noſtræ lumina, *Sydenhamius* & *Baglivius*: doctrinæ *Hippocraticæ* contemptores, nec coctiones nec criſes viderunt, quia medicamentis incongruis naturæ conamina perturbarunt; criſes non obſervarunt, quia mentis tranquillitas ad has obſervationes peragendas requiritur. Quot phænomena æque certa non fuerunt obſervata, attentione non ſufficienti adhibita! huc revocandi plurimi textus praxeos *Baglivii* & eximia Præfatio *Sydenhamii*: ſed, miſſis auctoritatibus, quæ noſmetipſi vidimus & probavimus, afferre breviter juvat.

Ab anno 1760 ad annum 1762, ſtudia medicinæ proſequentes, eamdem opinionum diverſitatem Monſpelii vigentem invenimus, tum inter Profeſſores, tum inter urbis Practicos. Ex una parte, *Sauvages*, *Lamure*, *Venel*, *Le Roi*, *Barthès*, Hippocraticam doctrinam, tanquam ſolam veram & utilem agnoſcebant; ab altera, *Haguenotius*, *Fizius* aliique nec criſes, nec coctiones expectabant, has & dies criticos tanquam figmenta judicabant; noſocomiorum Clinici *Fizianam* praxim ſecuti, alternis diebus, in pleriſque acutis cathartica præſcribebant. Plerique in principio omnium fere acutarum febrium emetica tanquam neceſſaria, etiam in morbis inflammatoriis pectoris, porrigebant. Altera parte

Profeſſores, *Hippocratis* doctrinæ fautores, nec nonnulli Doctores, quorum præcipuus fuit clariſſimus *Fouquet*, oppoſita methodo ſub oculis noſtris pauperes & condiſcipulos noſtros tractabant, pauca medicamenta præſcribentes, diluentia nitrata in acutis pleriſque porrigentes, raro venam ſecantes, rarius emetica adminiſtrantes, ſub fine tantum morborum, in nonnullis caſibus, cathartica concedentes, ſcilicet quando natura pigra aut debilis evacuationem ex alvo tentabat : his tribus annis, tum in noſocomio Sancti Eloiſii, tum in urbe apud pauperes, diverſorum morborum centum ægrotantes ab expectantibus Medicis, & centum alios ab agentibus tractatos notavimus, omniumque fauſtos & funeſtos effectus vera fide redegimus : ex parte expectantium ſeu *Hippocraticorum* rariores mortes in ſimilibus morbis, &, quod æque verum, illorum ægroti citius convaleſcebant, promptiuſque robuſti & alacres evaſerunt. E contra noſocomii ægroti plurimi poſt cathartica aut emetica, aut nimium repetitas venæ ſectiones perierunt; & qui evaſerunt, diu debiles & pallidi manſerunt. Apud ægrotantes *Hippocraticorum* omnes ſpecies criſeos læti vidimus; ſed, quod minus notum, plurimos nec inflammationibus pectoris detentos expectoratione judicatos obſervavimus, phænomenon quod poſtea,

frequentius quam credunt, clinici verificavimus: unde autopſia, non auctoritate convictus, ſub fine tertii anni curſus Academici, pro theſi inaugurali hoc thema ſelegi *de natura medicatrice*, præcipuaque hujus doctrinæ momenta, contra *Fizium* alioſque reluctantes, præſide clariſſimo *Le Roy*, tuitus fui: paulo poſt redux in patriam te Docțiſſimum Vitet agnovi, ſcilicet anno 1763, te æmulum inveni & amavi.

Poſt prima colloquia, te ſummo gaudio *Hippocraticam* puram doctrinam ſectantem cognovi; ſed, quod mirum, hac ætate & hoc tempore vera & ſolida doctrina Chymica, propriis numeroſiſque periculis imbutum, te proſectorem inveni dexterrimum, te ducente, in tuo amphitheatro, omiſſas plurimas minimas partes corporis humani propriis oculis enucleare potui. Te docente, quot novas obtinui obſervationes ad medicinam Hippiatricam reducendas, quæ doctrinam novam hoc tempore offerebat, quam doctrinam tu primus ſolide & plenarie evolviſti! Sed, quod pretioſius fuit, jam hoc tempore nullam amiſiſti occaſionem, doctrinam tibi gratam, ſcilicet *Hippocraticam* locupletandi. Jam tecum centies acutos morbos graviſſimos paucis aut nullis medicamentis ſanatos vidi; ſed ſemper amici ab anno 1762 ad annum 1775, omnes medicinæ doctrinas & eſſentiales & acceſſorias proſequen-

tes, quiſque juxta guſtum, tu Hippiatricis, Anatomicis, & Chymicis magis deditus, ego non omiſſis tuis, Hiſtoriæ Naturalis & botanicæ magis amaſius, nec una die clinicas obſervationes negleximus. Sceptico animo omnia dogmata ad lapidem Lydium experientiæ revocantes, quid verum, quid incertum in arte videre & ſtabilire potuimus: inde mox theorias omnes generales fractas variis experimentis invenimus, unde tutius empiriſmum rationalem amplecti debuimus; ſed ſemper & ubique inconcuſſum obtinuimus hunc aphoriſmum, morbos ſanabiles ſolis naturæ viribus expugnari poſſe, paſſim juvante miniſtro clinico. Oppugnantium Practicorum, tum in urbe, tum in noſocomio ægrotantes obſervantes eorumque fauſtos & funeſtos eventus bona fide cum pari numero ægrotantium, a medicis expectantibus tractatorum conferendo, rariores mortes inter iſtos invenimus: unde emolumenta *Hippocraticæ* & *Haenianæ* methodi numerando, evidenter vidimus undique anteponendam, tum ſimplicitate, tum certitudine, & quod etiam ponderandum, tum ſua œconomia; olim enim vidimus multitudine remediorum opifices noſtros unico morbo depauperatos, qui *Hippocratica* methodo ſani evadunt, vix ſalutatis pharmacopolis.

Hæc omnia jam firma mente occupavimus,

quando ſors iniqua nos dure ſeparavit ; te amicum reliqui tranquillum, civibus omnibus jam notum, optimumque clinicum denominatum. Ego autem ad cathedras adimplendas, a doctiſſimo rege, immortali Staniſlao Auguſto, advocatus, octo integris annis varias medicinæ partes docere debui, Anatomiam præſertim & Botanicam : in noſocomiis regiis quaque die ſexaginta ægrotantes tractare debui ; ſed, quod pretioſius, nihil timens ab infidelitate miniſtrorum ſanitatis, potui & debui plurima dubia ſolvere, aſſerta antiqua roborare, quid valeat natura in hominibus parum a legibus ſuis remotis accurate cognoſcere. Longo iſto tempore ſaltem ſexcentas obſervationes redegi, quæ omnes evolvunt varios modos quibus natura materiem coquit morbi & eliminat ; eo lubentius horum ſummam tibi tradam, quod legens & relegens egregias tuas ephemerides quas, adjuvante & ſocio clariſſimo *Petetin*, exaraviſti, meas fere quoad remedia, auxilia & eventus inveniam. In acutis, eminet energia autocratiæ naturæ, pauca juvantia conceduntur ; in chronicis, vos forte primi ſelecta medicamenta vere activa, ſolitaria & plerumque indigena præſcripſiſtis : o utinam ſimili methodo in quaque urbe tales ephemerides quolibet anno pararentur ! Tunc tantum Medici, veri cupidi, bonum

publicum unice proſequentes, fractis & remotis turpibus politicæ catenis, artis noſtræ nævos delere poſſint, priſcamque illi reddere *Hippocraticam* ſimplicitatem.

Jam dixi : doctrina de natura medicatrice a præſtantiſſimis Medicis omnium ſeculorum fuit adoptata ; immortales ſectatores habet, *Hippocratem*, *Galenum*, *Celſum*, *Areteum*, *Duretum*, *Ballonium*, *Heurnium*, *Jacotium*, *Mercurialem*, *Hollerium*, *Baglivium*, *Sydenhamium*, *Boerhaavium*, *Hoffmannum*, *Stahlium*, *Swietenium*, *Haenium*, *Bordusium*, *Tiſſotum*, *Piquerum*, *Lieutaudium*, *Sauvageſium* ; ſed etiam, ſi hi omnes hanc neglexiſſent, vituperaſſent, ſicut revera in plurimis caſibus fecerunt, ſcilicet in ſpecialioribus, nimium ab arte ſua ſperando, non ſat molimina naturæ æſtimando, nos qui a viginti annis tot obſervationes collegimus, morborum ſcilicet quos natura ſola profligavit, nonne hanc pretioſiſſimam doctrinam firmiter amplecti & promulgare junctis viribus debemus ? Jam tua Adverſaria & noſtra adunando circiter tria millia obſervationum proponere poſſumus, quæ autocratiam naturæ ſtabiliunt.

Tuis omiſſis, ſub regimine noſtro, triginta invenio fracturas, in hominibus ſola reductione & faſciis appoſitis ſanatas, præter ſexaginta in animalibus, neglectis faſciis, æque plenarie cu-

ratas ; vulnera gravia in hominibus quinquaginta, ſolo contactu aëris impedito, ad bonas cicatrices reducta, præter centum & triginta in animalibus, nullo emplaſtro nec faſciis appoſitis ; ulcera trecenta ſolo emplaſtro diapalmo cum lotionibus ex extracto Saturni aut decocto chelidonii ad ſtatum vulneris recentis reducta, abhinc ſolo naturæ balſamo ſanata ; tumores inflammatorios, phlegmones, eryſipelata, pluſquam ducenta aut reſoluta, aut naturæ ſolis viribus ſuppurata & repleta ; partus triginta ſex, herpetes ſexaginta, in quibus ſex tantum glycyrrhiza intus & extus adminiſtrata fuit : inter morbos internos, febres ephemeræ 65, ſynochæ centum triginta, ardentes inflammatoriæ 40, putridæ ſynochæ 60, tertianæ vernales 300, quartanæ 30, quotidianæ 105, anginæ 10, pleuritides 44, peripneumoniæ 62, morbilli centum & viginti, variolæ 200 & ultra, dyſenteriæ 100 & ultra, rheumatiſmi 24, hi omnes morbi, omiſſis aliis minoribus, numeroſis diarrhœis, anorexiis, vomitu, colicis, cephalæis, ſimpliciſſima methodo *Haeniana* ſeu *Hippocratica*, paucis auxiliis adhibitis, ſanati fuerunt : hæc eſt mea, ſcilicet aër temperatus, ptiſanæ farinoſæ, aut acidæ, aut nitratæ, enemata emollientia, fomenta. Hæc pauca ſunt vera medicamenta in acutis, nonnullis exceptis caſibus, in quibus proſtratio virium, corticem

peruvianum

peruvianum & veſicatoria poſtulat, exceptis etiam caſibus in quibus plethora venæ ſectionem requirit, & in quibus materia etiam primis diebus evidenter turgeſcens emetica aut catharctica concedere jubet: ſed hi caſus rariſſimi, ſicut patet ex noſtra praxi, & ſicut *Haenius* noſter plenarie demonſtravit. Hic egregius Profeſſor in variis tomis rationis medendi, hanc *Hippocraticam* methodum enucleavit, in eodemque immortali opere quam peſſime errant clinici ſtatuit, qui initio omnium fere acutorum ſemper fere emeſim præſcribunt. Tu jam a viginti annis hoc *Haenianæ* therapeiæ punctum eras amplexus, nunquam fere tartarum emeticum, etſi Chymiæ favens, raro ipecacuanham in acutis adminiſtraviſti: ego autem audacibus *Venelii* & *Borduſii* aſſertis ſeductus, diu utilem emeſim in plurimis acutis etiam inflammatoriis credidi: ſæpe tecum pro tuenda mea praxi luctatus fui, ſed tandem contradictoria pericula peragens, vidi, emiſſo emetico, dummodo ægroti copioſe bibant diluentia, tutius ſymptomata profligata fuiſſe; & quod fatendum etiam, etſi ſæpe impune emeſim cum aliis clinicis præſcripſerim, aliquoties tamen triſtes ſequelas, poſt hujus duri medicamenti adminiſtrationem lugens obſervavi. Unde ſi ab aliquot annis in hoc puncto mutaverim methodum meam, nec tua, nec *Hae-*

niana auctoritate ſeductus, ſed propriis & ſat numeroſis obſervatis plenarie convictus. Sed hæc ſufficiant pro morbis acutis; nunc quædam adhuc de chronicis tecum amicaliter colloqui eo lubentius placet, quod olim lites acres inter nos agitatæ fuerint, tum quoad naturam horum morborum diuturnorum, tum etiam quoad medicamenta quæ hos mitigare aut debellare poſſunt.

Tecum, cum *Hoffmanno* & aliis egregiis clinicis duplici modo diuturnos morbos conſidero; plurimi, acutorum more, adauctas ſaltem in plurimis organis, vires naturæ agnoſcunt; alii has vires proſtratas aut debilitatas offerunt. Primæ claſſis morbos duplici methodo aggredi poſſumus, aut hos ſub regimine naturæ derelinquendo, aut illorum cauſas adhibitis medicamentis debellando: ſepoſitis præjudiciis, ſpeciales caſus numeroſos enucleando, evidens apparet plurimos tales morbos lapſu temporis quaſi ſponte curatos fuiſſe; ad hos refero herpetes, pruritus, catarrhos, diuturnas cephalæas, hemicranias, rheumatiſmos chronicos, convulſiones, ſpaſmos, hyſtericas nec non hypochondriacas affectiones, icterum, nonnullos hydropes, œdematias, etiam epilepſiam, aſthma, ſcrophulas, paralyſes: horum omnium generum quaſdam ſpecies, ſolis adhibitis frictionibus, equitatione, mutatione climatis, balneis, regimine congruo,

pauca quantitate alimentorum plurimis vicibus aſſumptorum ; his ſolis , inquam , auxiliis plenarie profligatos centies vidi. Aſt tamen fatendum in plurimis chronicorum ſpeciebus tam lente , tam debilibus viribus adhibitis elaborari materiem morbificam , ut neceſſario expoſtulet auxiliatrices Medici miniſtri manus. In hoc caſu , duplici methodo morbos aggrediuntur Clinici aut *Hoffmanniana* miti , aut *Rulandiana* efficaci. Juxta primam præſcribenda tantum medicamenta quæ tonum debilitatum , aut principiis leviter aſtringentibus aut amaris , aut aromatibus reſtaurare poſſunt ; intermixtis pro reſolutione impactorum , ſalibus neutris. Juxta Rulandum , Poterium , in his ſuccutere valide organa debemus , extus & intus quaſi veſicantia adminiſtrando. Hi adhibent cauteria vera & cauſtica , veſicatoria vera , draſtica emetica , quæ probabiliter in tubum inteſtinorum & ventriculum irritant ſimili fere modo quo cutem veſicantia: Unde videre eſt pro therapeia chronicorum tres extare methodos , leniſſimam expectantium legibus diætæ hos debellantem , methodum mixtam lenioribus medicamentis hos tractantem , tertiam efficacem Severini & Rulandi , igne , ferro , acribus , maxima perturbatione excitata , fomitem morbi quaſi magno impetu ſuccutientem.

Quænam eligenda nunc determinare juvat ; ut verum fatear, tres has utiles in variis caſibus inveni : præter inconcuſſas & numeroſas antiquorum obſervationes ; quaque die argitæ catharticis draſticis, ſudoriferis vehementioribus ſtupendas ſanationes obtinent : nonne egregius noſter *Poutot* ſub oculis noſtris medicina efficaci *Severini* plurimos graviſſimos debellavit morbos ! nonne plurimi draſtico Allioti ſanitatem recuperarunt ! certe novi non paucos ; nobilem noſco qui ſtupendas curationes, me præſente, obtinuit, præſcripta diæta tenuiſſima, motu valido & unico medicamento quaque ſeptimana ſcilicet, gratiolæ decocto majori aut minori doſi, juxta tempora, morbos aut ſubjecta. Evolve, quæſo, obſervata tua de chronicis morbis nec non noſtra plurima ; invenies plurimas ſpecies ſponte ſanatas, tales etiam non paucæ annotationes ſparſim inveniuntur in plurimis Auctoribus : noſtræ etiam & tuæ, ſed præſertim *Hoffmannianæ*, mitem methodum mille modis confirmant. Ex altera parte pondera varia Poterii, Rulandi aſſerta, adde *Poutot*, *Collinii*, *Storckii* varia propoſita de utilitate medicinæ efficacis, videbis evidenter hanc etiam venenoſam, igneam, draſticam medicinam utiliter ſæpiſſime adhiberi poſſe. Hæc omnia acumine mentis enucleando, nonne debemus eaſdem

ſequelas transferre ad claſſem morborum acutorum; tutæ certe ſunt partes expectantium, ſed activorum turba magna clamat, numeroſas profert certas obſervationes, illorum plurimos cognoſcis ægrotos ſanatos. Quinimo pondera numerum mortuorum ex parte expectantium & ex parte activorum; differentia non eſt maxima, ut fateri debeo. Data occaſione, quam pauci obtinuerunt, bona fide contradictoria pericula fecimus, in adminiſtratione regia Grodnenſi. Medicus erat nomine *Henzeilmann*, Germanus, ſcholæ Hallenſis Diſcipulus, vir antiquæ fidei, vere doctus, uno integro anno, tum in urbe, tum in noſocomio, omnes annotavit fauſtos & funeſtos eventus ægrotantium omnium quos tractavit; juxta artis regulas hos dirigebat: vere practicus activus, venæ ſectiones, emetica, purgantia, alterantia, larga ſat manu præſcribebat: ego expectans pari fide omnia notavi. Poſt aliquod tempus, noſtra, amice, conferentes, certe pauciores fuerunt mortui ægrotantium methodo expectante *Hippocratica* tractati; ſed non tam magna differentia, ſicut credideram: ex decem octo fuerunt mei, pro centenario ſimilium morborum. Aſt adverſarii noſtri non ſumant hoc ſingulare factum pro tuendis ſuis partibus: *Stahlianus* erat *Henzeilmannus* meus, vere tamen agens. Sed vix tribus vicibus in inflam-

mationibus venam ſecabat, emeſim raro initio acutorum præſcribebat, ſæpe ſæpius ano evacuationes tentabat, ſed vix ultra minorativa aut lenia cathartica præſcribebat, mannam, ſalia neutra; lenia etiam erant alterantia, magneſia, oculi cancrorum, extracta amara, lenia aromatica: unde concludere fas eſt, plurimos clinicos, qui ſicut *Henzeilmannus* noſter ſeſe credunt activos, neſcientes evadere veros expectantes, plurimaſque curationes artis ſuæ efficaciæ concedere, quæ vere ad autocratiam naturæ ſunt referendæ.

Hæc omnia ponderans nonne credere etiam fas eſt medicos noſtros Lugduneos, alternis fere diebus in acutis purgantes, plurimaque alia remedia præ cribentes, etiam neſcientes fauſtos ſuos ſucceſſus medicatrici naturæ debere? plerorumque amicorum formulas cognoſco, in hiſque lenia tantum medicamenta video, quæ facillime a viribus corporis humani ſuperari poſſunt. Eo libentius hanc concluſionem admitterem quod autopſia occupavi, graviſſimos morbos, acutos etiam, peſſima ſeu vere activa methodo tractatos, attamen ſanatos fuiſſe. Pleuritides graves certe requirunt venæ ſectiones repetitas, nec non medicamenta temperantia: hoc dogma agnoſcunt omnes variarum ſectarum clinici; ſed evolve *Helmontianorum* libros: in

his invenies plurimas obſervationes pleuritidum, in quibus non modo omiſſa fuit venæ ſectio, ſed præſcripta affatim ſudorifera calida & aromatica. Plurimi certe tales pleuritici fuerunt ſanati: regnavit ubique hæc methodus *Helmontiana* uno integro ſæculo ; vidi adhuc hanc vigentem in noſtris provinciis : quindecim novi ruſticos pleuritide ſanatos, non modo omiſſa venæ ſectione, ſed epotis plurimis vini cyathis aromatibus ſaturati. Horrui hæc audiens & videns, ſed ſanati incongrua hac methodo certe fuerunt: plurimi quidem arte ſimili fuerunt jugulati; unde tamen concludere debui, etiam maximis oppoſitis obſtaculis, naturam coquere poſſe materiam morbificam & eliminare : in his pleuriticis vidi ſputa cruenta copioſiora ; vidi irritationis diebus hæmorrhagias narium ; vidi, coctione peracta, ſputa laudabilia, ſudores criticos, diarrhœas tales : quinimo, quis non vidit febres acutas, putridas & ſynochas, quaque die a barbitonſoribus tractatas, qui, quaſi in alea, medicamenta ſua cathartica, emetica concedunt, attamen ſanatas. Hoc anno in urbe noſtra morbilli & variolæ ubique regnarunt : lethalis fuit epidemia. Variolas plurimas etiam confluentes noſco antiqua methodo calefaciente tractatas, ſanatas tamen. Forte adhuc Lugduni hoc anno trecentæ ſic fuerunt vexatæ ; plurimos etiam vidi ſana methodo ductos qui mortui ſunt, etſi,

ſatendum, pauciores quam aliorum. Hoc anno etiam ſat frequentes fuerunt celebres iſtæ febres intermittentes, pernicioſæ, irregulares, a primis paroxyſmis delirium aut ſoporem afferentes: noſtri ægroti tuto evaſerunt, initio affatim præſcripto cortice peruviano, juxta methodum a clariſſimis *Torti*, *Haenio* & *Werloſſio* commendatam; ſed Doctor *Orian*, prudens aſſecla naturæ, veram talem febrim ſponte ſanatam vidit: non pauci Medici ſuos ægrotantes venæ ſectionibus, catharticis repetitis tractarunt, ſicque plurimos perdiderunt; ſed, quod fatendum, noſco plurimos ſic curatos, qui ſanitatem recuperarunt. Ex his rite ponderatis quid concludendum? In nonnullis individuis mortem evenire, etiam adhibitis probatiſſimis methodis; in aliis, etiam peſſimis præſcriptis, tantam eſſe energiam naturæ, ut poſſit ſuperare & artificis imperitiam & malignitatem materiæ morbificæ: unde credendum etiam eſt plurimos acutos morbos, etiam optima methodo tractatos, in nonnullis individuis lethales eſſe. Noſco varietatem variolarum, noſcebat etiam clariſſimus *Fournier*, clinicus Monſpelienſis, quæ quaque methodo aggreſſa ſemper lethalis evadit: hæc ſpecialem odorem ſpargit, & ſi ultra 14 diem ægrotantes ſuperſunt, ſerum tantum acre invenitur in puſtulis, taliumque corpora tribus diebus ante mortem cadaveroſum fœtorem exhalant.

Alterum grave momentum deſumitur in pleriſque morbis a curſu ægritudinis : ſint ægrotantes plerique bene aut male tractati ; eadem die judicantur & ſani evadunt juxta ſpeciem qua affliguntur. Febres omnes depuratoriæ, exanthematicæ, inflammatoriæ, hanc veritatem demonſtrant. Si igitur tam efficacia ſunt remedia antagoniſtarum doctrinæ *Hippocraticæ*, ſi vitia humorum aut ſolidorum mutare valeant, quare qui ſumpſerunt hæc medicamenta, non citius ſanantur? Quot vicibus vidi, ſubridens, pleuriticos, anginoſos, varioloſos, febricitantes, alios naturæ commiſſos, alios creberrimis medicamentis vexatos, eadem die & ſæpe eadem hora judicatos! Dura eſt iſta veritas, ſed propaganda noviſque periculis confirmanda, ut cognoſcant tandem homines prudentes, quid ſperare aut timere a Medicis debeant : heu! amice clariſſime, quam pauci adhuc artem noſtram ſana mente judicare ſciunt! quam pauci morbos nunquam curandos, quos depuratorios appello, cognoſcunt! quam pauci Medici ſpecialioribus caſibus enuclearunt omnes ſpecies morborum, quas natura ſola ſanare poteſt, & iſtas in quibus juvamina artis vere expoſtulat! quam pauci diſtinguere ſciunt vera molimina naturæ quæ coctionem præparant, multo minus perturbationes criticas, evacuationes ſalutares

præcedentes! Sed ultra progredior: quot ſunt Medici qui ſedula obſervatione occuparunt omnes & ſingulos modos, quibus natura materiam morbificam atterit, attenuat, expellit; quibus ſignis colatoria, quibus evacuationes peraguntur, indicantur; qui, hæc omnia prævidentes, ea tantum admittunt medicamenta quibus hos conatus imitari poſſunt? unde quot Medici, experientia edocti, audacter aſſerere poſſunt quam pauca medicamenta ſufficiunt pro omnibus indicationibus adimplendis? Qui ſupra allegata experientia & ratione occuparunt, ſimplicia tantum naturæ producta, & plerumque indigena, vix arte pharmaceutica alterata, pro curatione omnium morborum offerunt. Si cathartica indicantur, non farragine inepta in una formula varia Indiæ utriuſque producta miſcent, ſed unum altiori doſi, & quod lucidius indigenum adminiſtrant, tithymali ſpecies, baccæ rhamni cathartici, ſambucus, ebulus, flores & folia perſicæ, petala roſarum, mercurialis, omnium graduum purgantia his clinicis largiuntur. Indicatur emeſis, ſola radix ipecacuanhæ ſufficiens viſa eſt, ſed ad manus efficacior & tutior radix adeſt aſari. Saburra acida vexat primas vias: teſtæ ovorum, creta eliminant omnia alia abſorbentia. Nimium laxæ ſunt fibræ aut vires proſtratæ, tum generales, tum ſpecialis unius or-

gani : hi clinici, tum analogia botanica, tum chymica ducti, unum aut alterum ſtipticum, unum aut alterum amarum, unum aut alterum aromaticum eligunt, omniaque congenera aut omittunt, aut utuntur quando adſunt ad manus. Sales neutri indicantur, aut alterantium titulo, aut catharticorum : nonne ſal ebſamenſis omnes has indicationes adimplere poterit ? Sic, evolvendo omnes therapeiæ claſſes, ſimili modo cum paucis & ſimplicibus medicamentis ſanabiles pleroſque morbos, cum ſpe ſucceſſus, aggredi poſſumus. Præter noſtra pericula, quæ viginti annis hanc theſim undique roborant, legant polypharmaci *Sydenhamium* & *Baglivium* : videbunt quam pauca hi egregii clinici præſcribebant remedia, etſi nondum auguſtam artis ſimplicitatem cognoverunt.

Hæc ſunt, amice colendiſſime, quæ, prima data occaſione, tibi offerre debui. Plurima alia meditor, quæ, ſi Deus mihi conſervat vitam, forte in poſterum amicis communicabo : tu altiora petens numeroſas tuas obſervationes ſedulo adauge ; ordinatas juxta rigoroſas logicæ medicæ regulas, ſevera cenſura enuclea, ut ſciant rerum periti quam tuta eſt methodus *hippocratica*. Jam immortalis *Hallerus* egregium tuum opus de re hippiatrica rariſſima ſua cenſura ditavit : dicendo egregium opus experimentis natum ! Jam materia

tua medica omnibus veris clinicis grata & utiliſſima apparuit ; jam optimus clinicus celeberrimus *Tiſſot* methodicam ſynopſim tuam morborum cum Sauvageſiana & Culleniana comparavit ; jam periodicas tuas obſervationes candide laudavit, utiliſſimaſque declaravit : eaſdem probavit Clariſſimus *D'Aumont*, Valentinus Profeſſor, qui, jam omnibus Medicis bene notus, egregiis lucubrationibus quæ Encyclopædiam ornant, nova parat pretioſa obſervata, quæ naturam medicatricem vindicare poſſunt. His contentus, contemne calumnias, contemne invidiam ; ſed famam ſplendidam obtinens, ama antiquum amicum qui te præſentem, te abſentem, ſincere amavit : vale.

Joannes-Emmanuel GILIBERT,
Medicinæ Profeſſor.

Ex Muſeo Lugduni Gallorum, 10 *Januarii* 1784.

P. S. Egregius amicus noſter, cui hoc opuſculum conſecravimus, menſe decembri 1790, unanimi civium conſenſu primariam magiſtraturam in noſtra civitate, ſecunda imperii Gallici, obtinuit, ſeu nominatus *Maire*, moxque exemplo *Tulpii*, Medici in Hollandia, Plateri & Halleri in Helvetia, ſimili mentis acumine res publicas gubernabit, qua, ſpatio 30 annorum, res medicas tractavit.

RÉFORME MÉDICINALE.

ENVOI

A MONSIEUR TISSOT, *Célèbre Médecin de Lauſanne.*

MONSIEUR,

Vous avez parcouru mes *Adverſaria* : les deux lettres adreſſées à mon ami Vitet, préſentent aſſez clairement mes principes, pour que chaque lecteur les puiſſe déduire des obſervations ſpéciales énoncées dans le corps de l'ouvrage ; ces principes & ces conſéquences ne paroîtront hardis qu'aux Médecins ſoumis aux préjugés de l'école, & entraînés par l'amour propre vers les dogmes de la médecine agiſſante ; mais enfin, il ne s'agit ici que d'une tentative ; mes obſervations ſont elles vraies ou ſuppoſées ? ſi elles ſont vraies, il eſt clair que l'art, tel qu'il s'exerce dans preſque tous les pays, a beſoin

de réforme ; ſi ſa puiſſance eſt auſſi bornée que je l'annonce, nos légiſlateurs ne doivent-ils pas régler d'après cet aperçu la réforme qu'ils projettent ? Vous avez déjà lu pluſieurs plans propoſés à notre Aſſemblée Nationale : dans tous, les Auteurs ſuppoſent que l'art de guérir eſt toujours actif, lumineux, néceſſaire pour le traitement de toutes les maladies internes & externes. Jugez après cela, ſi leur réforme atteindra le but que doivent ſe propoſer les Médecins philoſophes.

Je crois m'être aſſuré que les trois quarts des maladies connues guériſſent mieux abandonnées à la nature, que ſoumiſes aux traitemens propoſés par les artiſtes. Stahl nous apprend qu'il s'eſt auſſi convaincu de cette grande vérité par une ſuite d'obſervations ſpéciales. Je me ſuis en outre aſſuré par une longue expérience de la vérité d'une autre aſſertion de ce grand homme ; que pour les maladies qui exigent les ſecours de l'art, le repos, l'exercice, la diète, & un très-petit nombre de remèdes ſimples très-communs, de nul prix, ſuffiſent, à tous égards : ſi ces deux vérités générales ſont une fois conſtatées, bien reconnues, quelle ſera la baſe de la réforme projetée ? nos Légiſlateurs ne devront-ils pas ordonner que l'on dreſſe un code de médecine clinique, qui développe

ſynthétiquement les maladies que la nature guérit ſeules, celles pour leſquelles elle implore les ſecours de l'art ; & quels ſont préciſément ces ſecours ? Après ce travail achevé, les mêmes rédacteurs ne devroient-ils pas déterminer, d'après les grandes vues du même Stahl, ſi la vraie médecine clinique ne peut pas exiſter d'une manière très-utile, ſans l'influence de ſes parties auxiliaires, au moins dans le ſens énoncé par les Médecins théoriciens, & juſqu'où s'étend, même pour la vraie théorie, (ſi toutefois elle exiſte), cette même influence ; là il faudroit ſtatuer quelles ſont les notions de Phyſique, d'Anatomie, de Chymie & d'Hiſtoire naturelle, abſolument néceſſaires pour conſtituer le corps de doctrine médicinale, ſi l'application de ces notions eſt de néceſſité rigoureuſe. Stahl le plus grand chymiſte de ſon ſiècle, n'a pas cru la chymie rigoureuſement néceſſaire au praticien : il a démontré que la Phyſique, les Mécaniques, la ſubtile Anatomie & l'Hiſtoire naturelle, ſont auſſi inutiles pour la véritable médecine clinique, que la mécanique pour un meunier, ou la myologie pour un danſeur. Si toutes ces aſſertions ſont fondées, nos Légiſlateurs ne rétabliront-ils pas des diſtinctions dans le plan des études & des exercices de médecine ? Qu'il y

ait de grandes écoles dans leſquelles on enſeigne avec appareil toutes les ſciences prétendues auxiliaires, j'y conſens ; mais ſe perſuadera-t-on que les docteurs de ces écoles, ſi ſavans en mathématiques, en phyſique, en anatomie, en chymie, en hiſtoire naturelle, en botanique, que ces hommes en outre littérateurs profonds, poſſédant toute l'érudition de l'hiſtoire de la médecine, toutes les théories anciennes & modernes, iront, après vingt ans d'études & de recherches, ſe confiner dans nos campagnes, pour faire jouir nos payſans de leurs vaſtes connoiſſances ? Profitons de l'expérience du temps paſſé : dans nos petites villes, dans nos bourgs ou villages, je ne trouve que des chirurgiens qui, ſans ſcrupule traitent toutes les maladies ; dans nos plus grandes villes, la moitié au moins des maladies internes eſt dirigée par ces mêmes artiſtes : ceux qui connoiſſent le plan de leur éducation & de leurs études, ſavent ce que l'on doit attendre de leurs talens comme Médecins ; dans ce cas, ne ſeroit-il pas plus utile d'établir, dans tous les hôpitaux un peu conſidérables, des profeſſeurs, ou plutôt d'obliger tous les Médecins cliniques de ces hôpitaux, d'ouvrir dans chacun une école de pratique, dans laquelle ils n'enſeigneroient préciſément que le code déjà rédigé d'après le plan propoſé.

propoſé. Ces écoles de médecine ſeroient très-utiles, ſi on les dirigeoit d'une manière ſimple & uniforme. Je voudrois que les élèves fuſſent tous nourris & logés dans l'hôpital ; qu'on ne les obligeât à apprendre que l'anatomie vraiment utile pour la pratique de la chirurgie & de la médecine, que les objets de cette anatomie fuſſent exprimés en termes françois & non en grecs ; ſur-tout que les élèves puſſent voir ſouvent ces objets pour les bien graver dans leur mémoire ; qu'on ajoutât à ces connoiſſances de ſenſation, l'hiſtoire vraie des fonctions, ſans ſyſtème ni théorie arbitraire ; ſavoir, l'hiſtoire des phénomènes de la vie, que cette hiſtoire fût prouvée par une ſuite d'expériences analogues à celles de la phyſique expérimentale, telles que les ſavoient faire Harvei, Halles, Haller, &c. Ces connoiſſances acquiſes, les élèves paſſeroient à celles des remèdes qu'ils puiſeroient dans la pharmacie de l'hôpital, & dans ſon jardin ; je voudrois qu'ils touchaſſent, ſentiſſent, mâchaſſent ſouvent les remèdes, qu'ils les préparaſſent eux-mêmes ; ces connoiſſances de ſenſation doivent être préſentées par analyſe ſuivant l'occaſion ; ce n'eſt qu'à la fin des études qu'on peut les lier par la méthode ſynthétique. Même plan pour les maladies : c'eſt dans les rangs, au pied

des malades que les élèves doivent chercher les premières notions des affections contre nature, c'eſt par les ſens qu'ils doivent les acquérir ; dirigés par des praticiens exercés, ils ſe formeront peu à peu des tableaux vrais de chaque eſpèce de maladies ; je voudrois que l'on déſignât les ſignes des maladies par des expreſſions françaiſes & non en termes grecs, par exemple, que l'on appelât inflammation des yeux, l'ophthalmie, &c.

Lorſqu'après trois ou quatre ans ces mêmes élèves auroient la tête bien meublée de tous ces tableaux morbifiques, le profeſſeur les leur préſenteroit ſous un plan méthodique, ſymptomatique, d'après les vues de Sauvages ou de tout autre. Mais ſur-tout il faudroit pour chaque eſpèce énoncer celles qui guériſſent *ſponte*, le prouver aux élèves par des faits ſouvent répétés, leur faire obſerver la manière dont ces eſpèces ſe jugent, par quelles évacuations elles ſe terminent, leur indiquer celles qui demandent les ſecours de l'art, & quels ſont préciſément ces ſecours néceſſaires. Il faudroit ſtatuer que nul Médecin ne pourroit obtenir une place dans ces hôpitaux ou écoles cliniques, qu'il n'eût étudié au moins ſix ans dans une des trois ou quatre univerſités conſervées, ſur-tout que les profeſſeurs de ces univerſités

fuſſent tous des hommes de génie, connoiſſant à fond toutes les reſſources de l'art & de la nature. Mais pour revenir à nos élèves des écoles cliniques à établir dans chaque hôpital, il faudroit les choiſir avec ſoin, ſur-tout s'aſſurer s'ils ont un jugement droit, des mœurs & de la probité. Imaginez, Monſieur, quelle ſource de biens jailliroit de ce plan, s'il étoit bien ſuivi. Chaque année toutes ces écoles fourniroient à l'Etat un aſſez grand nombre d'élèves pour nos campagnes, ces élèves également au fait des opérations chirurgicales & du traitement des maladies internes, pourroient remplir avec ſuccès les fonctions d'apothicaires, de chirurgiens & de médecins. Mais pour les avoir tels, il faudroit qu'ils ſéjournaſſent au moins ſix ans dans ces écoles ou hôpitaux, que chacun d'eux fût chargé d'un très-petit nombre de malades, pour cela, dans les grandes villes il faudroit détruire ces immenſes lazareries, foyers de miaſmes meurtriers, qui dénaturent les maladies les plus ſimples; je voudrois qu'un hôpital quelconque, ne pût contenir que deux cents malades, répartis dans quatre bâtimens iſolés, entourés de jardins, plantés d'arbres à grand vent, que chaque ſalle ne contînt que 25 lits, que chaque malade fût couché ſeul, que les lits fuſſent au moins diſtans entre eux de 5

pieds. Suppoſons un pareil hôpital, dans lequel il y auroit un amphitéâtre, un laboratoire pharmaceutique, un jardin de plantes officinales, abſolument néceſſaires pour le traitement des maladies ; ſavoir, une centaine au plus ; que dans cet hôpital on aſſigne deux vrais médecins, connoiſſant toutes les reſſources de l'art, & aſſez éloquens pour rendre leurs idées avec netteté, qu'on leur aſſocie un bon chirurgien-opérateur & un bon apothicaire ; que ces quatre hommes dirigent dix à douze élèves d'après les vues propoſées ; que l'on inſtitue quatre-vingts ſemblables hôpitaux en France, je ſuis convaincu, par des calculs d'approximation exacts, qu'ils pourroient fournir aſſez de ſujets pour tout le royaume ; je dis plus encore : tous ces établiſſemens ne coûteront rien à l'Etat : je connois aſſez les revenus de tous les hôpitaux du royaume, pour aſſurer, d'après le travail de M. Colombier (1), que j'ai eu ſous les yeux, qu'ils ſuffiſent pour payer honorablement tous les profeſſeurs cliniques, & même pour nourrir

---

(1) Inſpecteur des hôpitaux civils de France, Médecin actif & plein de zèle, à qui les pauvres doivent la réforme de pluſieurs abus meurtriers & pluſieurs pratiques très-avantageuſes, mort en 1789, âgé de 53 ans.

tous les élèves. Si parmi ces élèves les profeſſeurs reconnoiſſoient des ſujets avec des diſpoſitions extraordinaires, ils en avertiroient les Départemens qui prendroient ces ſujets ſous leur protection, & les enverroient, aux frais de la province, ſe perfectionner dans les grandes écoles ou univerſités.

On me dira, peut-être, que mes 80 écoles cliniques de Départemens, devant être dirigées par des médecins formés dans les univerſités, il faudroit propoſer les moyens de s'aſſurer que pluſieurs de ces élèves peuvent devenir de bons profeſſeurs. A cela je réponds que, ſi dans ces univerſités on ſuit le beau plan que vous avez propoſé, on peut ſe flatter de former de grands ſujets, ſur-tout ſi on ôte aux profeſſeurs tout motif de favoriſer les élèves; le meilleur moyen, à mon avis, ſeroit d'anéantir toute rétribution de la part des étudians en faveur des profeſſeurs, d'abolir les frais d'acte, d'immatricule, d'inſcriptions, ſur-tout de ſupprimer les colléges privés. Trois ou quatre grandes univerſités ſuffiſent pour la France; mais il faut que les élèves y trouvent tous les ſecours pour leur inſtruction, jardin de botanique bien fourni, laboratoire de chymie complet, préparations d'anatomie nombreuſes, abondance de cadavres dans les amphitéâtres, cabinets d'hiſtoire naturelle & de

phyſique expérimentale bien aſſortis, école de pratique, que les profeſſeurs ſoient en aſſez grand nombre, pour que toutes les branches de l'inſtruction aillent ſans interruption; ſurtout je voudrois que le plan d'étude fût uniforme, que le Sénat académique arrêtât les dogmes à enſeigner; que les livres élémentaires pour chaque ſcience auxiliaire, ou pour chaque partie eſſentielle de la médecine, fuſſent rédigés par une ſociété de médecins, autoriſés par les Légiſlateurs; que dans ces livres, les faits fuſſent iſolés & préſentés par abſtraction; que les théories, déduites de ces faits, fuſſent auſſi iſolées & caractériſées, ſuivant leur plus ou moindre degré de probabilité ou de certitude.

Outre les chaires déjà établies dans les bonnes univerſités, j'en déſirerois une de logique médicinale, réunie à l'hiſtoire critique de la médecine; cette chaire ſeroit confiée au profeſſeur le plus ſceptique; ce ſeroit un cenſeur vigilant, qui modèreroit avantageuſement la fougue des eſprits, trop tranchans dans leurs aſſertions. Quant au choix de tous les profeſſeurs, il ſeroit fait par la ſociété de Médecine, que je voudrois conſerver, & cette ſociété ne devroit ſe décider que d'après des ouvrages, ou manuſcrits ou imprimés, indépendamment des

diſputes déjà établies, qu'il faudroit conſerver, les profeſſeurs des grandes écoles, & des écoles cliniques, des hôpitaux des Départemens ſeroient tenus d'envoyer, chaque année, leurs journaux de travail à la ſociété de Médecine; je voudrois que dans tous les hôpitaux ont tînt note ſur les regiſtres des viſites, du nom, de l'âge, du ſexe, de la profeſſion de chaque malade, des ſymptômes caractériſtiques, de l'événement de la maladie, du régime, des ſecours, des remèdes preſcrits, que chaque Médecin envoyât à la ſociété de Médecine les réſultats de ces regiſtres. Mais, me direz-vous: qu'entendez-vous par cette ſociété qui devient juge ſuprême des Médecins? Je veux parler de celle établie depuis pluſieurs années à Paris, ſoumiſe à une régénération comme toutes les autres corporations de médecine; mais je voudrois qu'elle eût des départemens dans toutes les grandes villes du royaume, ou des aſſociations de Médecins déjà connus par quelques bons ouvrages; que celle de Paris nommât ces Médecins comme aſſociés; que dès qu'ils ſeroient cinq dans les villes du ſecond ordre, & dix dans les plus grandes, ils s'aſſemblaſſent pour recevoir & rédiger les obſervations des Médecins des départemens voiſins; que la ſociété de Médecine de Paris prît l'avis des autres

Sociétés répandues dans tout le royaume, ſur toutes les matières d'importance. Par ce plan, tous les Médecins de France ſeroient liés, & pourroient correſpondre pour les progrets de l'art : mais avant tout, il faudroit anéantir tous ces anciens colléges, qui, par un abus énorme excluoient de leur ſein ceux qui, avec de grands talens n'avoient pas des ſommes conſidérables à verſer dans la bourſe commune & dans celle de chaque membre. Voilà, Monſieur, mes principales idées, ou mes rêveries ſur l'organiſation projetée de l'art de guérir ; il a plus de vingt ans que ſous les auſpices du grand Haller, j'ai tracé, dans l'anarchie médicinale, tous les abus qui déshonorent notre profeſſion ; j'oſai alors peindre, avec force, l'ignorance & le brigandage, non-ſeulement des Charlatans, des Apothicaires, des Chirurgiens, mais encore des Médecins.

Pluſieurs de ceux qui d'après l'invitation du Comité de ſanté, ont envoyé à l'Aſſemblée Nationale le tableau de la médecine de leur province, n'ont fait qu'alléguer les faits que j'avois propoſés dans l'anarchie, preuve que j'avois vu le mal tel qu'il exiſtoit. Puiſſent nos Légiſlateurs ſe pénétrer des maux ſans nombre que l'ignorance & la mauvaiſe foi ont cauſés aux hommes, relativement à l'adminiſtration médi-

cinale ! puiſſent-ils voir d'un coup d'œil ſûr, les biens que l'art de guérir peut produire, lorſqu'il ſera réduit à ſa ſimplicité primitive ; lorſque tous les Médecins honnêtes & inſtruits abandonneront à la nature les maladies qu'elle ſeule peut guérir, l'aideront ou la modéreront dans celles qui réclament les ſecours de leur art. Ce temps heureux ne peut pas être bien éloigné ; déjà l'eſprit humain briſant les chaînes & les entraves dont l'ignorance & la ſuperſtition politique & religieuſe l'avoient accablé, parcourt à pas de géant la carrière de la vérité ; déjà les vrais principes de morale & de politique ſe répandent & ſont adoptés, même par le vulgaire des hommes : la médecine ſeule reſtera-t-elle enveloppée de ténèbres ? Non, bientôt des génies hardis attaqueront l'erreur ; & oſeront préſenter les vérités ſimples, qui ſont les fondemens de l'art de guérir. Vous avez, Monſieur, un des premiers proſcrit une foule de préjugés ; ceux ſeulement qui marcheront ſur vos traces pourront continuer votre ouvrage. Quant à moi, borné dans mes vues, je me contenterai de raſſembler ſans ſyſtème & ſans préjugés, des faits qui pourront peut-être un jour être employés utilement par des mains plus habiles ; l'ouvrage que je vous envoie en préſente un aſſez grand nombre ; les

conſéquences qu'on peut en déduire tendent toutes, ſi je ne me trompe, à établir trois grands principes : 1°. que la nature guérit ſeule les maladies ; 2°. que dans celles pour leſquelles elle demande des ſecours à l'art, il faut ou la modérer lorſqu'elle emploie trop d'énergie, ou l'aider, ſoutenir ſes forces, lorſqu'elle s'affoiblit ; 3°. qu'un petit nombre de moyens ou remèdes ſuffit pour remplir ces deux vues principales.

J'ai l'honneur d'être, &c.

GILIBERT,
Profeſſeur Médecin.

A Lyon ; ce 20 *février* 1790.

OPERIS DISTRIBUTIO

ET SERIES.

CANONES.
Epiſtola dedicatoria.
Præfatio, j
Introductio, xxix
Vitia, xlv
Plagæ, ciij
Lucubratio de acephalo, cxxxij
Obſervatio de calculo bovino, cxliij

COLLECTIO PRIMA.

MORBI EXTERNI, page 1

Contuſiones.	*Obſerv.* 1-3.
Anevriſma.	*Obſerv.* 4-5.
Amputatio.	*Obſerv.* 6.
Agglutinatio palpebræ.	*Obſerv.* 7.
Congelatio digitorum.	*Obſerv.* 8.
Ficus.	*Obſerv.* 9.
Ophthalmia.	*Obſerv.* 10-14.
Labium leporinum.	*Obſerv.* 15.
Lupia.	*Obſerv.* 16-17.
Meliceris.	*Obſerv.* 18-19.
Staphyloma.	*Obſerv.* 20.
Scirrhus.	*Obſerv.* 21.
Phlegmo.	*Obſerv.* 22.

Steatoma. *Obſerv.* 23.
Parotis. *Obſerv.* 24.
Inflammatio genæ. *Obſerv.* 25.
Abſceſſus calculum includens. *Obſerv.* 26.
Inflammatio palpebræ. *Obſerv.* 27.
Grando. *Obſerv.* 28.
Verruca. *Obſerv.* 29.
Abſceſſus. *Obſerv.* 30-32.
Aphtæ. *Obſerv.* 33-34.
Cancer. *Obſerv.* 35-40.
Ambuſtio. *Obſerv.* 41.
Scrophulæ. *Obſerv.* 42-46.
Puſtulæ. *Obſerv.* 47.
Furunculi. *Obſerv.* 48.
Herpetes. *Obſerv.* 49-53.
Scabies. *Obſerv.* 54-55.
Ulcerationes umbilici. *Obſerv.* 56.
Fiſtula ani. *Obſerv.* 57-58.
Fiſtula oculi. *Obſerv.* 59.
Ulcera. *Obſerv.* 60-70.
Excoriatio cruris. *Obſerv.* 71.
Vulnera. *Obſerv.* 72-80.
Fracturæ. *Obſerv.* 80-90.
Luxationes. *Obſerv.* 91.
Hydrocele. *Obſerv.* 92.
Bubonocele. *Obſerv.* 93-95.
Hernia ventralis. *Obſerv.* 96-97.
Hernia umbilicalis. *Obſerv.* 98.
Diſtorſio colli. *Obſerv.* 99.
Aberratio urethræ. *Obſerv.* 100.

Crepitationes oſſium. *Obſerv.* 101-102.
Contractura muſculorum. *Obſerv.* 103.
Calculi. *Obſerv.* 104-107.
Aberratio arteriæ radialis. *Obſerv.* 108.
Pſeudo-palpebra. *Obſerv.* 109.

COLLECTIO SECUNDA.

Febres, pag. 63

Febres ephemeræ. *Obſerv.* 1-3.
Febres ſynochæ. *Obſerv.* 4-42.
Febres putridæ. *Obſerv.* 43-46.
Febris ardens. *Obſerv.* 47-50.
Febres catarrhales. *Obſerv.* 51-63.
Febres quotidianæ. *Obſerv.* 64-67.
Febres tertianæ. *Obſerv.* 68-81.
Febres quartanæ. *Obſerv.* 82-83.
Febres remittentes. *Obſerv.* 84-104.

COLLECTIO TERTIA.

Inflammationes, pag. 139

Panaritium. *Obſerv.* 1.
Phlegmo genæ. *Obſerv.* 2.
Otitis. *Obſerv.* 3.
Phlegmo colli. *Obſerv.* 4.
Inflammatio ovarii. *Obſerv.* 5.
Inflammatio mammæ. *Obſerv.* 6-7.
Inflammatio uteri. *Obſerv.* 8.
Inflammatio ſcroti. *Obſerv.* 9.
Inflammatio gutturis. *Obſerv.* 10.

Inflammatio faciei. *Obſerv.* 11.
Inflammatio veli palati. *Obſerv.* 12.
Gaſtritis. *Obſerv.* 13-14.
Enteritis. *Obſerv.* 15.
Hepatitis. *Obſerv.* 16-17.
Eryſipelata. *Obſerv.* 18-28.
Anginæ. *Obſerv.* 29-34.
Pleuritides, peripneumoniæ. *Obſerv.* 35-49.
Nephretis. *Obſerv.* 50.
Iſchuria. *Obſerv.* 51-52.
Stranguria. *Obſerv.* 53.
Morbilli. *Obſerv.* 55-59.
Variolæ. *Obſerv.* 60-71.
Pemphigus. *Obſerv.* 72.
Febres miliares. *Obſerv.* 73.

COLLECTIO QUARTA.

CONVULSIONES, pag. 187

Tuſſis. *Obſerv.* 1-9.
Palpitationes cordis. *Obſerv.* 10.
Eclampſia. *Obſerv.* 11-12.
Epilepſia. *Obſerv.* 13-17.
Convulſiones. *Obſerv.* 18-22.
Hiſteria. *Obſerv.* 23-25.
Venarum pulſatio. *Obſerv.* 26.

COLLECTIO QUINTA.

DOLORES. pag. 203

Odontalgia. *Obſerv.* 1.

Otalgia. *Obſerv.* 2-3.
Rheumatiſmus. *Obſerv.* 4-16.
Lumbago. *Obſerv.* 17-20.
Pleurodine. *Obſerv.* 21-23.
Colicæ. *Obſerv.* 25-36.
Soda. *Obſerv.* 37.
Cardialgia. *Obſerv.* 38.
Cephalæa. *Obſerv.* 39-41.
Arthritis. *Obſerv.* 42.

COLLECTIO SEXTA.

FLUXUS, pag. 227

Abortus. *Obſerv.* 1.
Placenta retenta. *Obſerv.* 2-3.
Partus. *Obſerv.* 4-10.
Crepitus vaginalis. *Obſerv.* 11.
Mola. *Obſerv.* 12-13.
Sudores. *Obſerv.* 14-15-16.
Hæmorrhagia auris. *Obſerv.* 17.
Hæmophthiſis. *Obſerv.* 18-21.
Hæmorrhagia narium. *Obſerv.* 22.
Hæmorrhoides. *Obſerv.* 23-25.
Menſtrua. *Obſerv.* 26-27.
Vomitus ſanguinis. *Obſerv.* 28.
Leucorrhœa. *Obſerv.* 29-31.
Dyſenteria. *Obſerv.* 32-35.
Diarrhœa. *Obſerv.* 36-39.
Veſicæ hæmorrhoides. *Obſerv.* 40.
Tænia. *Obſerv.* 41-42.

COLLECTIO SEPTIMA.

PHANTASIÆ, pag. 254

Senſationes epigaſtrii.	*Obſerv.* 1.
Sympathiæ.	*Obſerv.* 2.
Antipathiæ.	*Obſerv.* 3.
Vertigines.	*Obſerv.* 4.
Deliria.	*Obſerv.* 5.
Hydrophobia.	*Obſerv.* 6-7.
Stultitia.	*Obſerv.* 7.
Mania.	*Obſerv.* 8-9.
Inſania.	*Obſerv.* 10-13.
Inſomnia.	*Obſerv.* 14.

COLLECTIO OCTAVA.

DEBILITATES, pag. 262

Cæcitas.	*Obſerv.* 1.
Nyctalopia.	*Obſerv.* 2.
Surditas.	*Obſerv.* 3.
Anorexia.	*Obſerv.* 4-7.
Tremor.	*Obſerv.* 8.
Apoplexia.	*Obſerv.* 10-12.
Paralyſis.	*Obſerv.* 13-17.

COLLECTIO NONA.

CACHEXIÆ, pag. 272

Phiſconiæ.	*Obſerv.* 1-3.
Scirrhus epiploi.	*Obſerv.* 4.

Scirrhus lienis.	*Obſerv.* 5.
Scirrhus inguinis.	*Obſerv.* 6.
Obſtructiones.	*Obſerv.* 7-10.
Leucophlegmatiæ.	*Obſerv.* 11-21.
Œdematia.	*Obſerv.* 12-15.
Aſcites.	*Obſerv.* 16-17-22-23.
Hydrothorax.	*Obſerv.* 18-20.
Icterus.	*Obſerv.* 24-26-27-28-29.
Scorbutus.	*Obſerv.* 30-31.
Saliva muriatica.	*Obſerv.* 33.
Saliva ſaccharina.	*Obſerv.* 34.
Plica polonica.	*Obſerv.* 35-36-37.
Phtiſis.	*Obſerv.* 38-54.
Siphilis.	*Obſerv.* 55-64.
Lepra.	*Obſerv.* 65.

Annus medicus,	pag. 310
Annotationes,	pag. 323
De natura medicatrice,	pag. 337
Réforme médicinale,	pag. 365

ERRATA.

Dedicat. pagina 7, linea 10, vinginti, *lege*, viginti.

Præf. pagina vj, linea 18, Marcgravius, *lege*, Muſſgrawius. p. xxxviij, l. 6, antiſtices, *lege*, antiſtites. p. lj, l. 16, granis, *lege*, grani. p. lvj, l. 28, mana, *lege*, magna. p. lxx, l. 4, nove, *lege*, novæ. p. lxxvij, l. 22, infantes, *lege*, infantem.

Obſerv. pagina 12, l. 19, morbellorum, *lege*, morbillorum. p. 14, l. 20, avenæ, *lege*, arenæ. p. 20, l. 26, dontalgia, *lege*, odontalgia. p. 33, l. 17, oculi, *lege*, naſi. p. 55, l. 8. propulſa, *lege*, expulſa. ead. l. 23, morbis, *lege*, morbi. p. 59, l. 2 & 3, imperforatum, *lege*, imperforatam. p. 86, l. 2, debilis &, *lege*, debilis ut. p. 87, l. 17, quæ mihi, *lege*, quod mihi. p. 101, l. 7, ſiniſtri, *lege*, ſiniſtra. p. 106, l. 1, hyſteræ, *lege*, affectioni hyſtericæ. ead. l. 17, quas, *lege*, quæ. p. 112, l. 20, rofundunt, *lege*, infundunt. p. 121, l. 1, *amphemera*, lege, *amphemerina*. p. 141, l. 15, *pharingis*, lege, *colli*. p. 173, l. 17, arbutiæ, *lege*, arbuti. p. 176, l. 20, *Rubeola morbilli*, dele *morbilli*. p. 184, l. 18, trium, *lege*, tredecim. p. 212, l. 19, quimdecim, *lege*,

quindecim. p. 221, l. 12, miniſtrati, *lege*, miniſtrata. p. 223, l. 1, hypogaſtica, *lege*, epigaſtrica. p. 226, l. 12, hac, *lege*, hæc. p. 229, l. 3. proeminente, *lege*, proeminens. p. 230, l. 8, ſuperveniens, dolore, *lege*, ſuperveniente dolore. ead. l. 20, Mox, *lege*, Nox. p. 252, l. 4, *æſulæ*, lege, *eſulæ*. p. 257, l. 2, delirat, *lege*, delirabat. p. 258, l. 15, ſunt, *lege*, ſicut. p. 263, l. 1, *Nyctopia*, lege, *Nyctalopia*. p. 264, l. 1, otitim, *lege*, otitidem. p. 273, l. 11, evacuatus, *lege*, evacuata. p. 280, l. 20, tectus, *lege*, textus. p. 300, l. 21, conſtituebat, *lege*, conſtituebatur. p. 306, l. 14, quæ, *lege*, qui. p. 309, l. 17, craſſitudio, *lege*, craſſitudo. p. 326, l. 17, orbe, *lege*, urbe. p. 327, l. 18, meringum, *lege*, meningum. p. 328, l. 4, duobus, *lege*, duabus. p. 334, l. 22, ſcrophuloſis, *lege*, ſcrophuloſi. p. 335, l. 26, chærephilli, *lege*, chærophylli. p. 367, l. 26, ne rétabliront-ils pas, *liſez*, n'établiront-ils pas.